7401.

146

oex/
2898R

N

191

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/cataloguscodicum00herz

CATALOGVS CODICVM MANVSCRIPTORVM BIBLIOTHECAE GOTHANAE

AVTORE
ERN. SAL. CYPRIANO.

LIPSIAE,
Apud IO. FRIDER. GLEDITSCH ET FILIVM,
M. DCC. XIV.

SERENISSIMO

SAXONVM DVCI,

D. FRIDERICO II.

GOTHANO,

QVEM GRATA POSTERITAS INTEGRVM

VOCABIT,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

SECVNDA OMNIA

ERNESTVS SALOMON CYPRIANVS.

SI quantum in humaniorum literarum ſtudiis profecit hu-

manum genus, tantumdem incrementi attuliſſet recte vivendi conſuetudini honeſtatique morum, iam inde a bonis temporibus perfectos homines haberemus, atque Stoicorum ſapienti procul dubio praerepturos palmam. Sed cum adaucta eruditio adeo non debilitaverit virtutum peſtem, ut etiam tegumenta armaque ei ſubminiſtrare cogeretur, quando doctiſſimos homines omnem ſuam operam, tempus atque ingenii magnitudinem in vitiis ornandis probitateque funditus tollenda haud raro poſuiſſe cernimus: in promtu eſt iudicare, quamobrem diſciplinarum terminis amplificatis ſic creverint iniquitatis vires, ut aetatis noſtrae ingenioſae mali-

tiae nihil adiici poſſe a poſteris optimus quisque exiſtimaret. Habet tamen hoc tantum malum aliquid utilitatis ad parandam gloriam, ac bonorum virorum ſtudia, etiam ſordidiſſimis temporibus, honeſtanda. Nam qui olim virtutibus eminebant ubique receptis in uſum atque civitatem, illa quidem aetate aliter facere non potuerunt, niſi ſi in summa infamia eſſe ludicrum arbitrabantur. Itaque iſta laus non erat hominum, ſed temporum, ut a Cicerone accepimus. At hodie prima commendatio ab impietate proficiſcitur, nec, qui pravis ſtudiis ad magna contendunt, id ſibi vitio verſum iri putant, propterea*

* Cic. Off. III. c.31.

quod more magnorum hominum agunt, ac cum univerſa male viventium multitudine inſtitutisque ſeculi rapiuntur. Quare in tanta ſcelerum contagione atque licentia nihil virtutum, quas boni nunc exercent, tempus aut inquinatiſſima communis vitae ratio ſibi vindicat; ſed omnis gloria atque ſplendor, ſolidaque honeſtatis effigies illis ipſis, in quibus naſcuntur, unice tribuenda ſunt.

Singulares igitur homines et ſupra ſeculi modum virtute praediti in conſpectu ſuorum civium facile ſibi laudem parient admirandam. Sed qui eorum innocentiam ſine amore et odio poſteris prodituri ſunt, experientur profecto, ut

obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur, ſic hoc in tempore nullam fidem adhiberi inſolitas virtutes memorantibus, quod natura effoeta iam nullos Catones aut Laelios proferre, neque genus vitae, cui ſe nunc dedunt homines, fulgentes gemmas inter ſilices admittere videatur.

Vides cauſam, SERENISSIME PRINCEPS, quare librorum tuorum catalogum ſcribere potuerim, virtutes tuas non dicam deſcribere, ſed enumerare nequiverim. Tu enim tribus aſſumtis comitibus, reverentia Dei, prudentia incredibili, et ſumma morum integritate, eiusmodi gloriae iter ingreſſus es, quale neque ego propter in-

genii humilitatem aſſequi cogitatione poſſum, et ſi aſſequerer, aut literarum conſignarem monumentis, haec tempora, queis pleraque omnia concepere dedecus, perinde interpretarentur, ac rei, quae nusquam eſſet, ex aſſentandi libidine profectam commemorationem, aut Phoenicis ortum, qui anno quingenteſimo naſcitur ſemel. * *Accedit livor virtutibus tuis ipſa raritate commendatis invidens dolensque vehementer, Te atque paucos alios in ea fortuna, quae peccandi illecebris undique obſidetur, vitae rationem conſtantiamque ita habere conſtitutam, ut divinus ille animi tui principatus, quo excellentiſſimas mentes, atque omnium*

* *Seneca ep.* XLII.

praedicatione dignas ſuperaſti, neque ſe in ſocietatem turpitudinis pertrahi patiatur, nec ab incuſanda ſeculi labe unquam deſiſtat. Quod igitur & ornamentorum tuorum multitudo, & temporum noſtrorum depravati mores, atque ingenii mei tenuitas a me ſperari prohibent, id perficiendum eſt a Te-ipſo nondum aetatis dimidium emenſo, ut nimirum excelſi atque invicti animi virtute longo uſu roborata, vitaeque univerſae aequabilitate eam opinionem, quam multis bonis attuliſti, etiam toti mundo, ſeneſcenti iam et de rebus ſuis deploratis quaſi tripudianti, afferas: natum Te eſſe ob eam cauſam, ne avus tuus ERNESTVS, *qui vel*

malorum bene iudicantium ſuffragatione PIVS uſurpatur, omnium Principum optimus videretur. Ita Tu, FRIDERICE SECVNDE, ſecundiſſimo fortunae flatu uſus ſummam gloriam adipiſceris, atque, ut in unum verbum omnia conferam, iudicio poſteritatis INTEGER comprobabere. Tractat Te Deus indulgentius propter maiorem pietatem,** Te, inquam, vero Dei cultu facile obtenturum, ne vel invidia ad obſcurandam domum tuam aliquid poſſit,*** vel*

* *Ordinis ſervandi cauſa ita vocarunt non ſolum multa numiſmata ap. Tenzelium numophylac. Sax. Erneſt. p. 795; ſed & autor libri anno MDCCVII. impreſſi Pariſiis, qui inſcribitur Hiſtoire du Siege de Toulon, appendice Tom. II. p. 56.*

** *Seneca IV. de Beneficiis cap. XXXII.* Deos videre eſt, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe ſequentium poſterorum indolem.

*** *Vulcatius Gallicanus vita Avidii Caſſii cap. VIII.* Quum quidam diceret: reprehendendum Antoninum, quod tam mitis eſſet in hoſtem ſuum, eiusque liberos & affectus, atque omnes, quos conſcios tyrannidis reperiſſet, addente illo, qui reprehendebat; *Quid ſi ille viciſſet?* dixiſſe dicitur: *Non ſic Deos coluimus, nec ſic vivimus, ut ille nos vinceret.*

providentia vires ſuas alia, quam qua prodeſt, parte in tuam progeniem oſtendat. Eſt autem haec grati erga Deum animi luculenta ſignificatio, quod avorum exemplo antiquitatis monumenta a puero dilexiſti, bibliothecas multas, Thumbshirnii, Fergeni, Feuſtkingii & aliorum collegiſti, numophylacium Arnſtadienſe & privatorum haud pauca coëmiſti, eruditosque ſemper tecum habere es ſolitus. Inde vero (quanquam haec minima laudis tuae particula videatur) accepiſti cognomentum, ut magna literati orbis conſenſione RESTITVTORIS ANTI-*

* Verus Imperator multos diſertos & eruditos ſemper ſecum habuiſſe dicitur. *Capitolinus in vita cap. II.*

QVITATVM appellatione non minus, quam FRIDERICI SECVNDI noſcaris. Quod cum ita ſit, Tibi, Parenti antiquitatum ac Conſervatori, antiquos codices Tuos reddo, precatus Deum, ut TE, melioris aevi exemplar, tum demum in coelum redire iubeat, cum tempus deſinet in aeternitatem. Fridenſteinii e bibliotheca Tua, feſto aſcenſionis Chriſti cIↄ Iↄcc XIV.

PRAEFATIO.

INvidia cum omnibus turpis, tum viris doctrina claris foediſſima labes ita dedecorat animi dotes quantumvis licet excellentes, ut cum vera ſapientia uno eodemque hoſpitio morari poſſe neutiquam videatur. Quare cum optimus quisque poſteritati ſerviat noſtris laboribus, ut nos maiorum, grato animo fruiturae; miſeram eſſe eorum opinionem ſemper exiſtimavi, qui quaecumque habent manuſcripta ita extollunt atque in coelum efferunt laudibus, ut occultent ſtudioſiſſime, aliisque perſuaſum eant, cuſtodiri a ſe maximi

momenti res, et, ſi ederentur, toti hominum generi vehementer profuturas, cum forte ne titivilitio emturi ſint, qui ſaepenumero nugas incredibili ſtudio manu viderunt exaratas.

Melius conſilium fuit ſummorum Virorum, quibus Sereniſſimus Princeps, FRIDERICVS II. Gothanus, in regendo populo ſuo uti ſolet, publicaeque rei longe ſalutarius. Nam ut hiſtoriam arcanam domus archivo abſcondendam curant; ita manuſcriptos codices novas librorum editiones parantibus, aut hiſtoriam ſcribentibus uſui futuros, in notitiam omninm exiſtimarunt perferendos.

Conſecramus igitur publicis ſtudiis catalogum non quidem omnes com-

plexum codices (nam amplius ducentos, * et in his circiter XXX. Ioannis Gerhardi manu ſcriptos, omiſimus, quod vel typis vulgati haberentur, vel continerent parum iucunditatis utilitatisque allatura lectoribus) confectum tamen ſtudio aliquo et obſervationibus illuſtratum brevibus, nec, quod erat in promtu, ex hiſtoria literaria congeſtis, ſed ad noſtros manuſcriptos unice pertinentibus. Vereor autem, ne docti quidam viri ordinem requirant putentque, opuſculum hoc in plura capita oportuiſſe dividi. Sed

* Quorum in numero ſervatur Lutheri catecheſis Germanica manu Ioannis Saxoniae Electoris ſcripta in membrana, cuius folio ultimo haec reperire eſt: *Dis buch hat Churfurſt Iohannes mit eigener hände geſchriben, welchs mir deshalben lieb ſoll ſeyn, und nimmer von mir kommen. Gott helff, daß ich daraus from und ſelig werde. Amen. Io. Fridrich der dritte.* Fuit hic Io. Fridericus Ioannis Electoris nepos. Inter manuſcripta ſunt praeterea eiusdem Electoris codicilli, quibus notavit argumenta concionum ſacrarum in templis, quorundam Saxoniae Principum ephemerides, literae variorum ad Io. Fridericum, Electorem dedititium, & alia multa.

gravioribus negotiis deſtinato non libitum eſt minima conſectari, aut ſubinde repertis codicibus, qui ab initio laboris in occulto fuerunt, ſemel poſita iterare, cum praeſertim index adiiceretur, veroque esſet conſentaneum, qui his ſtudiis ſerio delectantur, facile a ſe impetraturos libelli totius lectionem. Aliis nimis multa ad res Germanicas ſpectantia, aut certe vilia quaedam annotaſſe videbimur. Verum enim vero non quae vellem, ſed quae inveniſſem, ſcribi oportere ſum arbitratus. Quemadmodum igitur nos externorum historiae patriae illuſtrandae ſtudium non improbamus; ita quam ſibi indulgent libertatem nobis, ſpero, non invidebunt. Turpe eſt in aliena domo habitantem propriam negligere. Scrib. Gothae A. O. R. cIↄ Iↄcc xiv.

CATALOGVS
CODICVM MANVSCRIPTORVM
BIBLIOTHECAE GOTHANAE.

CAPVT PRIMVM.

Membranei cum prima, quam regalem vocant, tum uſitatioris folii magnitudine.

I.

Libri priores antiqui foederis Latine. Folio primo recentioribus literarum ductibus ſcriptum eſt: *Liber beatae Dei genitricis Mariae ſanctique Alexandri martyris monaſterii novi operis prope Hallis ordinis canonicorum regularium Magdeburgenſis dioeceſis.*

II.

Pars poſterior ſacrarum literarum. Evangeliis praefixi ſunt canones Euſebii X, cum epiſtola ad Carpianum. Hic codex ex eodem monaſterio huc translatus eſt.

III.

Biblia Latina. Poſt interpretationes vocabulorum haec leguntur *Anno Domini CIↃ CCC XCI. finitus eſt praeſens liber feria II. infra octavam S. Wenceslai martyris glorioſi per manum Andree d'auſtrali plaga ſive de Auſtria, tunc temporis plebani eccleſiae in lilvchanicz, regnante Wenceslao rege Romanorum & Boëmie.*

IV.

Bibliorum Latinorum pars prior.

V.

Bibliorum Latinorum pars poſterior.

Volumina haec tantae ſunt molis tantoque ſtudio adornata, ut vero nequaquam ſimile ſit, quod ſcriptor in fine annotat: *Finis veteris ac novi teſtamenti totiusque biblie, quam calamus fidelis anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo quarta Aprilis inchoando nona Iulii anni ſequentis ſuperno iuvamine conſummavit.* Hos codices a ſe poſſideri anno CIƆ IƆ LXVI. Henricus a Stockheim, cantor Moguntinus, poſterorum memoriae prodidit initio primi voluminis.

VI.

Biblia Latina cum interpretatione Hebraicorum nominum.

VII.

Biblia Latina.

IIX.

Biblia Latina. In fine voluminis haec leguntur:

Laus tibi ſit Chriſte, quoniam liber explicit iſte.

Pro meritis dominus mihi det quoque ſpiritus almus
Grē fautorem nec non Gertrudis amorem,
Pro quo commonitus ſit frater Theodericus,
Nunc exhortandum per me fratrem Fridericum.
Qui ſcripſit ſcribat & longo tempore vivat.

Compacturae manus a priori longe diverſa interius allevit: *Scripta eſt haec biblia anno Domini* CIƆ CC LXXXXII.

IX. X.

Biblia Germanica ex Electorali bibliotheca Sereniſſimorum utriusque Bavariae Ducum allata. Libri Prophetici, quos vero conſentaneum eſt peculiari volumine fuiſſe deſcriptos, heic deſiderantur.

Poſterioris voluminis fine ſub armis gentilitiis Bavarorum haec leguntur:

Wir Otthainrich von Gottes gnaden Pfaltzgraf bey Rhein, Herzog in niedern und obern Bayrn &c. haben am Ort, da die allt Illuminierung aufhört, und nemlich im Marco am paſſion deß 14. Capitls, zeilluminiren anfahen, und die Figurn gar an das End machen und erſtatten laſſen anno Domini 1532.

De his codicibus ſcribit Struvius: *Inter cimelia rariora aſſervantur in bibliotheca Gothana biblia Germanica trecentos ante annos manuſcripta in membrana, figuris, auro & variegatis coloribus mire exornata.**

Eos-

* *Introductione ad notitiam rei literariae p. 14.*

Eoſdem codices Tentzelius ſic deſcribit: *Eine teutſche bibel, vor ohngefehr 300. iahren geſchrieben, und mit ſchönen gemählden gezieret, ſo nebſt den erſten buchſtaben eines ieden capitels auf eine ſonderbahre art, welche man heute zu tage nicht mehr weis, ſehr ſtarck verguldet ſind, und das Gold allein auf 1000. Ducaten geſchätzt wird.**

XII.

Biblia Latina usque ad librum II. Esdre. In extremitate extat inquiſitio, qualis pſalmus primum a David fuiſſet cantatus.

XIII.

Biblia Latina a primo regum usque ad II. Macchabeorum.

XIV.

Libri IV. regum Latine.

Huius codicis ante DCC. annos exarati folio primo inſcriptum eſt: *Si quis furetur anathematis enſe necetur.*

XV.

Iob, Tobias, Iudith, Heſter, Esdras, Machabeorum primus & ſecundus Latine.

XVI.

Eſaias & Ieremias Latine. Initio extat: *Sanctae Mariae Hallo. Frithericus.*

XVII.

Quatuor evangelia Latine cum canonibus Euſebii & capitulari evangeliorum anni circuli. Recentior manus praeſcripſit: *Iſte liber pertinet ad librariam ſancti Martini eccleſiae Moguntin.*

XVIII.

Epiſtolae Pauli Latine cum verſibus ſancti Damaſi papae de laude beati Pauli apoſtoli. Hic codex pulchre ſcriptus ac ceteris pleriſque antiquior pars fuit bibliothecae *canonicorum regularium monaſterii ſanctae Dei genitricis Mariae ſanctique Alexandri martyris novi operis prope hallis Magdeburgenſis dioeceſis.* Folio ultimo vetuſta manus, ſed ea, quae textum exaravit, haud paulo recentior, haec inſcripſit: *Hi libri dati ſunt beatae MARIAE in memoriam ſanctae recordationis RECTI*

A 2 praes-

* *In der curieuſen bibliothec anno* CIↃ IↃ CCIV. p. 442.

praesbyteri. Apoſtolus iſte. Collectarius cum graduali. Miſſale in duo volumina diviſum. Liber continens miſſas quasdam & exorciſmos. Baptiſterium, Pſalterium. XL. omeliae ſanctorum & ſermones de ſanctis in uno volumine. Excerpta de regiſtro. Excerpta de canonibus. Auguſtinus ad quendam comitem Kariſſimum & Smaragdus in uno volumine. Item datus eſt Auguſtinus ad comitem. Liber ſam. a SS. editus. Martinus de virtutibus. Ambroſius de cupiditate ſeculi. Cyprianus de XII. abuſivis. Auguſtinus de diſciplina in uno volumine. Liber continens aſſumptionem Iohannis ev. cum omeliis quibusdam in uno volumine. Vita S. Odalrici. Gloſſae in canticum c. Gloſſae Tullii de amicitia. Elucidarius. Bibliotheca in diverſis voluminibus. Regula S. Auguſtini.

Monendum eſt hoc loco, bibliothecae vocabulo ſignificari totam ſcripturam utriusque foederis. Obſervatum Lambecio comment. de bibliothec. Caeſ. lib. II. c. V. IIX.

XIX.

Vnum ex quatuor, vel concordia evangeliſtarum.

XX.

Concordantiae Bibliae.

XXI.

Geneſis cum gloſſa interlineari & marginali.

XXII.

Exodus cum gloſſa interlineari & marginali. Praemittuntur excerpta de argumento libri ex Auguſtino, Beda, Iſidoro, Strabo, Hieronymo, Gregorio & Alcuino. Pagina prima videre eſt ſpecimen pſalmodiae veteris. Ibi enim invenitur, cum ſuperſcriptis notis muſicis canticum illud: *Ecce nunc tempus acceptabile.* In fine codicis hiſtoria Iacobi extat itidem ad ſonos muſicos aptata.

XXIII.

Leviticus cum gloſſa. Hic liber ſcriptus eſt anno CIↃ CCC. Vnde Lyrani poſtillationem (ita loquuntur veteres, & in his Sebaſtianus Brant, epiſtola ad Iohannem Fröben, qui anno CIↃ IↃI biblia cum gloſſa ordina-

ordinaria, Lyrani expoſitione, additionibus Burgenſis ac Thoringi replicis impreſſit) abeſſe mirum nemini videri debet. Nam opus Lyrae anno CIↃ CCXCII. inchoatum annoque CIↃ CCCXXX. abſolutum in Germania ignotum erat, cum hic codex conficeretur.

XXIV.

Numeri cum gloſſa ordinaria.

XXV.

Liber deuteronomii cum gloſſa.

XXVI.

Pſalterium Latine cum gloſſa ordinaria.

XXVII.

Pſalterium Latine cum gloſſa interlineari & obſervationibus quibusdam margini adſcriptis.

XXVIII.

Pſalterium cum gloſſa Latine.

XXIX.

Iſidorus ſuper V. libros Moſis, ſuper Ioſuam & iudices.

Hieronymus in Ioëlem.

Idem ſuper Micheam.

Idem ſuper Ionam.

XXX.

Expoſitio myſtica ſuper librum pſalmorum edita per fratrem Nicolaum de Lyra.

XXXI.

Eadem expoſitio Lyrani. Compacturae inſcriptum eſt: *Hunc librum legavit Dominus Nicolaus de Lapide, ſenior, canonicus eccleſ. Mogunt. Orate pro eo:*

XXXII.

Iob cum gloſſa.

XXXIII.

Parabolae Salomonis cum gloſſa.

XXXIV.

Codex venerandae antiquitatis, quo continentur Hieronymi commentum in Ieremiam ſex libris, & tractatus in Abdiam.

XXXV.

Ezechiel, Daniel & XII. minores Latine.

Sermo beati Auguſtini Epiſcopi de communi vita.

Item Sermo S. Auguſtini: *Caritati veſtrae de nobis ipſis ſermo reddendus eſt.*

Sermo S. Auguſtini de Paſtoribus.

Ieronimus ad Nepotianum praesbyterum de inſtitutione clericatus.

Ieronimus de inſtitutione clericatus ad Occeanum.

Idem ad faciendum officium.

Sermo S. Auguſtini de obedientia.

Excerptum e Gregorii libro XXXV. moralium de obedientia.

Excerptum ex Auguſtini ſuper Ioannem ſermone XXXII. de rixa vitanda.

Clemens Papa de communi vita.

Vrbanus Papa de communi vita.

Excerptum ex Origene ſuper Geneſim de communi vita.

Liber de vita clericorum.

Excerptum ex libro officiorum Iſidori: qua auctoritate horae canonicae celebrentur.

Regula Auguſtini.

Conſuetudines ſub regula B. Auguſtini viventium. Capitulum LV. conſuetudinum: *qua diſciplina multandi ſint, qui ſibi invicem contumelias inferunt*, in hoc codice deſideratur; ſcriba autem relicto ſpatio, cui inſcribi poſſet, praefixit: *Fuit deletum & raſum per aliquem fratrem perditae mentis, & ideo non potui ſcribere ex exemplari.*

XXXVI.

Quatuor Evangelia cum gloſſa.

XXXVII.

Evangelium Matthaei cum gloſſa.

XXXIIX.

Bedae expoſitio evangelii ſecundum Marcum.

XXXIX.

Commentarius venerabilis Bedae praesbyteri ſuper evangelium Lucae.

XL.

Beda ſuper actus apoſtolorum & nonnullas canonicas.

XLI.

Paulus gloſſatus, ſeu epiſtolae Pauli cum gloſſa.

XLII.

Codex recens, quo continentur epiſtolae Pauli cum gloſſa Petri Lombardi. Scriptus eſt anno CIƆ CCCCLVI.

XLIII.

Epiſtolae quaedam Pauli cum commentariis Lombardi. Folio primo haec leguntur: *Anno dominicae incarnationis CIƆ.CC.XXII. ad honorem ſanctae Mariae virginis, ſancti Iohannis evangeliſtae, ſanctique Alexandri martyris in Hallo Conradus praesbyter me fecit.*

XLIV.

Epiſtolae Pauli Latine cum commentariis. Codex hic, ut eius initio videre eſt, ad librariam S. Martini eccleſiae Moguntin. olim pertinuit.

XLV.

Haymonis in apocalypſin libri VII.

XLVI.

Apocalypſis cum gloſſa & libello de XII. lapidibus.

XLVII.

Apocalypſis Ioannis Latine cum gloſſa.

Hic liber vetuſtus eſt & pulchre ſcriptus. In fine addidit ſcriba: *Ad honorem & decorem & amorem domini noſtri Ieſu Chriſti ego NICOLAVS omnium ſervorum ſuorum utinam minimus conſenſu & aſtipulatione pii fratris noſtri REINALDI hunc librum manibus meis ſpiritu ſancto ducente calamo peraravi. Quem ſi interior oculus viri probi non ruſtici diligenti ſtudio peragraverit, dimotis curis fallacibus ſplendorem veri lu-*

ri luminis procul dubio agnoſcet. Igitur quia plerumque animos fugit, quod memoriae caracteribus non ſignatur; ſcribo tam praeſentibus quam futuris in Chriſto lectoribus, qualiter & nunc quidem propter peccata corpus porto mortuum humiliter ſupplico, ut in memoria beatorum Spirituum apud vos ſemper mea quoque viva ſit mentio. Hanc qui, ut praefatus ſum, petitionem impleverit, omnipotentis Dei benedictionibus auctus impleatur hic & in ſecula ſeculorum. Amen.

Hunc librum Reinaldus, cuius induſtria heic a Nicolao laudatur, Mariae Deiparae conſecravit. Ita enim extat ſub finem primae paginae: *Sc. MARIE Reginoldus.*

XLIIX.

Mametractus.

Auctor hoc libro vocabula, quae aevo literarum experte in verſione vulgata, legendis ſanctorum, homiliis & hymnis eccleſiae difficiliora videbantur ad intelligendum, exponit in gratiam pauperum clericorum, quos & de orthographia, accentu aliisque inſtruit. Operis titulum declarat fine praefationis: *Quia morem gerit talis decurſus paedagogi, qui greſſus dirigit parvulorum, mametractus poterit appellari.* Folio ultimo extant verſus nonnulli cum anno, quo ſcriptor operi finem impoſuit: *Anno ab incarnatione dominica* CIↃ CCCC LXVI. *finit totus hic liber regnante Domino noſtro Iheſu Chriſto.*

O vos, qui noſtis, quid perferat ille laboris,
Qui ſe ſcribendo caſtigat tempore crebro;
Aſſiduis precibus memores ſitis, precor, eius,
Qui pruinptus librum conſcripſit & edidit illum.
Et tu, nate Dei, miſerere, flagito, mei,
Nam tua pro gloria feci haec omnia.

Invenitur hic liber typis vulgatus in eadem ſereniſſimi Principis bibliotheca hoc titulo aliquanto diverſo: *Expoſitiones & correctiones vocabulorum libri, qui appellatur mamotrectus tam bibliae, quam aliorum plurimorum librorum, impreſſae Venetiis per Franciſcum de Hailbrun & Nicholaum de Franckfordia ſocios* CIↃ CCCC LXXVI.

XLIX.

Codex hiſtorias quasdam antiqui foederis cum figuris & applicatione ad Chriſtum complexus. Orditur a creatione: *In dem angeng do Got geſchepft Adamen aws ainer erd.* In fine ſcriptum eſt: *Comparatus*

tus eſt iſte liber per Dominum Wolfgangum Wulfing, Capellanum beatae Mariae virginis in Charphaym. 1464.

L.

Lactantius cum praefixo indice copioſiſſimo, qui *tabula ſuper libros inſtitutionum Lactantii* vocatur. Libellus de perſecutorum mortibus, epitome inſtitutionum & carmen de phoenice deſunt.

Totus codex marginatus lineis, notis ac locorum difficiliorum paraphraſi illuſtratur. Vltimus liber hunc titulum habet: *Incipit liber Firmiani, qui & Lactantii, de opificio Dei vel formatione hominis.* Demetriani, ad quem ſcriptus eſt, nulla fit mentio. At in margine ab ea, quae codicem exaravit, manu haec invenire eſt: *Loquitur ad Demetrianum, cui ſcribit iſtum libellum.* De noſtro codice Chriſtophorus Cellarius praefatione Lactantii ita ſcribit: *Alium membranaceum, antiquiorem Britannicis, in ſereniſſimi Saxonum Ducis Gothani bibliotheca cuſtoditum, vir clariſſimus, Guilielmus Erneſtus Tenzelius, hiſtoricus laudati principis, pro amicitia, quae mihi cum illo intercedit, cum impreſſo contendit, & fideliſſime in uſum meum enotavit.* Additamentum capitis XIX. de opificio, quod abiiciunt recentiores, rectius in noſtro, quam Lipſienſibus, unde ſumſit Cellarius, legitur. Idem dicendum de verſione Graecorum teſtimoniorum, quae Lactantius paſſim, in primis vero cap. XXII. XXIII. de ira allegat.

Apologeticum Tertulliani de ignorantia Chriſti Ieſu cum multis ſcholiis.

Etſi hic manuſcriptus non eſt ex antiquiſſimorum numero; tamen mihi pluris fit, quam plerique impreſſorum. Initio editionis B. Rhenani nullus ferme ſenſus eſt in hac periodo: *Si denique domeſticis indiciis nimis onerata ſectae huius infeſtatio* &c. Quanto melius noſter: *Si denique domeſticis iudiciis nimis operata infeſtatio ſectae huius obſtruit viam defenſioni?* Non enim infeſtatio ſectae onerabatur, quae operando inquirendoque ipſam onerabat ſectam; neque *privata* indicia, ſed *iudicia* in Chriſtianos conſtituta improbat Septimius, cauſam hanc aperto & *edito* (quod omittit Rhenanus) civitatis vertice cognoſcendam eſſe arbitratus.

Liber de inſtitutione univerſitatis.

Marcianus, Macrobius, Plato, qui loquitur de Yle vel chaos, a quo omnia elementa.

Gaii Fabii Planciadis Fulgentii liber de continentia Virgiliana ad Ca-

tum archidiaconum Carthaginenſem.

Poëtria magiſtri Alberici.

Fulgentii fabulae cum gloſſis interlinearibus.

LI.

Epiſtolae Hieronymi. Folio primo extat explanatio ſymboli ad Damaſum ſine titulo. Et recte quidem. Quae enim ſymbola in epiſtolis Hieronymi reperiuntur, ſuppoſitionem ipſa per ſe produnt. Sequuntur epiſtolae:

Damaſi ad Hieronymum: *Dormientem te.*

Hieronymi reſponſoria: *Poſtquam epiſtolam.*

Damaſo: *Origenes cum in ceteris libris.* Sequuntur Origenis homiliae duae in canticum canticorum interprete Hieronymo.

Tranquillino: Quomodo Origenem legere debeat.

Damaſus Hieronymo: *Commentaria cum legerem.*

Reſponſio de Oſanna.

Damaſo de fide, cui in Antiochia communicare debeat.

Eidem: *Importuna in evangelio mulier.*

Eidem de Seraphim.

Eidem de morte Oziae regis & Seraphim & calculo in Iſaia propheta.

Eidem de prodigo filio.

Auguſtinus Hieronymo: *Audivi perveniſſe.*

Auguſtino: *In ipſo profectionis articulo.*

Eidem: *Anno praeterito.*

Plures haud magni faciendae.

LII.

Codex antiquiſſimus, Moguntia huc translatus, quo continentur Auguſtini liber de paſtoribus, cui ſermo de ovibus ſubiicitur ſine inſcriptione; & evangelium Ioannis Latine cum expoſitione Auguſtini, homiliis non dinumeratis, niſi quod litera major & ornatius picta or-

ditur

ditur ſermones ſingulos, qui hodie tractatus vocantur. Homiliae ſecundae initium: *Bonum eſt fratres Kariſſimi.*

LIII.

Categoriae ſancti Auguſtini, egregii philoſophi.

In fronte praefert liber Alcuini verſus, quos nuper Benedictini operum Auguſtini tomo primo * inſeruere. Non habent autem prologi titulum, ſed hunc: *Iſti ſunt verſus, quos Alcuinus conpoſuit ad Karolum magnum.*

Sequuntur eodem volumine Auguſtini libri XXII. de civitate Dei. Praemittitur prologi nomine cap. XLIII. lib. II. retractationum.

Cum hic codex admirandae antiquitatis opinionem protinus afferat intuentibus, meum eſſe puto, quid de eo ſentiam, breviter exponere. Quod ſi qui mihi vitio vertendum arbitrabuntur, ſtudium inquirendae veritatis, rem innocentiſſimam, reprehendent.

Qui ſcribendi moleſtia perfunctus eſt, poſt prologum librorum de civitate Dei codicis notitia ſic inſtruit lectores:

Hoc ſunt undeni bis quippe volumine libri,
Precipuus doctor quos Auguſtinus & auctor
Ediderat primus, divino flamine plenus;
Hos preſul ſummus nec honore minore colendus
Williſus theca conſcribi iuſſit in iſta,
Ipſeque cum propriis emendans cautus alumnis
Servicio ſancti Martini iure perenni
Tradidit hoc pacto, viventum ut denique libro
Delctus pereat, ſi quis hinc tollere temptet
*Hos codices ** unquam, iuſtamque Dei incidat iram. Am.*

Ad laudem bibliothecae noſtrae non multum video intereſſe, exiſtimare viros doctos, me pluſculum codici, quam concedit veritas, largiri. Etenim remoto hoc cimelio meque prorſus tacente, tamen movebit intelligentium admirationem. Ceterum multis argumentis inducor, ut credam, ſcriptum eſſe eccleſiam Moguntinam regente Willigiſo, circa annum Chriſti cIↃ, neque adeo in errore verſatum Tenzelium *** & eruditos plurimos, cum ante annos ſeptingentos aut octingentos

* *P. 620.*

** *Notum eſt olim libros XXII. duobus voluminibus deſcribi ſolitos, primo X. priores complexo. Hanc diviſionem ſequitur noſter codex, ita tamen, ut utrumque volumen, eoque libros omnes comprehendat.*

*** *Colloquiis menſtr. an. 1690. p. 812.*

gentos exaratum valde aſſeveranter dicerent. Primo enim praeſtantiſſimum quemque manuſcriptum Moguntia huc translatum eſſe probe novimus, docetque ſcribae teſtimonium, codicem diligentiſſime cuſtoditum fuiſſe in bibliotheca S. Martino conſecrata. Id quod etiam multo recentior manus, omnibus libris inde advectis obvia, teſtatur his verbis folio ſecundo huius codicis: *Iſte liber pertinet ad librariam ſancti Martini eccleſiae Moguntinenſis. M. Sindicus sst. 1479.* Nemo autem eſt, qui ignoret, S. Martinum antiquitus Moguntiae patronum eſſe habitum. Lege Serarium Moguntiacarum lib. I. c. XXXI. * Huic igitur ſancto viro Willigiſus monaſterium templumque conſtruxit Moguntiae, ut a Serario docemur Moguntiacarum lib. V. vita Willigiſi; ſuorumque anteceſſorum, Riculfi inprimis ac Rabani, exemplum ſibi dubio procul ad imitandum propoſuit, quos multum ſtudii ad librorum collectionem convertiſſe conſtat. Deinde nitidiſſimus eſt liber, ac pulcherrime ſcriptus, compactusque foliis magnis atque latis, ut quadrato propior videri poſſit ex more illorum temporum. Porro in antiquitatum Moguntiacarum ſcriptoribus nullus epiſcopus aut archiepiſcopus, imo nemo prorſus hoc nomine inſignitur, demto Willigiſo, qui utique *ſummus praeſul* fuit. Unde hunc intelligi oportere plane mihi perſuaſum eſt. Eoque magis, quod codex capitularium, quem mox laudabimus, omnium haec ſtudia cum iudicio amantium conſenſu circa illa tempora adornatus fuit. Eſt autem non ſolum eadem manu ſcriptus, ac initio eiusdem ſyndici teſtimonio munitus; ſed etiam huic omnibus rebus aliis compar. Hinc autem conficitur, ſcriptum eſſe iuſſu Willigiſi. Nec ab hac ſententia me dimovebunt, qui dicent, his verſibus non *Willigiſum*, ſed *Williſum* nominari. Poëtam enim metri cauſa ſyllabam *gi* abiiciendam opinatum, facile credent, quibus cum vetuſtiſſimorum poëtarum licentia, tum ſeculi decimi & ſequentium Poëſis non ſunt ignotae. In ipſo Willigiſi epitaphio, quod Serarius recitat, omiſſa ſyllaba *Wilgiſus* dicitur. Atque ſi autor dixiſſet *Willigis* pro *Willigiſus*, Germanicae vocis terminatio minus Latina futura erat. Taceo hoc nomen diverſimode ſcribi. Nam *Willegoſum* vocat ſcriptor vitae Burchardi Wormacienſis. Sed de hoc codice ſatis multa, vel plura potius, quam neceſſe fuit. Ego aequos iudices nactus non pertinaciter tutabor ſententiam.

LIV.

Codex antiquiſſimus, quo continentur

I. Ca-

* *Conf. lib. V. p. 734.*

I. Capitula regum Francorum ab Anſigiſo collecta hoc titulo vetuſtate iampridem obliterato: *In Chriſti nomine incipiunt capitula epiſcoporum, regum, maximeque omnium nobilium Francorum. Legiloquum quisquis librum recitaveris iſtum, Principibus noſtris dic miſerere Deus. Legem namque bonam dictarunt mente benigna, quapropter pro ipſis, quaeſo, precare Deum.* In praefatione ſcribitur *Anſigiſus* non *anſegiſus*, multaque paſſim leguntur aliter, quam in editis.

II. Capitularium libelli tres poſteriores a Benedicto Levita collecti, cum praefatione & verſibus, quos ſuae editioni Baluzius praefixit. * Liber VII. habet capitula DXI. in codice. Apud Baluzium leguntur tantum CCCCLXXVIII. Id inde factum eſt, quod ſcriptor additionem Baluzii II. quae p. 1134. extat, adiecisſet. Sequitur Baluzii additio III. p. 1154. & IV. p. 1182.

III. Capitulare Triburienſe, quod apud Baluzium habetur p. 626.

IV. Series imperatorum, quae in haec verba deſinit: *Poſt diſceſſum Karuli imperavit bluduuuicus eius filius. Obito eo* —

V. Leges Salicae. Primo occurrit praefatio de legum inventoribus, quam Gottefridus Wendelinus tertio loco poſuit. Poſtea legitur illa, quae in Wendelini editione prima eſt. Denique eodem contextu additur prologus tertius, quem iam olim Pithoeana exhibuerat. Capitula plane non ſervant ordinem, quem illis Lindenbrogiana aut Wendeliniana aſſignant. Quare in gratiam eruditorum ea apponenda curavimus.

Incipiunt tituli legis ſalicae.

I. De Mannire.

II. De eo, qui ad mallum venire contempſerit.

III. De eo, qui graffionem ad res alienas tollendas iniuſte invitaverit.

IV. De Rachinburgiis, qui ſecundum legem non iudicant.

V. De eo, qui hominem innocentem vel abſentem ſine cauſa ad regem accuſat.

* *Poſt praefationem extat:* contuli. *Ante capitula quinti libelli ſcriptum eſt:* percontuli.

VI. De incendio eccleſiarum vel expoliatione, & de homicidiis clericorum.

VII. De eo, qui Graffionem occiderit.

IIX. De homine in hoſte occiſo.

IX. De eo, qui villam alienam adſallierit.

X. De incendiis.

XI. De homicidiis ingenuorum.

XII. De homicidiis in convivio factis.

XIII. De homicidiis a contubernio factis.

XIV. De conpoſitione homicidii.

XV. De vulneribus.

XVI. De debilitatibus.

XVII. De Chrenechruda.

XIIX. De eo, qui hominem ingenuum expoliavit.

XIX. De eo, qui hominem ingenuum ſine cauſa ligaverit.

XX. De eo, qui mortuum hominem expoliaverit.

XXI. De corporibus expoliatis.

XXII. De eo, qui mulieri ingenuae manum aut brachium ſtrinxerit.

XXIII. De ingenuis mulierum raptoribus.

XXIV. De Reippus.

XXV. De eo, qui alienam filiam deſponſaverit & non vult eam accipere.

XXVI. De eo, qui alienam villam occupaverit, vel ſi XII. menſibus eam tenuerit.

XXVII. De affatomiae. *

XXIIX. De falſo teſtimonio.

XXIX. De eo, qui fidem factam alteri non reddiderit:

XXX. De re praeſtata.

XXXI. De manu ab eneo redimenda.

XXXII. De

* *Mallem affatomiis, ſi adfatomiae vocabulum recte explicuit Wendelinus gloſſario Salico p. 125. Lindenbrogius habet: affatomire.*

XXXII. De maleficiis vel herbis.
XXXIII. De his, qui pueros vel puellas occiderint vel totonderint.
XXXIV. De alode.
XXXV. De eo, qui ſe de parentela tollere voluerit.
XXVI. De charoena.
XXXVII. De eo, qui alterum herimburgium clamaverit.
XXXIIX. De via lacina.
XXXIX. De furtis ingenuorum.
XL. De furtis ſervorum.
XLI. De ſervo, qui de furto fuerit inculpatus.
XLII. De ſervis vel mancipiis furatis.
XLIII. De his, qui aliena mancipia ſollicitaverint.
XLIV. De cavallis furatis.
XLV. De cavallo ſine permiſſo Domini ſui aſcenſo.
XLVI. De caballo decorticato.
XLVII. De furtis canum.
XLIIX. De venationibus.
XLIX. De furtis avium.
L. De furtis animalium.
LI. De furtis porcorum.
LII. De furtis ovium.
LIII. De furtis caprarum.
LIV. De furtis apium.
LV. De furtis arborum.
LVI. De furtis in molino commiſſis.
LVII. De furtis diverſis.
LVIII. De veſtigio minando.
LIX. De intertiatis rebus.
LX. De teſtibus adhibendis.
LXI. De damno in meſſe vel in qualibet clauſura.

LXII. De

LXI. De ſepibus.

LXII. De eo, qui navem alterius moverit vel furaverit.

LXIII. De locationibus.

LXIV. De quadrupedibus, qui hominem occiderint.

LXV. De homicidiis ſervorum vel ancillarum.

LXVI. De adulteriis ancillarum.

LXVII. De libertis dimiſſis.

LXVIII. De eo, qui hominem de barco vel de furcis deponit.

LXIX. De conviciis.

VI. Leges Ribuariae ſub titulis CXXIV. Lindenbrogius habet LXXXIX.

VII. Leges Longobardorum cum hac inſcriptione: *Incipiunt capitula legis regum Langobardorum, ſeu concordia de ſingulis cauſis, quas Rothari, Grimuald, Liutprant, Ratgis, Aiſtulf conſtituerunt, omnes inſimul adunatae & concordatae, ut legem querentibus facilius invenire queant, quod cupiunt.* Habet capitula LX.

IIX. Lex Alamannorum. Titulus in Lindenbrogiana corruptior melius ſe habet in codice: *Incipit lex Alamanorum, quae temporibus hlotharii regis una cum principibus ſuis, id ſunt* XXXIII. *epiſcopi &* XXXXIV. *duces &* LXXII. *comites & cetero populo coadunato edita eſt.* Habet capitula XCVI.

IX. Lex Baioariorum capitulis CCXXIV.

X. Leges Domni Caroli preſtantiſſimi imperatoris. Continet capitularia VI. quorum primò haec praemittuntur: *Incipiunt capitula legis Salicae, quas conſtituit Domnus Karolus imperator.*

XI. Codex Theodoſianus.

XII. Incipit edictum, quod renovavit Domnus Rotharius rex gentis Longobardorum. Abſolvitur capitulis CCCXCV.

XIII. Leges, quas addidit Luitprandus capitulis CLIV.

XIV. Leges, quas Ahiſtulf rex adiunxit.

XV. Alia capitula Domni Hludovvici & Chlotharii filii eius, quae perſcribenda, & ab omnibus obſervanda ſunt.

XVI. Re-

XVI. Reſcriptum conſultationis ſive exortationis epiſcoporum ad Domnum hludovvicum imperatorem.

XVII. Multa alia regum & epiſcoporum Galliae. *

LV.

Liber omeliarum beati Gregorii Papae in Ezechiel Prophetam.

LVI.

Rabani Mauri opus de cruce praemiſſa interceſſione Albini. In fine legitur: *Hunc librum ordinavit & conſcripſit ex libro Rabani de ſancta cruce diffuſo in ſcriptura & difficili in intelligentia ad honorem & laudem ipſius praeclarae ac ſalutiferae crucis frater Bertoldus de ordine fratrum predicatorum, quondam lector Nurnbergenſis anno Domini* CIↃ CCXCII. *Anima eius per gratiam Ieſu Chriſti, qui in ipſa cruce pependit, requieſcat in pace. Amen.* Sequitur liber de myſteriis & laudibus intemeratae virginis Mariae cum figuris, ab eodem Bertoldo, lectore Nurembergenſi, anno CIↃ CCXCIV. editus. Folio ultimo ſcriptum eſt: *O noli delere nomen compoſitoris, ut nomen tuum permaneat in libro vitae.*

LVII.

Paſſio S. Edmundi regis & martyris XII. Kal. decembris, cum multorum ſanctorum eccleſiae Anglicanae vitis & martyrii deſcriptionibus. Prologus de paſſione Edmundi incipit: *Domino ſanctae metropolitanae Dorwernenſium, Doroberniae & Cantuariae eccleſiae Archiep. Vrinſtano, vere moribus & aetate maturo, Abbo Floriacenſis monachus Levita.*

LVIII.

Breviarium cum copioſioribus ſolito legendis ſanctorum.

LIX.

Codex anno CIↃ CCC XI. rhythmis Germanicis ſcriptus. Dicitur *der Welſche Gaſt*, morumque doctrinam pro aetatis, qua editus eſt, ratione

* *Iudicium Tenzelii de hoc codice, quem centeſimo circiter poſt Anſegiſum anno ſcriptum credidit, vide colloquiis anni* CIↃIↃCXC. *p. 812. Complures ſunt anni, aut potius ſecula aliquot, quum huc allatus eſt Moguntia, ubi anno 1479. folio primo inſcripſerat Syndicus:* Anathema ſit, qui hunc librum a dicta libraria alienaverit, ſeu alienationis ſpecie detinuerit extra eandem [librariam] (*nimirum S. Martini eccleſiae Moguntinenſis.*)

tione complectitur. Initium eius ac finem Tenzelius anno CIↃ DCXCI. colloquio novembris inſeruit.

LX.

Moralitates magni Thomae de Anglia ſuper libros metamorphoſeos cum figuris. Codex Roma allatus e bibliotheca quadam cardinalitia.

LXI.

Digeſtum infortiatum, cuius primus titulus eſt, ſoluto matrimonio quemadmodum dos petatur? Huic codici venerandam antiquitatem tribuit Samuel Reyherus, iurisconſultus, anteceſſor & mathematicus Kilienſis, inſcriptione illa, qua sereniſſ. Principi librum offerendum curavit.

LXII.

Chronicon univerſale rhythmis Germanicis. Autor opus ſuum ſic orditur:

Criſt here Keiſer uber alle craft,
Voit himeliſcher herſcaft.

Pertexuit usque ad Vrbanum III. quod ipſe indicat argumento libri:

Di Pabiſe von ſente Peters czit,
Di czu Rome Pabſe worden ſit,
Das er keines namen virgas
Bis das an den ſtul geſas
Der Pabs ſente Vrbanus,
Der dritte, den man nante ſus.

LXIII.

Codex vernacula ſcriptus, quo continetur hiſtoria de origine & migrationibus Saxonum hoc titulo: *Incipit liber Saxonum.* Sequitur chronicon univerſale cum Hordlederi, Zollmanni & aliorum obſervationibus margini illitis. Deſinit in familia Barbaroſſae, ac de inferioris Saxoniae rebus copioſe explicat. Sub finem recenſentur Pontifices Romani usque ad Innocentium IV. nec non Imperatores usque ad Fridericum II. Additur deſcriptio familiae Welphorum usque ad Heinricum Nigrum, & annorum mundi collectio.

LXIV.

LXIV.

Hiſtoria civitatis Senenſis ſcripta poſt annum CIↃCCCCL. Finem libri adieciſſe operae pretium, opinor, fuerit.

Fuit tum civitatis ſumma tranquillitas ac floruit libertatis ſplendor: aſcitis, qui civitatem optime regerent: qui remp. profligarent iam magna ex parte ſublatis. Vnus poſt Antonium Petruccium ſororis eius filius, Ludovicus Tricircius, divini numinis contemptor clam per internuncios nova tentare auſus & cum Antonio proditionem Botondi oppidi & aliorum caſtellorum molitus non inultum ſcelus tulit: & Placentiam a XXX. viris relegatus eſt. Tempus XXX. virorum permiſſum arbitrio. Philippus quoque, qui Balata vulgo cognominabatur, reus & ipſe coniurationis coniectus in vincula, retexit conſpirationem CXLIV. qui ſe in templo divi Deſyderii & martyris iurisiurandi religione obſtrinxerant, & ſubſcriptis in tabella literis coniuraverant, unam cunctis in rebus ſervantes ſententiam. In his fuere plerique exules & qui poſtmodum relegati ſunt. Ad haec Antonium Petruccium cum plerisque eiusdem factionis ſectatoribus ap. Franciſcum Contarenum, quem Veneti legatum ad Senenſes miſerant, advocato coniuratorum conventu inſtituiſſe, ut per literas, quibus ſinguli ſua ſubſcripſerant nomina, Picininum in Etruriam accerſerent, quo deinde miniſtro ſuae libidinis uterentur. Quod factum res cum civitatis periculo ſatis ſuperque indicavit. Sed hic demum Philippus ſive tedio & conſcientia contabeſcens, ſeu vi morbi affectus in carcere diem ſuum obiit. Per hoc tempus Picininus cum ap. Brutios cum ſuo foret exercitu, conatus eſt paucis militum turmis per inſidias Æſculum in Piceno agro occupare. Reſtitit Caliſti Romani pontificis vel ſumma prudentia. Qui invaſerant, cepto irrito diſceſſere. Inſtabat ſalutatae ab angelo virginis praeclarum ſolemne, cum incarnati verbi ſalutare commemoratu myſterium celebratur, perque eam lectiſſimam diem, cum apud ſacram virginis aedem pro more ſacrarum reliquiarum educuntur ſpectacula, Senenſi populo, qui frequentiſſimus aderat, Caliſti pontificis magnae indulgentiae largitas nunciata eſt, ut conſtitutis temporibus revelaretur vetuſtum & ſacroſanctum virginis ſignum: quod in maioris baſilicae auguſto ſacello conditur & canentium choro, & omnis muſici organi modulis perſonantibus, glorioſae virginis adoretur imago, magnamque omnes, qui pie adeſſent, quot vicibus expiationem & delictorum veniam aſſequerentur: id mihi etiam munus publice delatum eſt: atque exinde magna exarſit in id delubrum populi devotio: cum anni ſeptimi & quinquageſimi initium verteretur, & vigili cura Senenſes ad firmandum reip. ſtatum intenti eſſent.

LXV.

Iuſtini hiſtorici libri XLIV.

Hunc codicem* Pius III. inter eruditiſſimos Romanorum pontificum annumerandus, elegantiſſime ſcribi, pingi, literis aureis exornari, ſuaque in bibliotheca reponi curavit, cum eſſet cardinalis. Vnde folio primo inſignia eius, quae vitis pontificum ab Oldoino editis ** cum triplici corona invenimus, birreto rubro cardinalitio tegumenti vice utuntur. Quinque lunae creſcentes pictoris incuria, an Picolominei iuſſu ſummam fortunam animo praecipientis, aut more familiae pleniores ſint, non habeo dicere. Ceterum margini codicis paſſim quaedam, interiori autem compacturae lateri haec inſcripſit praeſul optimus: *In* XXIII. (ſcilicet libro Iuſtinus) *extenſius de Gallis narrat. Nos iſtius inundationis Gallorum finem expectamus, & quid dominus pro peccatis populi ſtatuerit. Ingreſſus Italiam rex Chriſtianiſſimus* (maximus) *Carolus octavus cum circiter* XX. *milibus per Aſtenſes & Ligures per Apeninum in lunenſes deſcendit, deinde ob civiles Florentinorum diſcordias Sererana, Petra Santa, Piſae, Florentia, Senae, Viterbium usque omnia, cum haec ſcribo, in manus eius venerunt. Nunc de urbe Roma & fortuna Alexandri pon. max. agitur, qui me legatum, ut regi usque ad civitatem Aſtenſem occurrerem, miſit. Haec propter Gallorum res annotavi die 7. decembr. 1494.* De hac legatione ita ſcribit Ciaconius: *Carolo VIII. Francorum regi in Italiam contra Arragonios irrumpenti legatus ab Alexandro VI. obviam, pro tractanda pace, in Hetruriam miſſus, nec auditus, nec in caſtra receptus eſt. Quippe regi & proceribus Gallis ob recentem adhuc Pii II. memoriam erat invisus, quoniam ille ſuperiore Neapolitano bello adverſus Andegavenſes a Ferdinandi regis Arragoniisque partibus ſtetiſſet.* Eiusdem legationis mentio fit in pontificis epitaphio: *Carolo Gallorum rege in Italiam irrumpente ab Alexandro VI. ſero admodum obviam miſſus.* Factum id ſero admodum, veriſſime dicitur. Nam poſtremo decembris die rex urbem intravit inter ingentes populi plauſus, ut ait Spondanus anno CIↃ CCCCXCIV.

LXVI.

Quintilianus de inſtitutione oratoria.

Codex admirabili ſtudio confectus Romaque huc perlatus ex eiusdem cardinalis bibliotheca, cuius & inſignia praefert.

LXVII.

* *Roma advexit vir illuſtris ac generoſiſſimus, Georgius a Forſtern, conſiſtorii Altenburgici Praeſes.*

** *Tom. III. col. 209.*

LXVII.

Ariſtoteles de coelo & mundo Latine cum ſcholiis.

LXVIII.

Guillermi Ficheti, artium & theologiae Pariſienſis doctoris, libri rhetoricorum ſcripti in Pariſienſi Sorbona 1471.

Videtur ipſum hunc codicem Carolo, Cenomaniae comiti, cui dicatus eſt, autor obtuliſſe. Nam pictura folii primi, quae dedicationi praemittitur, Principem ſedentem ac ex monachi ſupplicantis manu librum ſumentem exhibet. Ut taceam laborem ſingularem ſcribendo pingendoque codici impenſum.

LXIX.

Petri de Vineis epiſtolae. Prima hunc titulum habet: *Querimonia Frederici imperatoris ſuper depoſitione ſua.* *

LXX.

Epiſtola Henrici VIII. Angliae regis anno CIↃ IↃXXIII. miſſa ad Fridericum III. Ioannem & Georgium Saxoniae duces.

LXXI.

Tychonis Brahe ſtellarum octavi orbis inerrantium accurata reſtitutio.

Exemplo huic ad Fridericum Wilhelmum, ſeptemviratus Saxonici proelectorem, miſſo haec inſcribi curavit autor:

Hos Atlanteos DVX INCLYTE ſume labores,
Quos operoſa diu noxque dieſque dedit.
Debuerant equidem quibus orti fulgere in oris,
Et iubar hinc imos ſpargere ad Antipodas.
Ni ſuperis aliter viſum, qui fata gubernant,
Vraniaeque aliter, quae ſua ſacra fovet,
Neſcia contemni, fraudari, odia invida, noxas,
Cenſuraſque rudes, ſorditiemque pati:
Plurima quaeque alias fanda atque infanda tuliſſet,
Regna niſi mallet nunc peregrina ſequi;
Nec peregrina tamen; coelum tota undique tellus
Suſpicit, aethereis invigilatque viis.
Proſperiora igitur coeleſtia Numina ſpondent,
Tanta nec ingratis ſunt peritura locis.

 His

* *In editione Schardii itidem prima eſt ac reperitur p. 87.*

His ſua manu ſubſcripſit autor: *Celſ. Veſtrae ſubmiſſe addictiſſ. Tycho Brahe.* Pagina ſecunda adſpicitur imago Tychonis ad vivum eleganter facta iuxta cum armis XVI. familiarum & ſymbolo: *non haberi, ſed eſſe.* Titulus quoque additus eſt: *Effigies Tychonis Brahe Ottonidis Dani Domini de Knudstrup, & arcis Vranienburg in inſula Hellisponti Danici Hvenna fundatoris, inſtrumentorumque Aſtronomicorum in eadem diſpoſitorum inventoris & ſtructoris. Ætatis ſuae anno 40. anno Domini 1586. compl.*

LXXII. LXXIII. LXXIV.

Tria volumina medica Ioannis conſtantis, Saxoniae electoris, manu Germanice ſcripta ab anno CIↃ IↃXV.

LXXV.

Liber plenus figurarum artificioſe pictarum, quibus athletica docetur. E bibliotheca Bavarica translatus eſt. Folio primo imagini cuiusdam athletae, quem Talhofferum eſſe arbitror, adſcripſit pictor: *Das buch hatt angeben Hans Talhoffer und geſtanden zu Mallen.*

LXXVI.

Ars dimicatoria cum figuris.

LXXVII.

Hiſtoria Alexandri Magni iuſſu Ioannis Burgundi ab anonymo Gallice ſcripta. Initio inſignia Clivenſia, fine a recentiore manu haec inveniuntur: *Philippus de Clivis.* Hic Philippus etiam monogramma ſuum appinxit.

LXXIIX.

Le Truandis de Lame. Liber aſceticus obſoletiore lingua Gallica. Pars fuit bibliothecae Clivenſis, quod inſignia ac nomen Philippi perdocent.

LXXIX.

Variae ethnicorum fabulae carmine Gallico cum figuris, quibus ſubiiciuntur gloſſae ad formandos Chriſtianorum mores attemperatae, nec non allegoriae & ſacrarum literarum dicta Latina inſtituto convenientia ſub titulo: *auctorites.* Folio primo picta ſunt inſignia Burgundica. Fini quidam ex illa familia ſymbolum ſuum nomenque adſcripſit difficillimum ad legendum.

LXXX.

LXXX.

Codex hebraicus initio mutilus, qui expoſitionem praeceptorum negativorum Moſis continet.

LXXXI.

Expoſitio in pſalmos Corderiana multo copioſior, qua olim Io. Andream Boſium in academia Ienenſi uſum declarant variae ipſius manu paſſim notatae in margine. Codex eſt in primis antiquus pureque ac emendate ſcriptus, cuius praefationi deeſſe primordium exiſtimo. Quae vero adſunt, & multa continent lectu digna, & a praefationibus Corderianis longiſſime abeunt. Quare hanc codicis praefationem hoc loco in lucem protrahemus, ut qui catenas pſalmorum deinceps edent, cum ſuis libris poſſint conferre. Verſionem adiecit vir doctiſſimus, Chriſtianus Abrahamus Gotterus, humaniorum artium magiſter. Exhibemus praeterea commentationem in pſalmi primi partem primam, ut appareat, Corderianos & noſtrum haud paullum diſcrepare. Pſalmo ſecundo pauca occurrunt apud Corderum obvia. Expoſitio pſalmi IV. cum Corderiana nihil commune habet. Eadem fere ratio eſt reliquorum usque ad XLI. in quo exponendo codex deſinit. Folio primo manus recentior inſcripſit plenam pietatis orationem ad Deum, infra quam illiteratiſſimus quidam Graeco-barbarus haec conſignavit: *Εν τȣ́τῳ τῷ βιβλίῳ — τȣ̃ ἐυλαβεςάτȣ — καὶ σοφοτάτȣ χοροεπισκόπȣ καὶ πρωτοσυγγέρȣ τῆς ἁγιοτάτης μεγάλης ἐκκλησίας ἀλεξάνδρȣ —.*

PRAEFATIO.

Ἡ ἔκδοσις· ἡ μὲν ἐπὶ Καρακάλλȣ, τȣ̃ Ρωμαίων ἡγεμονεύσαντος· ἡ δὲ ἐπὶ Ἀλεξάνδρȣ, τȣ̃ τῆς μαμαίας· ἀπάτορες μὲν ἀμφότεραι, καὶ ἀνώνυμοι, πλὴν ȣ̓δετέρα ἀσφαλής· Ἐπὶ δὲ διοκλιτιανȣ̃ καὶ μαξιμιανȣ̃ τῶν τυράννων ὁ ἱερομάρτυς λȣκιανὸς, ἀνὴρ ȣ̓χ ἧττον τὰ τῶν Ἰȣδαίων ἀκριβωσάμενος ἢ τὰ ἑλλήνων, τὰς ἐκείνων

βίβλȣς

EXpoſitio: Illa quidem Imperatore Caracalla, haec autem Alexandro Mamaeae: obſcurae utraque originis & nominis ignoti, praeterquam quod neutra ſatis certa. Imperatoribus autem Diocletiano & Maximiano Tyrannis Lucianus martyr pro fide, vir, qui non magis Graecorum quam Iudaeorum litteras percalluerat, illarum libros in

noſtrum

βίβλυς εἰς τὴν ἡμετέραν διάλεκτον μετατίθησιν ἄριστά τε καὶ ἀσφαλέστατα. ἡμεῖς δὲ καὶ τὴν τοιαύτην ἔκδοσιν σεβαζόμενοι, τῇ τῶν ἑβδομήκοντα δύο προσκείμεθα μάλιστα· ἐπεὶ διῃρημένως τὴν τῆς διαλέκτυ μεταβολὴν ποιησάμενοι μηδὲ ἐν ἑκάστοις ἔννοιαν καὶ λέξιν ἀποδεδώκασιν. Οὗτοι καὶ τὺς ψαλμὺς μεταθέμενοι τὸν πρῶτον καὶ τὸν δεύτερον ἀνεπιγράφυς ἐξέθεντο· τῷ Ἔσδρα πάντως ἀκολυθήσαντες. Ἔσδρας γὰρ Ἰυδαῖος φιλομαθὴς καὶ σπυδαῖος ἀνὴρ πρὸ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα ἐνιαυτῶν τῆς τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἐκδόσεως πολλά τε ἄλλα τῶν προφητικῶν βιβλίων διαῤῥυέντα τὸ μὲν διὰ ῥαθυμίαν τῶν Ἰυδαίων, τὸ δὲ καὶ διὰ τὰς συχνὰς αἰχμαλωσίας πάλιν συνήγαγε· καὶ μέντοι καὶ ψαλμὺς τρισχιλίυς· οἷς καὶ ἐπιγράμματα τέθεικεν ἃ νῦν ἔχυσιν. Ἀλλ᾽ ὕστερον Ἐζεκίας ὁ θεοσεβὴς βασιλεὺς, τὺς ἑκατὸν μόνυς καὶ πεντήκοντα ψαλμὺς ἐκλεξάμενος, τὺς ἄλλυς ἠθέτησε· τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ περὶ τὰ τῦ Σολομῶντος συγγράμματα πεποίηκε, τρία μόνα ἐγκρίνας· τὰς παροιμίας· τὸν ἐκκλησιαστὴν· καὶ τὸ ᾆσμα. τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα ἀποδοκιμάσας, ὅσα περιττὸς τὴν σοφίαν γενόμενος ὁ Σολομῶν περὶ ὐρανῦ, καὶ στοιχείων, καὶ φυτῶν, καὶ τῆς ἑκάστυ δυνάμεως

Expoſitio pſalmi CXIIX. Hunc librum Petrus de Vdenheym legavit eccleſiae Moguntinenſi.

VII.

Expoſitio ſuper pſalterium.

IIX.

Auguſtinus de Ankona ſuper Matthaeum.

IX.

Idem ſuper eundem evangeliſtam.

X.

Expoſitio ſuper Ioannem evangeliſtam.

XI.

Expoſitio epiſtolarum canonicarum & actuum apoſtolicorum.

XII.

Scripta ſuper apocalypſin & una quaeſtio: Vtrum omnes libri noſtrae bibliae, & praecipue tales quoad omnes aſſignificationes ſuas in ſenſu literali, ſint divini, ſeu divina revelatione conſcripti, item ſuper capitulo II. Iohelis, item alia varia ibidem, item tractatulus de lege Sarracenorum deſtruenda, & ſententiarum ſuarum ſtultitia confutanda.

> Compacturae inſcriptum eſt: *Legatio magiſtri Ioannis de Lutra, ſacrae ſcripturae licentiati, praedicatoris hujus eccleſiae. Orate pro eo.* Folio primo haec inveniuntur a manu diligentiſſimi cuſtodis bibliothecae Moguntinenſis: *Iſte liber pertinet ad librariam ſancti Martini eccleſiae Moguntinenſis. M. Syndicus sst. anno 1479.*

XIII.

Pericopae evangelicae ſingulis diebus dominicis explicari ſolitae lingua Germanica hoc titulo: *Dis ſint alle ewangelia mit den gloſen durch das gantze ior, vff den vnd den paſſion, vff den Karfritag, vnd gentzelich genomen vs der heiligen geſchrifft.* Sequitur: *Diſen paſſion den ſchribent die IV. ewangeliſten vff den Karfritag.* Fine huius centonis ſepulturae Chriſti deſcriptio ita orditur: *Do es dem obende nohte, do kam ein riche edelman, der hundert ritter hatte vnder ime. Der vvas von Armathia vnd hies Ioſeph.*

XIV. Po-

XIV.

Poſtillae Iordani ſuper evangelia dominicalia.

XV.

Homiliae Germanicae totius anni diebus dominicis accommodatae. In fine extat: *Explicit anno Domini* CIↃ CCCC. *& tertio. In feſto Symonis & Iudae eſt finitus & Iohannes Ernſt ſcripſit.*

XVI.

Directorium ſuper bibliam.

XVII.

Tractatus venerabilis Bedae presbyteri in Tobiam ſcriptus 1488.

Haymonis expoſitio ſuper apocalypſin.

XIIX.

Gregorius in Ezechielem. Liber ſcriptus anno CIↃ CCCC LXXVIII. per Nicolaum Eſchenbach.

XIX.

Petri Cameracenſis expoſitio ſuper orationem dominicam.

Heinrici de Haſſia ſermo in feſto lanceae & clavorum Domini.

Sermo de annuntiatione virginis glorioſae.

De viſitatione praelatorum ad religioſos.

Sermo magiſtri Nicolai de Grecz de paſſione Domini ab ipſo praedicatus an. 1433. in caſtro Wien.

Tractatus M. Wilhelmi Pariſienſis de pluralitate beneficiorum.

Opuſculum M. Ioannis de Gerſona cancellarii Pariſienſis, ſuper cantica canticorum.

Tractatus Gerſonis de oratione, conſcriptus ſub Conſtantienſi concilio generali anno CIↃ CCCC XVI.

Quadrageſimale de petitionibus intitulatum per reverendum M. Leonardum Stacii de Florentia generalem ordinis praedicatorum ſubtiliter collectum.

D. Conradus Wagner de quadruplici fletu.

Ambroſii libri tres de officiis.

De decimis ſolvendis.

Tituli

Tituli operum per cancellarium Pariſienſem Iohannem de Gerſona, Sacrae paginae valentiſſimum doctorem, artificioſe revera compilatorum.

XX.

Quatuor evangelia Latine.

Expoſitio canonis miſſae.

Boethius de conſolatione philoſophica cum commentariis copioſiſſimis.

XXI.

Scripta varia de S. Hieronymi vita iuſſu Eliſabethae, Moraviae marchionis, Germanice verſa per Ioannem epiſcopum Olmuzenſem.

Apologeticus vernacula ſcriptus adverſus moleſte ferentes evangelia in linguam Germanicam converti.

Stimulus amoris Germanice.

Epiſtolae Pauli Germanice.

XXII.

Acta concilii Conſtantienſis.

Hunc codicem ſaepenumero laudat Hermannus von der Hardt, cui, cum concilii acta ederet, hinc miſſus eſt Helmſtadium. Tomi I. parte XXIII. ait: *Vſi ſumus praeclariſſimo codice mſcto ducali Gothano. Qui non ſolum aetatem concilii attingit, ſed & in ipſo concilio notariorum Germanicae nationis manu videtur exaratus, in quibus Gumbertus Fabri famam praeter ceteros obtinuit. Vna eademque certe in mſcto manus, eaque pro illo ſeculo pura ac nitida. Eſtque hic codex multo profecto correctior atque integrior, quam fuerit Capranicenſis, ex quo Labbeus recenſuit. Nam in noſtro hoc codice non ſolum articulus XIII. quem in Labbeo merito deſideravit Schelſtratenus, ſuo loco comparet, ſed & magnus macularum numerus, ſenſui ſaepe prorſus inimicus, veteris ſecretarii Germanici, Gumberti Fabri, calamo erudito curate expunctus.* Paulo ante loquens de aviſamentis nationis Germanicae in concilio publicatis ita ſcribit: *Nos ex antiquiſſimo ducali Gothano manuſcripto, acta concilii Conſtantienſis complexo, hauſimus. Tantoque ſincerius hoc horum aviſamentorum exemplar, quanto veroſimilius, Gumberti Fabri, nationis Germanicae in concilio ſecretarii, cuius nomen in fine eſt ſubſcriptum, manu propria eſſe exaratum.* *

* *P. 997.*

XXIII.

Homiliae Hieronymi, Bedae, Leonis, aliorum, ſuper evangelia feſtorum & dominicarum dierum.

XXIV.

Vita S. Annonis, archiepiſcopi Colonienſis.

De translatione & miraculis S. Annonis libri IV.

XXV.

Die new Ee und das paſſional von Maria und Ieſu.

Ioannis de Montavilla iter Hieroſolymitanum, ab Ottone von dem Marck, canonico Metenſi, in vernaculam translatum ſcriptumque per Martinum Scherffen 1472.

Hiſtoria de expugnatione Troiae Germanice.

XXVI.

Liber de vita S. Hieronymi.

Stimulus amoris.

Libellus de poenitentia, cuius fine haec habentur: Explicit libellus de poenitentia ſcriptus per manus Iohannis Bibracher, ſub anno Domini CIↃ CCCC IV.

Buchlein der ewigen weisheit.

Das buch von den VI. nahmen, die das wirdig ſacrament hat in der Schrift.

Buchlein von dem Kampf der vernunft und der gewiſſen umb Gottes leichnam wirdiglichen zuempfahen.

XXVII.

Mariani commentarius de ſcripturae intelligentia. Pariſiis CIↃ IↃLXX.

XXIIX.

Conſultatio Valentini, epiſcopi Hildeſienſis, de componendis circa religionem diſſidiis hoc titulo: * *Sacrae caeſ. & cath. maieſtatis veſtrae ſerioſae iuſſioni & voluntati ordinationique nuper habiti & celebrati imperialis conventus Spirenſ. illiusque decreto de reformando componendoque*

* *De hoc Teutlebii libro omnia ſcitu digna congeſſit illuſtris Seckendorffius lib. III. Lutheran. §. CXXI. add. 1.*

doque religionis negotio ſatisfaciendo, offero ego Valentinus eps. Hildeſemen. maieſtatis veſtrae devotus & obſequentiſſimus ſervulus eidem Sac. maieſtati veſtrae librum hunc, meam ac nonnullorum bonorum, piorum & doctorum theologorum catholicorum ſententiam & iudicium in ſe continentem, qualiter & quibus mediis controverſi religionis Proteſtantium & Auguſtenſ. confeſſionis ſtatuum articuli etiam in eorundem confeſſione Auguſten. non comprehenſi & poſiti (in oecumenico tamen ac generali concilio, & non alias, modo inclytam nationem Germanicam ſchismaticam facere nolimus) conciliari, componi & concordari, vel ſaltem tolerari poſſent. Salvo ſemper in omnibus orthodoxorum patrum & doctorum virorum melius & rectius ſentientium ſaniori & prudentiori conſilio & catholica cenſura.

Anno CIↃ IↃ XXXXV.

XXIX.

Regiſtranda der religions-händel und ſchrifften incluſis Bauern aufruhr, wiedertäuffer in Düringen, belagerung der Stad Münſter. Verfertiget 1583.

XXX.

Allerley religions-ſchrifften von anno 1524. biſs 1579.

Initio reperitur copia epiſtolae Eraſmi ad Georgium Saxoniae Ducem ſcriptae anno 1524. In editione noviſſima eſt DCCIIX. Sub finem, ubi in editis legitur: *quidam*, antiquum hoc exemplum ita habet: *Hic tamen fremunt. Oecolampadius in ſingulis concionibus aliquid iaculatur in eum libellum.*

XXXI.

Religions-acta von anno 1548. Primum locum occupat: *Herzog Moritzen zu Sachſen, und des Marggraven zu Brandenburg, beyder Kuhrfurſten, Vereinigung des interims-halben.* Ibidem inter alia inveniuntur:

Beſchluſs des Landtags zu Leipzig unſer chriſtliche religion belangend 1548. Ausſchreiben Herzog Moritzen anno 1549.

Multa Strigelii cum Flacio controverſiam illuſtrantia, inprimis *Furſtliche inſtruction die viſitation belangend, welche an. 1562. pro reſtitutione Victorini Strigelii vorgenommen, dardurch die ecclesiae diſſipirt, und groſſer iammer leyder erfolget.*

Acta mit Alexio Breſsnicero an. 1562.

Acta viſitationis eccleſiarum in Thuringia inſtitutae 1562.

Multa ſecundam viſitationem, quae poſt Io. Friderici II. captivitatem a Io. Guilielmo, Saxoniae Duce, anno 1569. inſtituta eſt illuſtrantia.

XXXII.

Volumen controverſias religionis ab anno 1560. in Saxonia agitatas complexum. Heic multa ſunt autographa Illyrici, Simonis Muſaei, Wigandi, Chriſtophori Irenaei, Ioannis Marbachii, Ambsdorffii & aliorum. Praeterea de excommunicatione & uſu clavium iudicia theologorum. Initio voluminis collecta ſunt acta in eccleſiis Mansfeldenſibus circa errorem Flacii.

XXXIII.

Der Fürſtlichen Sächſiſchen Wiederlegung der Apologiae des Franckfordiſchen Abſchieds an. 1558.

Verlegung Illyrici der Apologiae des Franckfordiſchen buchs, welche Philippus wieder das Waymariſche bedencken geſchriben hat.

XXXIV.

Sarcerii, Illyrici & Aurifabri *ſchreiben de confutationibus.*

Ambsdorffii, Muſaei & Stöſſelii *bedencken Victorini halben.*

Erharti Schnepffii, Strigelii, Andreae Hugelii *ſchreiben de confutationibus an. 1558.*

Theologorum Vinarienſium iudicium de colloquio Altenburgi habendo. an. 1567.

Eorundem ſententia de reſtituendis paſtoribus a Io. Friderico II. ob improbatam Strigelii declarationem loco motis. an. 1567.

Theologorum & politicorum ſententia de iure vocandi miniſtros eccleſiae Vinarienſis.

Electoralium conſiliariorum propoſitio de colloquio Altenburgenſi.

Theologorum & politicorum ſententia de edendis actis Altenburgenſis colloquii.

Quae

Quae hoc volumine continentur, omnia ſunt autographa.

XXXV.

Volumen, quo reperiuntur: *Antwort auf M. Victorini iungſte ubergebene ſchrifft und mundliche gegenwürffe im colloquio zu Grimmenſtein gepflogen 1559.*

Victorini antwort und erklerung auf die letzt zugeſtellten Schriften.

Fünf ſchriften der Theologen auf Victorini ſchrift.

Multa alia huius generis autographa.

XXXVI.

Volumen, quo continentur nonnulla de libello interim, de confutationibus iuſſu Io. Friderici II. adornatis, de controverſiis Flacii, Stöſſelii & Maximiliani Mörlini. Initio extat pactum Ferdinandi I. & Mauritii Saxonis adverſus electorem anno 1546. initum. Pleraque ſunt autographa.

XXXVII.

Acta ſynergiſtica anni 1562. Initio habetur autographum pacificationis a Theologis Saxonicis & Wurtembergenſibus cum Victorino inſtitutae, cui & declaratio inſeritur. Subſcripſit autor concertationis haec verba: *Ego Victorinus Strigelius hac ſubſcriptione teſtificor congruere hanc commemorationem cum iis, quae & privatim & coram nobilibus & clariſſimis viris, dominis conſiliariis illuſtriſſimi Principis, Iohannis Friderici, Ducis Saxoniae, & Theologis ex hac provincia delectis, inter dominos Theologos Wirtembergicos & me acta ſunt menſe Maio anno Chriſti 1562. & in declaratione huic ſcripto inſerta pie & conſtanter acquieſco.* Adduntur ſubſcriptiones & ſigilla cum Saxonicorum tum Wurtembergenſium theologorum. Sunt etiam in hoc volumen congeſtae paſtorum ſubſcriptiones originales per provincias Saxonicas domus Erneſtinae.

XXXIIX.

Proteſtationes & argumenta ſingulorum miniſtrorum verbi divini, qui ſubſcriptionem Strigelianae declarationis detrectarunt. Omnia ſunt autographa.

XXXIX.

Literae viſitatorum ad Ioannem Fridericum II. de paſtoribus ſubſcriptionem averſatis haud tolerandis in ſacro munere. Epiſtolam primam ſcripſit die XII. Iulii CIↃIↃLXII. Ienae D. Chriſtianus Bruck, cancellarius, quae plena eſt conſiliorum callidorum. Pleraque ſunt authentica.

XL.

Varia ad hiſtoriam Saxonicam, in primis eccleſiaſticam, pertinentia. Initio reperias epiſtolam an. 1519. Cellis ad Fridericum ſapientem ab Henrico Brunſuicenſi ſcriptam adverſus electionem Caroli V. pro Franciſco I. rege Galliarum. Pleraque ſunt autographa.

XLI.

Literae Theologorum quorundam, Chriſtophori Irenaei, Barthol. Roſini, Ioan. Wigandi, Coeleſtini, Heshuſii, Sim. Muſaei & Ioannis Aurifabri ad Ioan Guilielmum, Saxoniae Ducem.

Aurifaber, qui, ut ex epiſtolis manu eius ſcriptis intelligitur, cum ſummis viris commercium habuit, die IV. ſeptembris anno CIↃIↃLV. ſcribit ad laudatiſſimum* hunc principem: *E. F. G. wiſſen ſich gnediglich noch zu errinnern, meines fleiſses und untertheniger wohlmeynung in der Engliſchen ſachen. Vnd wenn E. F. G. Herr Vater domals gefolget hetten, ſo weren E. F. G. mit göttlicher hülfe itzt König zu Engelland. E. F. G. weren auch von allen Enggellendern geliebter gehalten, denn der itzige König, und iſt noch vieler Enggelländer klage, das dieſs groſs Glück, das durch die Heyrath an einen andern kommen, iſt in wind geſchlagen und verſäumet worden.*

XLII.

Acta remotionis & reſtitutionis Barth. Roſini & diaconorum eius, multaque alia res anno 1562. & proxime ſequentibus in eccleſiis Thuringicis geſtas accurate exponentia.

Huic volumini inſerta eſt acris epiſtola Heinrici medii, Rutheni, ſcripta anno

* *Saepe miratus ſum, cur Thuanus anno 1553. lib. XIII. hunc principem, qui multa prudentiae fortitudinisque ſpecimina in Gallia & Germania edidiſſet, non exceperit, cum ſcriberet, Io. Friderici electoris obſcuriorem poſt mortem famam fuiſſe, quod liberos longe ſui diſſimileis reliquiſſet. Obſervavi autem nuper, in editione Aurelianenſi, quae anno 1626. prodiit, ita legi: quod liberos paterna calamitate oppreſſos reliquiſſet.*

anno 1565. qua Io. Fridericum, cuius ſaepe facta eſt mentio, reprehendens eccleſias defendit a vaſtatione. Porro heic inveniuntur literae Wolfgangi, Domini de Schönburg & Waldenburg, quem Auguſtus Saxoniae elector, motus calliditate eorum, quos ſcriptores illius aetatis crypto-calvinianos vocant, anno 1567. captivum detinuit, cum antea paſtores eius ſacro munere privaſſet.

XLIII.

Acta cum Kloedio, Stöſſelio & aliis circa religionem. In hoc volumine, multa habentur de captivitate Petri Prehmii, cancellarii Ducum Saxoniae.*

XLIV.

Acta cum Luca Tangelio & Durfeldo.

XLV.

Inſtructiones & literae Principum de negotio religionis anno 1570.

Hoc volumine multa continentur, quibus diſſidium inter Auguſtum electorem & Io. Guilielmum, cauſaeque illius variae intelligi poſſunt. Inſertae ſunt multae epiſtolae Iulii, academiae Helmſtadienſis conditoris, & aliorum Principum, nec non Wigandi, Heshuſii &c. Omnia ſunt autographa.

XLVI.

Landtags-handlung zu Leipzig anno 1548. ſambt dem Leipziſchen interim.

Abſchied zu Coswig 1557.

Acta des Landtags zu Torgaw 1570. cum multis aliis.

XLVII.

Bericht, was ſich nach abſterben Herzog Iohann Wilhelms anno 1573. zugetragen.

XLIIX.

Relatio de iis, quae in religionis negotio poſt fata Io. Guilielmi Saxoniae Ducis, facta ſunt, nec non confeſſio fidei viduae huius Principis, Dorotheae Suſannae. Omnia Germanice ſcripta ſunt.

XLIX.

Relatio de morte Io. Guilielmi ac multa alia, quibus educatio liberorum

* *Conſ. epiſtolas Gothanas num. 22.*

rum eius, nec non remotio miniſtrorum eccleſiae iuſſu electoris Auguſti, tutoris legitimi, inſtituta deſcribitur.

Si catalogo, qui hoc volumine invenitur, fides adhibenda eſt, Auguſtus poſt obitum Ioannis Guilielmi CXXIX. miniſtros eccleſiarum in regione defuncti Principis loco movit. Pleraque ſunt autographa.

L.

Miſcellanea theologica ab anno 1556. usque ad annum 1573.

Hoc volumen comprehendit priores de formula concordiae conſultationes & Ienenſium de Iacobi Andreae inſtituto iudicium. Pauca ſunt apographa.

LI.

Geſta poſt mortem Io. Guilielmi, Saxoniae Ducis, in eccleſia Vinarienſi anno 1573. Hic faſciculus fere totus conſtat autographis.

LII.

Geſta in eccleſia Vinarienſi a menſe Aprili an. 1573. usque ad Iulium 1574.

LIII.

Geſta Vinariae usque ad initium Martii 1575.

LIV.

Acta eiusdem argumenti a IX. die Martii 1574. usque ad XXX. Iulii 1575. Pleraque ſunt autographa.

LV.

Epiſtolae Io. Wigandi, Heshuſii, Simonis Muſaei & multorum Principum ad Dorotheam Suſannam, viduam Vinarienſem. Omnia ſunt autographa, etiam hae Lipſii literae:

Illuſtriſſima Princeps & Domina clementiſſima.

Quod ex litteris illuſtriſſimae Cel. T. intellexi, de orationibus illis divulgandis, quae in funere illuſtriſſimi & auguſtae memoriae Principis, D. mei clem. recitatae fuerunt: id mihi gratum accidit, non ſolum quia res ea honori incliti & poſt hominum memoriam optimi Principis augendo eſſe videbatur; ſed etiam quia facultatem mihi oblatam videbam, in qua propenſionem animi mei & devinctiſſimam voluntatem Cel. T. declararem. Nam quod Cel. T. ad hanc rem orationem etiam meam poſtulandam exiſtimavit; etſi ea eiusmodi eſt, ut tanto Principe parum videatur digna: tamen & omittere

aliquid,

aliquid, quod ad illuſtrandas Herois illius poene divinas virtutes pertineret, nefas putarem; & non parere Cel. T. petenti, quae ius habet imperandi, hominis eſſet parum aut de ſuo officio, aut de Cel. T. dignitate cogitantis. Mittam igitur diebus proximis orationem deſcriptam accuratius, tum etiam ab extemporanea illa dictione expolitam melius: in qua ſi Cel. T. non aliud delectet, res tamen ipſa, de qua ſcripta eſt, tum etiam prompta voluntas mea parendi grata illi ut ſpero erunt. Quam quidem voluntatem ad extremum vitae ſpatium erga illuſtriſſimam Cel. T. & inclitam familiam veſtram conſervabo. Deus illuſtriſſimam Cel. T. cum dignitate ſervet incolumem. Ienae a. d. XVI. *Kal. Iun.* CIↃ D LXXIII.

Ill. Cel. T.

Devotus & addictus cliens
IUSTUS LIPSIUS ISCANIUS.

LVI.

Acta in eccleſia & aula Vinarienſi anno 1578. Hoc faſciculo multae ſunt Iacobi Andreae, Martini Chemnitii, Timothei Kirchneri, Conradi Piſtorii aliorumque theologorum & politicorum epiſtolae propria cuiuslibet manu exaratae.

LVII.

Faſciculus eiusdem argumenti collectus ab Aprili 1579. usque ad eundem menſem anni 1581. Videas hic varios libellos, quos inter ſunt: *Eine Schrift zu erhaltung der öffendlichen Kirchenbuſs und verſöhnung der ärgerlichen Perſonen 1580. im Synodo zu Waymar uberantwortet durch Bartholome Gernhart, hofprediger daſelbſt.*

Synodus zu Eisleben den 19. Septembris 1580. gehalten.

LIIX.

Acta in eccleſiis Thuringicis ab anno 1575. usque ad annum 1577.

LIX.

Ioannis Caſimiri Palatini literae ad Ioannis Guilielmi Vinarienſis coniugem ab anno 1561. usque ad 1586.

LX.

Literae Ludovici, Electoris Palatini, nec non coniugis & matris eius ad Io. Guilielmum Vinarienſem ac viduam huius Principis.

LXI. — LXIV.

Literae Principum varii argumenti.

LXV.

Principum & theologorum literae conſolatoriae ſuper obitu Io. Guilielmi, lineae Erneſtinae in domo Saxonica propagatoris.

LXVI.

Literae exulum Thuringicorum aliorumque theologorum anno 1573. usque ad 1580. ſcriptae ad Auguſtum electorem & Dorotheam Suſannam, viduam Vinarienſem.

LXVII.

Acta quaedam reformationem eccleſiarum in Thuringia ab Auguſto electore ſuſceptam deſcribentia.

LXIIX.

Variorum epiſtolae ad viduam Io. Guilielmi Vinarienſis.

LXIX.

Geſta in eccleſiis lineae Erneſtinae ſub tutela Auguſti electoris.

LXX.— LXXV.

Sex tomi collectaneorum eiusdem argumenti. Pleraque ſunt autographa.

LXXVI.

Dorotheae Suſannae, viduae Vinarienſis, confeſſio fidei, Germanice.

LXXVII.

Meditationes & ſoliloquia Io. Friderici II. Saxoniae Ducis, animo & manu in octovicennali cuſtodia elaboratae, collecta autem a Matthaeo Albino, & anno 1598. Proëlectori Friderico Guilielmo oblata.

Inter alia Albinus ſic inquit epiſtola dedicatoria: *Nil potuit mihi contingere optatius, quam ut pium hoc & illuſtre meditationum & ſoliloquiorum fragmentum obſequentiſſime deponerem ad manus Celſitatis veſtrae, quod ab eiusdem illuſtriſſimo patruo* καὶ ἀναδόχῳ: *Ioh. Friderico II captivitate viginti octo annorum afflictisſimo Principe ſic mihi creditum eſt Neapoli Auſtriae anno nonageſimo quarto, quo Stiram verſus importandus erat: de eo ut facerem pro iudicii & pietatis affectu. Erat ſane ſors noſtra ſors ſummae difficultatis, ſummus animi dolor, hic furor & rabies diaboli, illic rerum humanarum*

manarum vanitas. Teſtatur ibidem Albinus, threnorum Principis ad XIII. annum ac in ipſa morte conſors, die IX. Maii anno 1595. intra 7. & 8. veſpertinam in vera agnitione Dei ac fide animam efflaſſe non aliter, ac ſi placidus ſomnus membris & ſenſibus illaberetur, amiſſisque omnibus conſtanter uſum apophthegmate: *Allein Evangelium Iſt Ohne Verluſt.*

LXXIIX.

Volumen, quo varia habentur manu Io. Guilielmi, Vinarienſis Principis, conſignata.

LXXIX.

Colloquium Maulbrunnenſe anno 1564. die X. Aprilis habitum.

LXXX.

Apologia der ſupplication-ſchrifft wieder die Zurigſche Theologen.

LXXXI.

Eadem apologia. Conſultatio pontificis de bello ſacro. Multa theologica manu Io. Gerhardi & aliorum. *Chriſtophori Oſterodi antwort auf Georgen Tradeln, beider rechten Doctoris, iudicium.*

LXXXII.

Formula concordiae, prout a Theologis primum concepta eſt, Germanice.

LXXXIII.

Der Landgrafen zu Heſſen bedencken die Sechſiſche Religions-reformation betreffend, ad Auguſtum Saxoniae Electorem.

Palatini bedencken aufs concordien-buch.

Multa alia eiusdem argumenti.

LXXXIV.

Variorum iudicia de formula concordiae, nec non D. Naevii cauſae recuſatae receptionis corporis doctrinae Philippi.

LXXXV.

Collectanea theologica e bibliotheca Io. Gerhardi. Primum locum obtinet *Bericht von dem corpore doctrinae Philippi.* Hoc volumine extat nonneminis, cuius nomen ſtudio obliteratum eſt, ad D. Caſparem Nae-

 vium,

vium, medicinae profeſſorem Lipſienſem, epiſtola, qua de Chytraei hiſtoria Auguſtanae confeſſionis haec ſententia fertur:

Remitto hiſtoriam A. C. a Chytraeo editam. Multa omiſſa, quae in bibliotheca D. D. Coeleſtini vidi, non incommode huic hiſtoriae addenda: & fortasſis etiam progreſſu temporis adiicientur. Atque iſta ego feror opinione, ſimultatem inter D. D. Chytraeum & D. D. Coeleſtinum, qui aperte queritur, per Chytraeum pleraque ſcripta, quae non ex tomis Lutheri ſunt huc transſumpta, e ſua bibliotheca furtim eſſe ſurrepta, quae tamen ipſe magno aere ſibi compararit, atque eius fidei domi ſuae inſpicienda commiſerit: deinde amorem pecuniae iſtam editionis feſtinationem peperiſſe. * *Nec dubium eſt: quin ſi illa animorum coniunctio, quae olim fuit inter utrumque Doctorem, diſſoluta non fuiſſet, hiſtoria illa multo abſolutius & locupletius congeſta proditura fuiſſet, & fortasſis etiam dexterius. Adhibiti enim forte fuiſſent in congerendo alii pii & intelligentes inſpectores, qui Chytraeum admonuiſſent de iſto inſigni & eccleſiae Chriſti pernicioſo mendacio, quo veram & ſinceram C. A. deformat, aſſerendo, in poſterioribus editionibus conſcio Luthero verba nonnulla eſſe mutata, quae quidem in ſenſu nihil pariant diverſitatis, ſed potius illuſtrent in prima editione obſcurius poſita. Haec quam impia & impudens ſit calumnia, quam etiam depravatores Auguſtanae C ambabus manibus arripient, pii & recte ſentientes facile intelligunt, & profecto tam ſervilis aſſentatio tantorum virorum plurimum ſemper damni dedit eccleſiae, & niſi Chytraeus correxerit iſtum hypocriticum, imo manifeſte falſum paragraphum, ſpero Deum noſtrum daturum bonos viros, qui mendacium iſtud nervoſe confutent. Pie igitur & graviter feciſti, quod huius tanti ſcandali admonuiſti Chytraeum.*

LXXXVI.

Volumen a Gerhardo collectum, cuius initio habentur monita in opere biblico Erneſtino obſervanda.

LXXXVII.

Collectanea e bibliotheca Georgii Mylii, qui folio primo haec inſcripſit hiſtoriam eccleſiaſticam ſub Chriſtiano I. electore Sax. non parum illuſtrantia:

Defuncto Auguſto ſtatim tripudiatum de mutatione. Mille rumores ſparſi de Chriſtiano favente adverſariis. Miniſtri in odium adducti. Non promoven-

* *Hic ſenſus hiulcus eſt. Sed damus verba ex autographo. Conf. Chytraei epiſtolam ad Naevium, cuius autographum habemus, in epiſtolarum opere a filio edito p.* 1128. *Adde p.* 1085.

moventur, qui cum illis familiaritatem colunt. Calviniſtae in collegium aſciti. Maior non cohercitus. Theologi ſemper aſpere excepti. Concionibus publicis impune contradicitur. Liber concordiae exploditur. Pezelius oberrans humaniter exceptus. Polycarpi dimisſio. Ad conventum Torgenſem quales adhibiti; warnen wir vor böſen Leuten, bellum habemus: Commendamus aliquos, illis plurimum nocemus. Franckenberg. In collegis adiungendis noſtra non requiruntur iudicia. D. Voiti receptio. Theologorum conſenſus exoſus. Philippica ratio docendi probata. Reprehenditur redargutio errorum. A Catharinalis oratio. Fincken - geſang. Idyllion de capra. Epitaphium ubiquitatis. Schreiben an den Churfurſten zu Brandenburg. Officii mei cancellariatus excuſſio. D. Matthaeo literae fictitiae miſſae. Maior ad Calvini imaginem quod ſcripſit.

Maior hic, celebris tunc academiae Vitebergenſis Poëta & theologomaſtix, Mylio proſpero fortunae flatu adhuc utenti venae ſectionem gratulatus eſt carmine, quod ſpeciminis loco ex autographo adſcribemus, quoniam poëmata eius hodie rariora ſunt & plerisque ignota.

Reverendo & doctisſimo viro, Domino Doctori Georgio Mylio, cancellario acad. Witteberg. Domino & amico ſ. colendo.

Qui veram oppoſito pietatem corpore Myli
Aſſeris ad fictum relligionis opus:
Tunc ubi Luciferi fratres tibi fata parabant,
Ni Chriſti ſubitam dextra tuliſſet opem:
Nunc opera impenſa bene de regione mereris,
Quae patris Auguſti ſub ditione iacet.
Cumque anni ratio iubeat praevertere morbos:
Vena tibi medica fluxit aperta manu.
Ergo Dei, pariterque tuae virtutis amantes
Mittere pro miſſo ſanguine vota decet.
Et niſi ſumſiſſem purgantes viſcera ſuccos:
Quae res invitum me tenet una domi:
Mallem voce tibi, quam verſu optare ſalutem,
Atque per alternas verba movere vices.
Quare des veniam quod corpore cogar abeſſe,
Qui tecum ingenuo pectore ſemper ero.

Tuam excellentiam colens ex animo:

IOH. MAIOR. D.

LXXXIIX.

Volumen, quo inter alia continentur acta conventus Lipſienſis Theologici anno 1630. inſtituti, manu D. Io. Gerhardi, qui interfuit, ſcripta.

Deliberatum eſt de libris Foreri contra pupillam, compoſ. pacis Dilling. reformatione eccleſiarum evangelicarum Auguſtae Vindelicorum a pontificiis ſuſcepta, nec non de Iubilaeo evangelicorum. Eodem volumine reperias acta conventus theologici anno 1628. die 1. ſeptembris habiti, ab eadem Gerhardi manu, nec non Gerhardi librum de controverſia Rathmanni & notas in canticum canticorum.

LXXXIX.

Plathneri liber de iure reformandi. Eiusdem libri κυριακῶν.

XC.

Ejusdem in evangelia dominicalia obſervationes philologicae cultioris doctrinae copia refertiſſimae.

XCI.

Volumen varia eccleſiae Auguſtanae fata deſcribens. Liber primus habet hunc titulum: *Wie die Keiſerliche Stadt Augſpurg erſtlich von denen Rottengeiſtern belegert, endlich aber durch die Schwermer erobert iſt worden 1534.*

Sequuntur: *Ein Gaiſtliche Prob, wie man die Geiſter zu unſern Zeiten probieren ſoll. Caſpar Huber 1534.*

Acta Doctoris Iohannis Forſteri mit unſern herren Predicanten alhie zu Augspurgk anno 1535 & ſequentibus. Heic inſeruntur multa apographa literarum Lutheri, Melanchthonis, Forſteri & Viti Theodorici nunquam editarum.

XCII.

Collectio eorum, quae ab anno 1581. usque ad annum 1592. in eccleſia Auguſtana acta ſunt. Hunc faſciculum ipſe Georgius Mylius collegit.

XCIII.

Varia theologica & hiſtorica ſeculi XVI. Poſt Eberi *bedencken* de ſacra coena habetur heic *der Staendte im ertzſtifft Magdeburg bedencken von Reformation der Stiffte und Clöſter:* Hoc volumine reperitur etiam hiſtoria

hiſtoria reformationis eccleſiae Hamburgenſis cum catalogo miniſtrorum, qui uſque ad annum 1605. docuerunt, nec non *bedencken der Kirchen-reformation zu Ravenſpurg durch die diener des VVorts daſelbſt beſchriben* 1546.

XCIV.

Varia theologica, in quibus ſunt Melanchthonis *antwort auf die VVeymariſche confutationes*, multa de conventu Naumburgenſi, de Petri Ilosnani deſperatione, diſputatio Brentii, Andreae & Marbachii ex mandato principum cis Rhenum Pfedershemii anno 1557. habita contra anabaptiſtas, Lutheri ſententia de praedeſtinatione ex iſtius ore concepta 1542. die 18 Februarii, cenſurae de uſuris, *Hiſtoria Martini VVolffii, wie er von vvegen einer predigt, die er fur dem Churfürſten zu Sachſen, Herzog Auguſten, zu Colditz gethan, iſt verfolgt und des Landes vervveiſet vvorden*, Gedanenſia circa annum 1565. *Oſiandri Schreiben vvider Heinrichs Schvverdfegers aufrüriſche buchlein 1524.*

XCV.

Erneſti, Haſſiae Landgravii, *ſo vvahrhaffte, als gantz aufrichtig-und diſcret-geſinnete catholiſche, oder, von dem heutigen Zuſtand des Religion-vveſens in der VVelt.* *

XCVI.

Liber idem.

XCVII.

Erbliches VVidembuch aller Pfarren im Ortt, Lande zu Francken. 1556.

XCIIX.

Liber cantionum ſacrarum, Latinarum & Germanicarum, cum notis muſicis quatuor vocum, quem confici Io. Fridericus elector Sax. iusſit. Initio haec ſcripta ſunt:

> *Hic cantionum eccleſiaſticus liber ab illuſtriſſimo principe Saxonum, ſacrique Romani imperii electore, D. Iohanne Friderico, in huius arcis novum ſacellum comparatus eſt. Ab Ioanne Gewalthero, earundem eccleſiaſticarum cantionum moderatore conſcriptus, anno ab orbe redemto milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto menſe Iulio.*

Si

* *Vide Placcii anonymos p. 420.*

Si neſcis Chriſtum & vincis Ariona cantu:
Debetur Muſis gloria nulla tuis.

Compacturae impreſſa eſt effigies electoris cum hac epigraphe: *Non minor hic virtute ſuis maioribus olim, tu modo Chriſte fave, Ian-Fridericus erit.* Catalogum cantionum Germanicarum, quod ad componenda de earum auctoribus diſſidia utilis videretur, diſſertationis meae de propagatione haereſium per cantilenas capiti ultimo adieci.

XCIX. C.

Pſalterium Davidis iuxta translationem D.D. Chriſtophori Corneri, ſecundum octo vulgares tonos quatuor vocibus concinnatum a Nicolao Roſthio 1595. Liber templi aulici Vinarienſis.

CI.

Volumen acta cum Wanslebio complexum.

Qua re factum ſit, ut Erneſtus Pius Gregorium Habeſſinum in aulam Gothanam vocaret, conciperetque deſiderium cognoſcendi ſtatum atque res eccleſiarum Chriſtianarum in Æthiopia, operis ſui dedicatione & prooemio* commentarii in hiſtoriam Æthiopicam copioſe commemorat Iobus Ludolfus. Hoc loco ſatis eſt meminiſſe, Gregorio, cum in patriam reverteretur, mari ſubmerſo non idcirco Principis ſtudium deſiiſſe. Adhibitis enim ad deliberationem prudentiſſimis viris anno CIↃ IↃCLXIII. Ioannem Michaelem Wanslebium, Erffurtenſem, itineris huius cupidiſſimum iuvenem, in Abyſſiniam ablegavit hac lege, ut ſe, hominem privatum, linguarum orientalium & phyſicae ſtudio adiiſſe regionem illam diceret: quodſi conciliare ſibi inſtitutoque ſuo regni proceres poſſet, promeret tandem, ex quo fama de Habeſſinorum eccleſiis ac admirabili earum inter barbaros adiacentes conſervatione gentisque victoriis & nupera rerum commutatione per Europam increbuiſſet, principem quendam Erneſtum (a quo literas commeatus Habeſſinorum lingua ſcriptas acceperat) facturum ſumtus, ſi Habeſſini viros idoneos ad pervidendam purioris eccleſiae in Europa conditionem mitterent, amicitiasque cum illa gente iuncturum. Ac dici vix poteſt, qua prudentia & cautione in conſilio hoc capiendo uſus ſit, quod, ſive parſimonia ipſius principis, ſive Wanslebii levitate, parum proſpere ceſſiſſe eccleſiaſticae hiſtoriae amantes vehementer dolent. Non enim in Habeſſiniam penetravit, ſed perluſtrata Ægypto ſuperiori venit in familiaritatem Matthaei, patriarchae Alexandrini, a quo literas Arabice ſcriptas & in operis dedicatione laudatas a Ludolfo, principi

* *P. 31.*

cipi

cipi attulit: quae huic volumini iuxta cum Iohannis, Komoſi in eccleſia Alexandrina S. Marci, prolixa epiſtola inſerta eſt. His literis, quas Wanslebius opuſculo Italico * obiter laudavit, patriarcha, cui Habesſinorum eccleſiae quodammodo ſubſunt, cauſas affert, quare Wanslebio itineris in Habeſſiniam diſſuaſor fuerit, ac principem pro more gentis onerat verius, quam ornat titulis extra modum procedentibus. Wanslebius circa finem anni CIↃ IↃCLXIV. Alexandria profectus die XVI. Februarii anni ſequentis in Liburnum portum defertur. Sed cum impenſae pecuniae rationes parum probaret Erneſto, vix auſus in patriam redire ſubſtitit Florentiae, donec Romam peteret in familiam Dominicanorum recipiendus. Inde anno CIↃ IↃCLXVIII. ſcripſit ad principem, ſe in conventu S. Mariae ſupra Minervam honeſte ali, quem non cuivis, ſed tantum nobilibus Romanis, aut rariſſimis ingeniis & ſanctisſimae vitae hominibus adire contingat. Ibi cum doctis viris, & in his cum Athanaſio Kirchero familiaritatem contraxit, a quo interpretatione obeliſci Ægyptiaci p. 138. eruditiſſimus vir, orientaliumque linguarum notitia illuſtris dicitur. Ex Ægypto miſit principi narrationem de regione illa membratim lingua vernacula conſcriptam, quae edita multo copioſior hoc volumine continetur. Anno CIↃ IↃCLXXI. Pariſiis in lucem publicam emiſit *Relazione dello ſtato preſente dell' Egitto* & magno Hetruriae Duci inſcripſit, vix ſemel mentione facta Erneſti Pii, cum narrat, Gregorium Habeſſinum in eius aulam vocatum fuiſſe. ** Ac poſtea, ubi iter, quod deſcribit, ſibi a principe quodam iniunctum dicit, ne nominare quidem dignatus eſt. *** Idem Wanslebius ſecundum petiit Ægyptum anno CIↃ IↃCLXXII. cuius itineris narratio publicata eſt Pariſiis anno CIↃ IↃCLXXVII. hoc titulo: *Nouvelle relation en forme de Iournal, d'un voyage fait en Egypte par le P. Vansleb, R. D. En 1672. & 1673.* Priori libello haec inſcripſit Ludolfus: *Sciendum autorem huius libelli, Iohannem Michaelem Wanslebium, patre Iohanne Wanslebio, eccleſiae Lutheranae iuxta aedem S. Andreae paſtore Erfurti in Thuringia natum, a me literis Æthiopicis inſtructum, meisque ſumtibus in Angliam ad imprimendum lexicon meum Æthiopicum miſſum. Inde cum rediiſſet, a ſereniſſ. principe ac Domino meo, Domino Erneſto, Saxoniae Duce, in Ægyptum miſſus fuit, eo conſilio, ut in Abeſſiniam pergeret. At ille, quamvis ſalvus in ſuperiorem Ægyptum pervaſiſſet, poſthabita fide data, conſumtaque pecunia in Europam reverſus eſt peſſima fama, quacunque tranſierat. Igitur factorum ſuorum rationem reddere deſperans in Italia reman-*

I *ſit,*

* *P. 133.* ** *P. 29.* *** *P. 133.*

ſit, atque Romae ex deſperatione monachus factus anno 1666. Poſtea, ut mihi relatum fuit, monachis quibusdam aſſumtis relationem hanc de praeſenti ſtatu Ægypti ex Germanica lingua, in qua eam primo deſcripſerat, Italicam fecit, multisque in locis alteravit, prout ex eius autographo Germanico demonſtrare poſſum. Tandem obtenta licentia Lutetiam Pariſiorum venit, ibique hunc foetum ſuum in lucem emiſit. Poſt quae diſpenſante epiſcopo, ſeculari habitu coëmendis libris orientalibus a Colberto rurſus in Orientem miſſus fuit.

CII. — CXI.

Volumina X. a Bartholom. Gernhardo, concionatore aulico Vinarienſi ſaepe in exilium acto, privata induſtria collecta ab anno 1567. uſque ad annum 1597. quibus copioſe narrantur fata eccleſiarum Thuringicarum. Pleraque ſunt autographa Gernhardi & eius aetatis theologorum.

CXII.

Aller Pebſte Leben, geſchicht und Stifftung anno 1513. Liber ſcriptus eſt manu Georgii Spalatini, qui vitas ſequentium pontificum usque ad Paulum III. diverſis temporibus adiecit. Vbi res Clementis VII. exponit, notat in margine, hunc praeſulem anno CIↃ IↃXVIII. literas ad ſe dediſſe additas Leonis Brevi adverſus *dilectum patrem* (ita vocat) D. Martinum Lutherum, quibus ſe nominaſſet Iulium cardinalem S. Laurentii in Damaſo.

CXIII.

Vita Lutheri lingua vernacula. * Liber hic magno iudicio conſcriptus eſt. Sequitur eodem hoc codice: *Bericht, was ſich nach Lutheri Tod mit Churfürſt Iohann Fridrichen zu Sachſen und in der Religion begeben.*

CXIV.

Varia ad eccleſiarum Saxonicarum & Miſnicarum, inprimis vero Numburgenſis epiſcopatus hiſtoriam pertinentia.

CXV.

Paſſauiſcher vertrag, Leipziger convent, Bedencken, und andere das Religions-Werck betreffende Schrifften.

CXVI.

* *Laudat hunc codicem Sagittarius Tom. VII. Altenb. p. 427.*

CXVI.

Conſilia, Bedencken, diſcourſe und andere Schrifften betreffende die Religion und Abtretung der geiſtlichen Gütter.

CXVII.

Wolff Georgens von Ende Religions-Irrungen ab anno 1658. Pleraque manu Endii ſcripta ſunt.

CXIIX.

Colloquium Thorunienſe.

Scripta de ſyncretiſmo & colloquio Caſſellano. De conventu Thorunienſi haec leguntur ſub finem:

Quae ſunt acta tribus Thoruni menſibus urbe,
Haec potuere tribus cuncta diebus agi.

CXIX.

Faſciculus epiſtolarum Lutheri, Moſellani, Stigelii, Lipſii, Davidis Chytraei & Io. Arndii. Omnia ſunt autographa.

CXX.

Faſciculus epiſtolarum Campegii cardinalis, Ioannis epiſcopi Vratislavienſis & principum quorundam ad Fridericum ſapientem.

Eodem volumine habentur Lutheri epiſtolae ad Spalatinum circiter XXVII. duabus demtis omnes Lutheri manu exaratae.

CXXI.

Volumen epiſtolarum Io. Aventini, Petri Moſellani, Sigfridi Sacci, Myconii, Ambroſii Moibani, Georgii Fabricii, Mattheſii, Rhetici, Io. Marbachii, Lud. Rabi, Witterſtadti, Alberti Hardenbergii & aliorum. Hoc faſciculo habetur narratio Oporini de ſpectro poſt mortem Caroloſtadii perturbante eius familiam, locumque, in quo cadaver poſitum erat, infeſtante crebris lapidum ictibus ac tumultu, ſcripta anno 1542. menſe februario Baſilea ad Ioach. Camerarium. Omnia ſunt autographa, praeter epiſtolam quandam Iulii Pflugii, & hanc narrationem a Paulo Ebero deſcriptam paucaque alia.

CXXII.

Volumen epiſtolarum magnam partem a principibus ſcriptarum.

Prima eſt Orielis, archiepiſcopi Moguntini, ad Fuggerorum miniſtrum Norimbergenſem, quibus cambii literas efflagitat ad impetrandam Romae confirmationem in ſacerdotio, & pallium a curia emendum. * Huic volumini inſertae ſunt epiſtolae ſubdititiae reginae Angliae, cuius hiſtoriam ſcripſit Zieglerus labyrintho temporis capite XVI. quae Thuanus de Io. Friderico II. Eliſabetham, Angliae reginam, uxorem ducturo libro XLI. refert, fabuloſa atque hinc derivata arbitratus. Literas, quas Zieglerus in bibliotheca quadam aſſervari ſcribit, hoc volumine reperias manu ipſius foeminae ſcriptas, quarum fine ſemper haec leguntur: *Anna, manu & p. propria.* Mentiebatur enim, ſe Annam Clivenſem eſſe, quam matrimonio ſibi iunctam paulo poſt reprobavit Henricus IIX. ut copioſe narrat Burnetus hiſtoria reformationis anno 1540 Gotham venit cognationis obtentu anno 1559. poſt aliquot menſes in carcerem Walthershuſanum coniicienda. Inde qua ratione liberata ſit, non eſt memoriae proditum.

CXXIII.

Volumen epiſtolarum ad varios ſcriptarum manu Pauli Eberi.

CXXIV.

Epiſtolae Alberti Crucigeri, Io. Avenarii, Loſſii, Ioannis Roſae, Klebitii, Georg. Agricolae, Krentzhemii, Matthiae Caſelii, Io. Stoſſelii, Ioach. Rhetici, Draconitis, Io. Aurifabri, Io. Cratonis, Matth. Collini, Bezae, Chriſtoph. Pezelii, Abdiae Praetorii, Io. Moningeri, Adami Curei, P. Schedii Meliſſi, Til. Heshuſii, Io. Poſſelii, Max. Mörlini, Pauli Welleri & aliorum ad Eberum & Melanchthonem. Omnes manibus eorum, quorum recitavimus nomina, exaratae ſunt.

CXXV.

Epiſtolae Illyrici, Galli, Io. Camerarii, Mich. Stifelii, Iacobi Milichii, Pauli

* Multum potuerunt Fuggeri in curia Romana. Lege Huttenum, immortale Franconiae decus, dialogo, qui praedones inſcribitur, ubi poſt alia multa, *Fuggeri*, inquit, *Romae propolium inſtituerunt, & emunt a pontifice minoris, quod vendant maioris poſtea, non ſingula tantum beneficia, ſed ſolidas etiam gratias. Inveniunturque bullae apud eos, & diſpenſationes per eorum menſas eunt. Neque facilius eſt lucrari ſacerdotium, quam ſi Fuccheros amicos habeas.* Ipſe Maximilianus I. Caeſ. cum pontificatum ambiret, eorum opibus ac pecunia uti voluit. Teſtis eſt eius epiſtola ad Lichtenſteinium.

Pauli ab Eizen, Pauli Crellii, Laur. Iacobaei, Seb. Boëtii, P. Vincentii, Lucae Pollionis, Baſilii Cammerhoferi, Pauli Eberi & aliorum cum multis reſponſis theologicis. Omnia autographa.

CXXVI.

Theologorum Vitebergenſium, in primis P. Eberi, conſilia & epiſtolae Eberi manu ſcripta.

CXXVII.

Danielis Toſſani ad Ludovicum ſeniorem, comitem in Wittgenſtein, epiſtolae XXXI. & una Bezae.

CXXIIX.

Alſtedii, Ioh. Althuſii, Menſonis Altingii, Henr. Altingii, Wolff. Amlingii, Tob. Andreae, Io. Mich. Andreae, Eberh. Artopoei, Dilletii, Bezae, Brochthoni, Io. Buxtorffii, Lud. Crocii, Druſii, Iac. Fabricii, Ant. Faji, Bernh. Fullenii, And. Goclenii, Sim. Goulartii, Hovaei, Ionſtoni, Franc. Iunii, Keckermanni, Matth. Martinii, Caſp. Oleviani, Dav. & Io. Philippi Pareorum, Georg. Paſoris, Amandi Polani, Abr. Sculteti, Sohnii, Oberti Sturmii, Toſſani, Venuſini, Conr. Vorſtii, multorum aliorum epiſtolae ad Ioannem Piſcatorem, Herbornenſem theologum. Accedunt Piſcatoris reſponſa & conſilia diverſis eccleſiis ac theologis data. Omnia ſunt autographa, ſi Piſcatorem & Bezam, aliquando amanuenſibus uſos, exceperis.

CXXIX.

Io. Muſaei, Pauli Slevogti, Erhardi Weigelii, Io. Strauchii, Io. Vorſtii & aliorum ad Guntherum Henricum Plathnerum epiſtolae.

CXXX.

Io. Andr. Boſii, Chriſt. Chemnitii, Gothofr. Cundiſii, Dilherri, Io. Friſchmuthi, Freinshemii, Hülſemanni, Glaſſii, Io. Ern. Gerhardi & aliorum ad Plathnerum epiſtolae.

CXXXI.

Faſciculus epiſtolarum Oligeri Roſenkrantzii, Balth. Meiſneri, Buchneri, Hoëii ab Hoenegg, C. Barthii, Balth. Menzeri & Meyfarthi.

CXXXII.

Epiſtolae Haberkornii, Hulſemanni, Iob. Ludolfi, Hannkii & aliorum ad Io. Ern. Gerhardum.

CXXXIII.

Volumen conſiliorum & iudiciorum de controverſiis Helmſtadienſium.

Guntheri Henrici Plathneri notae autoſchediasmaticae in libros hiſtoricos antiqui fœderis autoris manu ſcriptae.

Variorum epiſtolae ad Plathnerum.

CXXXIV.

Buchneri, Martini Caſelii, B. Cellarii & aliorum ad Io. Gerhardum, Ioannis filium, epiſtolae.

CXXXV.

Daumii, Edzardi, Danielis Feſſelii, Feurbornii, Friſchmuthi, Sal. Glasſii & aliorum ad Io. Ern. Gerhardum epiſtolae.

CXXXVI.

Reineſii & aliorum epiſtolae ad eundem.

CXXXVII.

Waltheri, Weſthuſii, Iacobi Welleri & aliorum ad eundem literae.

CXXXIIX.

Io. Mulleri, Io. Meiſneri, Misleri, Mogii, Rolfinckii & aliorum ad eundem literae.

CXXXIX.

Chriſtfr. Sagittarii, Io. Henr. Urſini, Mich. Waltheri, Iac. Welleri, Daumii & aliorum ad eundem epiſtolae.

CXL.

Io. Matthiae, epiſcopi Stregneſienſis, Netheni, Niemanni, Plathneri, Pomarii, Quenſtedti & aliorum epiſtolae ad eundem.

CXLI.

Gothefridi Hottoni, Io. Hülſemanni, Andreae Kesleri, Iobi Ludolfi & aliorum ad eundem epiſtolae.

CXLII. — CXLV.

Guntheri Henr. Plathneri loci communes iuridici.

CXLVI.

Chymici antiqui Graeci manuſcripti Auguſtiſſ. bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis, Stephanus Alexandrinus, Heliodorus, Theophraſtus, Hierotheus, Archelaus, Pelagius, Oſtanes, Democritus, Syneſius & anonymus aliquis, magno ſtudio & labore ex Graeca lingua in Latinam translati, & ſubiuncto in eosdem lexico chymico illuſtrati.

De his paſſim agit Neſſelius, in primis Part. III. catal. bibl. Caeſ. p. 14.

CXLVII.

Volumen multos ſcriptores chymicos complexum. Initio videre eſt compendium codicilli de lapide minerali Raym. Lulli.

CXLIIX.

Aliud volumen eodem argumento. Libellus primus inſcribitur *commentarius cuiusdam philoſophi ſuper veritate.*

CXLIX.

Index omnium tractatuum chymicorum, qui continentur Auguſtiſſimae bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis ſive Wiennenſis magno alphabeto chymico Fuggeriano manuſcripto, quod in viginti quatuor tomos in folio, totidem literis notatos, diviſum eſt.

CL.

Ιαμβλίχȣ τȣ̃ μεγάλȣ εἰς τὴν ἐπιϛολὴν πορφυρίȣ. Αβάμμωνος διδασκάλȣ πρὸς τὴν πορφυρίȣ πρὸς Ἀνεβῶ ἐπιϛολὴν ἀπόκρισις, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ἀπορημάτων λύσεις.

Codex magno ſtudio ſcriptus eſt ante annos circiter 150. De hoc Iamblichi libello plura congeſſit Neſſelius Part. IV. p. 136. Quaedam illuſtravit Salmaſius de annis climactericis p. 604. Docet nos Bullialdus notis ad Theonis Smyrnaei expoſitionem p. 225. hanc reſponſionem Latine editam a Nic. Scutellio. Noſter codex deſinit ut Naudaeanus ap. Labbeum nov. bibliothec. mss. librorum p. 382. *τῆς ὁμονοητικῆς φιλίας τῆς πρὸς ἀλλήλȣς.* Th. Gale p. 1. legit *Ἀβάμμωνος.*

CLI.

Liber medicus manu Ioannis Sax. electoris ſcriptus. Circa finem libe-

liberorum ſuorum annos atque dies natales nec non expromiſſores in eorum baptiſmate adhibitos prolixe annotavit. Liber deſinit in haec verba: *Albir bat das buch ein endt, got ſeinen zorn genediglichen von uns wendt, und iſt volbracht, da man hatt geſchrieben 1523. Ihar, welches Herzog Hans von Sachſen hat geſchrieben gar, mit ſeynner hant, den vil haben gekant*, V.D.M.I.E. Amen. Ioannes Dux Saxoniae Senior.

CLII.—CLV.

Caſpari Ratzenbergeri herbarium vivum incredibili labore confectum annoque 1598. finitum. Praemittitur Syllabus hoc titulo: *Index acuratiſſimus latinus omnium plantarum, ſtirpium, arborum, nempe fruticum, ſubfruticum, herbarum, foliorum, florum, ſeminum, fructuum, tum communium, tum aromaticorum, lignorum, radicum, gummatum, ſuccorum omnis generis, tam inquilinorum, quam exoticorum, quae partim Germania ſponte producit, partim ab exteris regionibus & nationibus per amicos meos, Doctores Medicos, Pharmacopaeios, Hortulanos, Materialiſtas mihi fideliſſime allata, communicata, transmiſſa, in horto meo medico Naumburgi ſingulari mangonio, labore, diligentia, enata & producta ſunt, ex illis etiam quamplurima in hunc usque diem coluntur, atque in hiſce quatuor tomis herbariorum vivorum artificiali glutino affixa conſpiciuntur & habentur.* *

CLVI.

Chronicon univerſale Petri Trecenſis uſque ad an. 1475. **

CLVII.

Chronicon univerſale Germanicum uſque ad annum 1412. In fine habetur libellus de epiſcopis Argentoratenſibus.

CLIIX.

Chronicon univerſale Germanicum res Thuringicas tradens copioſius. Sub finem extat deſcriptio itineris a Guilielmo Saxone anno 1461. in Palaeſtinam ſuſcepti.

De mor-

* *De hoc herbario egit Tenzelius colloqu. anno 1691. p. 259.*

** *Hic liber ob raritatem impreſſorum exemplorum ſub initium inventae typographiae deſcriptus eſt ex exemplari typis publicato.*

De morte hujus principis a συγχρόνῳ quodam haec notata ſunt: *Anno Domini* CIↃ CCCC LXXXII. *in die S. Lamperti obiit Dux Wilbelmus & ſepultus eſt ad minores in Wymaria. Dux Albertus ſucceſſit ei patruus ſuus. Nota, quod Erneſtus & Albertus, Duces Saxoniae fratres, patrui Ducis Wilbelmi, receperunt homagium manu coniuncta, caſtra, civitates, oppida & omnia, quae reliquit.*

CLIX.

Chronicon univerſale Germanicum, initio ac fine mutilum, cum reformatione Friderici imp. & vitis pontificum uſque ad centeſimum ſexageſimum ſeptimum.

CLX.

Erklaerung deſs Boemiſchen Rumors an. 1547.

CLXI.

Tittel und nahmen aller Grafen, Freyherrn, Ritter und adelichen Geſchlechte im Koenigreich Boebeimb nach ordnung deſs alphabets: desgleichen ein verzeignüſs des obriſten Land- auch hof und Cammergericht &c.

CLXII.

Kurzer begrif der von 60. iahren im Koenigreich Boebeimb gehaltenen Landtags-abſchiede, aus Boehmiſcher Sprach transferirt durch M. Georg. Fridericum. 1594.

CLXIII.

Idem liber multo plenior.

CLXIV.

Der Boemiſchen Kriegs-bücher erſter Theil vom anfang des religions-Kriegs 1618. biſs in novemb. eiusd. anni. Pleraque ſunt autographa ſtatuum Bohemiae & L. Camerarii ad Io. Erneſtum, Ducem Vinarienſem.

CLXV.

Anderer Theil biſs uf Kayſers Matthiae abſterben. Pleraque ſunt autographa.

CLXVI.

Tritter Theil vom 10. Martii 1619. biſs auf die Abſezung Ferdinandi und

Erwehlung Friderici V. Hoc volumine plurima ſunt ſtatuum ad Saxones, nec non Leandri Rueppelii, qui anno CIↃIↃCXXI. Pragae ultimo ſupplicio affectus eſt, protographa.

CLXVII.

Vierder Theil vom Anfang deſs Iahrs 1620. biſs 1621. Heic multa ſunt Friderici Palatini, Bohemiae regis, item Principum, politicorum & theologorum protographa.

CLXIIX.

Volumen praetermiſſorum actorum Bohemicorum. Documenta hoc faſciculo contenta pleraque ſunt originalia.

CLXIX.

Schrieften die ſo wohl in dem Böhmiſchen Unweſen, als hernach in waerendem teutſchen Krieg ergangen.

CLXX.

Gundelfingii hiſtoria Auſtriaca Germanice, per Davidem Wolleber, Schorndorffienſem, locupletata anno CIↃ IↃ XCVII. ac dedicata Frid. Guilielmo, Saxoniae proëlectori.

Origines Auſtriacas hic liber fabulis contaminat vel puero pudendis. Obſervatum Lambecio comment. de bibliothec. Vindob. l. 2. c. VI.

CLXXI.

Idem liber accurate deſcriptus.

In hoc exemplo tabulae genealogicae magnam partem deſiderantur: ineſt autem acceſſio de Zaeringenſibus & Teccenſibus. Vterque codex Gundelfingii nomen ſilentio premit.

CLXXII.

Gregorii Hagen Anfang und herkommen der Lands-Fürſten in Oeſterreich biſs auf Wilhelmum und Albrechten.

CLXXIII.

Vita Maximiliani I. Philippi Auſtriaci, Caroli V. & Ferdinandi I. lingua vernacula.

CLXXIV.

Vita Caroli V. copioſius expoſita Germanice.

CLXXV

CLXXV.

Codex Ferdinandeus, *oder kurzer Begriff aller Lands-Fürſtlichen General-mandaten, ſo vil deren biſs auf diſe Zeit bey allen regiſtraturen zu finden ſeind. Durch Io. Bapt. Suttinger, Nieder-Oſterreichiſchen Regierungs-Cantzlern.* 1656.

CLXXVI.

Memorabilia ex annalibus Ferdinandeis Keuenhilleri.

CLXXVII.

Beſchreibung Kayſers Maximiliani II. Crönungen, vvie dieſelbe auf einander gefolget ſeyn.

CLXXIIX.

Octaviani Stradae hiſtoria Rom. Pontificum à Petro uſque ad Gregorium XIII. cum imaginibus ad vivum expreſſis ex veteribus marmorum monumentis, picturis & monetis antiquioribus.

CLXXIX.

Beſchreibung aller Erzbiſchoffen Salsburg, vvie lang ein ieder regieret, auch vvas nahmen und Stammen die gevveſt, lezlich geſtorben und begraben vvorden ſeyn. Folio primo depicta ſunt arma gentilia *der vier Lanndtherrn des Ertzſtieffts Saltzbourg.* Deſinit anno 1561.

CLXXX.

Eadem Chriſtophori Iordani hiſtoria iure belli ante LXXX. annos ex electorali bibliotheca Bavarica huc allata, cuius fine haec extant: *Concordat cum ſuo originali manuſcripto. S. B. Iurisconſultus.*

CLXXXI.

Idem chronicon vivente autore, ut mihi videtur, ſcriptum. Liber compactus eſt anno 1561. traditque res archiepiſcopi Io. Iacobi, qui tum eccleſiam illam rexit, multo parcius quam priores.

CLXXXII.

Würzburgiſche chronica angehend anno poſt nativitatem Chriſti 43. Caput I. docet *vvie das R. Reich zum chriſtl. Glauben kommen?* Caput II. *vvie die nevven Chriſten verfolget vvorden?* Caput III. *vvann VVürzburg und Franckenland Chriſten vvorden.* Bellum ruſticum heic copioſe de-

ſe deſcribitur. In fine ſunt collectanea ad Herbipolenſem hiſtoriam pertinentia.

CLXXXIII. CLXXXIV.

Hiſtoria der Biſchoffen zu VVürzburg durch Laur. Frieſſen, F. VV. Rath und Secretarium.

CLXXXV.

Gleiche meinung hat es mit der Cleopatra, von der melden dieſe ſcribenten, das ſie eines aus denen Ptolemaeis in Ægypten gemahl geweſen, und führet ſie doch Stephanus praxi 9. ein, als vvenn ſie mit dem Oſtane geſpräch hielte, denn ob man gleich ſagte, es vväre der Oſtanes ſecundus, vvelchen Alexander M. in ſeinen feldzügen bey ſich gehabt, vvie Xerxes den erſten Oſtanem, ſo vveis man doch, das der erſten dreyen Ptolemaeorum, vvelche nach dem tode Alexandri bey hundert iahren in Ægypten regiret, keiner ein gemahl nahmens Cleopatra gehabt, und vvie kan der Cleopatrae, oder denen ſcriptoribus Geoponicis veteribus, aus vvelchen ein theil des tractatleins von Maßen und Gevvichten genommen, vvie f. 114. a. zu ſehen, ſelbiges zugeſchrieben vverden, da doch darinne der dreyſſig ſilberling, fur vvelche Iudas Chriſt den Herrn verrathen: Item das Iob in ſeiner kranckheit oder plage ſieben und ein halbes iahr zugebracht, gedacht vvird? Das final des tractatleins iſt von einem recentiſſimo Graeculo, vvie aus denen Worten, μόδης, κȣμȣλος, abzunehmen, hin zugethan. Vnterdeſſen gehet dergleichen ſcriptis, deren autores man entvveder nicht gevvis vveis, oder die da andern autoribus zugelegt vverden, an ihrer Würde nichts ab, ſondern ſiehet man billig darauf, vvas darinnen gelehret vverde.

Von Mich. Pſello iſt ingemein bekant, das er zu Conſtantinopel umb das iahr 1080. und hernach gelebt. Iſt zu ſeiner Zeit einer der gelehrteſten in Graecia gevveſen, und hat an verborgenen Künſten gute luſt gehabt, auch ſehr viel bucher geſchrieben, deren die meiſten noch in Bibliothecen ſtecken, vvie aus den Indicibus Bibliothecarum beim Poſſevino zu ſehen.

Das lexicon aber iſt eines recentioris autoris, etvva fur 250. iahren, auch darinnen viel ungereimtes dinges und überaus falſch geſchrieben, und vielfältig durch einander vervvirret, das das vvenigſte recht an einander hangt, und gehet dies ſonderlich an nach des Democriti und Syneſii opuſculis; vvie ich denn mit eigener hand an unzehlichen orten, ſo viel bey der curſoria lectione geſchehen können, die grobſten mendas abgethan, und zugleich gevvieſen, vvo und vvie der textus von einander geriſſen und verſezet vvorden: Sondern ich vermuthe auch, es mangeln unterſchiedene tractatus darinne. Denn Salmaſius gedencket, vvie man Smaragden und anderen Edel geſteinen eine ſchöne gehörige farbe und glanz geben, vvie man

die

die perlen ründen, und vvie man vergielbte oder ſonſt unſcheinbare perlen ſchön vveis machen könne, vvelche kunſtſtücklein unter die χειρόκμητα, derer er f. 192. b. gedencket, und dergleichen auch Democritus ſoll geſchrieben haben, vvie beim Plinio l. 24. c. 17. zu ſehen, gehören, und ſind gemelte kunſtliche modi in dem Koniglichen exemplari zu befinden. So vvird auch f. 184. in dieſem codice eines buches Zoſimi, βίβλος κλοιδῶν und f. 103. κλοιδίον genannt, ervvehnet, und ſagt Suidas, das dieſer Zoſimus 24. bücher nach ordnung der buchſtaben ad Theoſebiam ſororem von dieſer materia geſchrieben. Weil denn dieſer Codex aus ienen abcopirt, ſo hat der ſchreiber übel gehandelt, das er die feine antiquität nicht allein ſo ſchändlich verfälſchet, ſondern auch noch darzu geſtümmelt, und hat mit dieſer arbeit nicht das brod, das er darbey mag geſſen haben, verdienet. Wäre auch zu vvünſchen, das man das Exemplar mit dem Originali oder Avtographo einſten conferiren könte, und ſodenn vvürde dies vverck gelehrten, die zur antiquität luſt haben, in viel vvege nuz und zu gebrauchen ſeyn.

Altenburg m. Apr. 1634.
Th. R. D.

CCLXXII.

Codex medicus Ebraice ſcriptus, ſed qui multas voces Arabicas retineat. Agit de confectione medicamentorum, continetque Abenſinae librum V. compoſitionis minoris.

CCLXXIII.

Liber Salomonis Name de verbis paradiſi. Pleraque ſunt Turcica, pauca Arabica.

CCLXXIV.

Codex Arabico-Turcice ſcriptus, quo poſt laudes Mahumedis egregia Iſi elogia habentur.

An Iſi ille ſit generis humani ſoſpitator, alii viderint. Certe vix dubium eſſe poteſt haec verba conſiderantibus: *Deus introituris in vitam alteram evangelium conceſſit -- -- O Domine potentiſſime miniſter, cuius pater Moſes eſt, O Iſi, fili Mariae, reſpicias me, O Spiritus ſancte reſpicias me.* Sequitur hiſtoria de X. evangeliſtis. Antea dixerat aliquoties: *Hic eſt Iſi, quem Deus genuit.* Eundem vocat primum Dei halitum, ducem recta via incedentium &c.

CCLXXV.

Codex Arabico-Turcicus eiusdem argumenti. Heinricus Rudolfus Gerſtenberg, equitum praefectus, Quinque eccleſiis praedam fecit, donoque dedit Erneſto Pio 1664.

CCLXXVI.

Codex Arabico - Turcicus de maximo propheta.

CCLXXVII.

Commentarius copioſiſſimus & accuratiſſimus in Alcoranum Arabico-Turcicus.

CCLXXIIX.

Liber theologico- hiſtoricus de Mahumede & Iſi, quem autor primogenitum filium Nazarenum vocat. Scriptus eſt eadem lingua.

CAPVT TERTIUM.

Membranacei minores.

I.

Biblia Latina utriusque foederis.

II.

Verſio vulgata literis elegantiſſimis ſcripta.

III.

Biblia veteris teſtamenti Latine.

IV.

Biblia Latina charactere minutiſſimo.

Hoc codice familiariter uſus eſt Spalatinus, cuius manu haec ſcripta ſunt initio: *Biblia G. Spalatini. M D XVIII.*

V.

Ioſua Latine cum gloſſa.

Liber canonicorum regularium monaſterii ſanctae Dei genitricis Mariae ſanctique Alexandri martyris prope Hallis Magdeburgenſis dioeceſis.

VI.

Liber iudicum cum gloſſa.

VII.

VII.

Iobus cum gloſſa.

IIX.

Pſalterium cum gloſſa interlineari.

IX.

Codex antiquus & bonae notae, quo continentur: Eſaias Latine, ſermo beati Maximi epiſcopi de adventu Domini, ſermones Auguſtini & Maximi de duabus veniente Domino molentibus, ſermo beati Auguſtini de unitate, qui incipit: *Legimus ſecundum Moyſen;* ſermo Auguſtini, cuius initium eſt: *Propicia divinitate, fratres Kariſſimi;* ſermo Auguſtini feſto nativitatis dominicae: *ſanctam & deſiderabilem;* ſermo Auguſtini: *vos, inquam, convenio, O Iudaei;* ſermo beati Maximi: *Laetitia quanta ſit;* Omelia beati Iohannis epiſcopi dominica IV. ante nativ. Domini: *Puto res ipſa exigit;* nec non omeliae ſuper evangelia reliqua per dominicas adventus legi ſolita.

X.

Honorius ſuper cantica canticorum.

Auguſtinus de mandragora.

Honorium Solitarii nomen geſſiſſe recte coniicit Cave cum Mabillonio codicis Ambroſiani auctoritate in hanc opinionem adducto. Nam etſi neque Poſſevinus tom. I. p. 767. apparatus, neque bibliotheca maxima patrum, quae tom. XX. eius opera exhibet, ita vocarunt; tamen codex noſter circa annum cIↃ cc. ſcriptus hunc titulum libro praefigit: *Incipit prologus Honorii Solitarii in cantica canticorum.*

XI.

Machabeorum libri priores. Hic codex ante DCC. annos ſcriptus atque Moguntia huc allatus initio haec habet: *Incipit capitulatio libri Machabeorum.*

XII.

Hugo ſuper eccleſiaſten.

XIII.

Concordantiae Anglicanae Roberti Holkoti.

Nicholai de Hanaphis, ordinis praedicatorum, patriarchae Ieroſolimitani, liber de exemplis ſacrae ſcripturae.

Hunc librum Holkoti Geſnerus, Poſſevinus & Wharton omittunt.

XIV.

Quatuor evangelia Latine. Codex antiquiſſimus literisque in primis elegantibus ac partim aureis ſcriptus. Capitum ſumma *argumentum & breviarium* dicitur.

In fine manus recentior haec allevit: *Anno 1506. finivit F. Martinus Lutherus hunc librum.* Sed annum ſeculi XVI. ſextum ſatis apparet falſarium quendam adieciſſe, cum antea annus 1522. eſſet poſitus, ut mecum viri docti coniectant, aut potius oculis ſuis fidem adhibentes certo ſciunt. In margine paſſim ſunt notae a Lutheri manu. Petitioni matris filiorum Zebedei adſcripſit: *Vides hic, reliquias carnis eſſe in ſanctis, quibus ea, quae carius ſint, affectent.* Expoſitionem verborum Chriſti: *dimittite & dimittemini*, ſic finit: *Fides eſſe non poteſt ſine bonis operibus.* Evangelii de X. leproſis initio haec invenias: *Obedientia verbi Dei, quae eſt fides, ſalvos facit a lepra, non quod ſe oſtenderint ſacerdotibus. Iam enim ſanati erant a lepra.*

XV.

Evangelium Matthaei cum gloſſa.

XVI. XVII.

Evangelium Marci & Ioannis cum gloſſa.

XIIX.

Epiſtolae Iacobi, Petri, Ioannis & Iudae cum gloſſa.

XIX.

Apocalypſis cum gloſſa.

XX.

Pericopae evangelicae per totum annum lingua vernacula hoc titulo: *Nu vvalt ſin der heilige criſt, diz evvangelium an dem advent daz erſt iſt.* Hunc codicem Tenzelius ſcriptum eſſe credidit ante annum 1345.

XXI.

In Chriſti nomine incipiunt omelie ſancti Auguſtini epiſcopi ſuper epiſtolam S. Iohannis apoſtoli.

Aurelii Auguſtini liber de agone Chriſtiano.

Eiusdem

Eiusdem de doctrina chriſtiana libri IV.

Epiſtola Ieronimi presbyteri ad Paulam & Euſtochium de aſſumtione S.Mariae virginis.

XXII.

Chryſoſtomi ſermones XVI. de patientia Iob & poenitentia e Graeco in Latinum traducti per Lylium Tynfernatis.

XXIII.

Breviarius Mogunt. pro reverendiſſ. olim Adelberto, adminiſtratore eccleſiae Mogunt. & marchione Miſnen. Duc. Saxoniae illuſtriſſ. ſcriptus circiter CIↃ CCCC LXXXIII. Anno enim ſequenti Adelbertus muneris biennium nondum emenſus obiit in adoleſcentia. Initio libri ruta Saxonica & rota Moguntinenſis ſeorſim pictae conſpiciuntur.

XXIV.

Breviarium Latinum incredibili arte ſtudioque ſcriptum, pictum atque exornatum. Praemittitur Hiſpanico idiomate regula de numero aureo & litera dominicali ad feſtorum mobilium celebrationem, ut loquitur codex, cognitu neceſſaria. Carolum V. imp. hoc libro uſum accepimus. Cui narrationi omnia ſunt conſentanea. Scriptus eſt poſt annum 1490. in gratiam Philippi Auſtriaci, niſi fallor. Ex utraque parte habet inſignia Hiſpanica compacturae intexta. Idem autem ſcutum quadripartitum aliquoties aquilae (non tamen bicipiti) affixum cernitur in ipſo libro, continetque Caſtiliae, Legionis, Aragoniae & utriusque Siciliae inſignia, quibus corona regia aperta imponitur. Nunquam vidi codicem nitidiorem.

XXV.

Pſalmi Davidis, hymni ex ſacris literis collecti, ſymbolum Athanaſianum & litania.

XXVI.

Breviarium. Poſt ſeriem feſtorum iuxta menſium dies ſequitur cantio: *Te Deum laudamus* hac inſcriptione: *Incipit canticum Ambroſii & Auguſtini. Ad laudem dominicis diebus dicendam a feſto paſchae usque ad LXX. excluſive. Et in omnibus feſtis ſanctorum IX. lectionum per*

totum

totum annum LXX. & XL. non obſtantibus. Feriatis vero diebus & in commemorationibus ferialibus ſanctorum omittitur.

XXVII. XXVIII.

Breviaria Latina, quorum prius ſanctorum vitas narrat copioſius.

XXIX.

Lectiones more ſolito in monaſteriis recitandae.

XXX.

Breviarium Latinum.

XXXI.—XXXIV.

Breviaria IV.

XXXV.

Curſus ſancti Bonaventurae de paſſione Domini.

XXXVI.

Summa de caſibus conſcientiae ſecundum compilationem fratris Bartholomaei de Piſis. Conſummatum fuit hoc opus in civitate Piſana anno Domini CIↃ CCC. triceſimo octavo.

XXXVII.

Liber de infantia & vita Chriſti rhythmis Germanicis hoc titulo: *Hie hebt ſich an unſers herren Kinthait und ſein Leben.*

De hoc codice iuſto copioſius egit Tenzelius colloquiis menſtruis anni CIↃ DCXCVII. menſe Iulio.

XXXIIX.

Hymnus Germanicus in laudem Mariae, cuius primus verſus: *Gy koend ich nu en mitten.*

XXXIX.

Vita Caroli M. carmine vernaculo. Libri titulus eſt: *Daz iſt der Kunc Karl dem dient Rome und Arl.* Liber ex Latino in linguam Germanicam translatus ante annos CCCC. ut docent verſus in fine: *Do man von Gots geburt tach drwzehen hundert iar darnach in dem vierzehenden iar, dits iſt die Zahl fürwar, in der crüzwochen vvart ditz buch volſprochen, do man vor aſchberg lac. Ob mir zum lone mac werden, ich nims ain*

ain gut gevvant, des ſi (die Furſten von Oſterrich) *der Commentur gemant, daz ſtat in ſeiner gnaden hant.*

XL.

Eadem vita initio ac fine nonnihil diverſa.

Lambecius lib. II. cap. V. bibliothecae Vindobonenſis laudat duo exemplaria huius vitae, quorum prius poſteriori anteponendum putat. Idem de noſtris iudicandum eſt, etſi utrumque Lambecianis praefero. Nam dialectus Germana antiquior eſt, nec codices habent inſcriptionem illam vetuſtioribus libri exemplis ignoratam, qua Roulandi fit mentio. Renovatorem libri Stricherum vocat Lambecius. Recentior noſter *Strikhere*, antiquior *Stricheere* nominat.

XLI.

Aurea bulla Latine & Germanice.

Hunc manuſcriptum eximiae vetuſtatis eſſe non immerito ſcripſit Thulemarius de bullis cap. VII. Sed cum Tenzelius colloquiis anni CIƆIƆCXC menſe Auguſto omnia notatu digna cum orbe erudito communicarit, nihil cauſae eſt, cur inde quicquam huc transferamus.

XLII.

Hiſtoria von Hertzog Reynfrid von Braunſchvveyg rhythmis Germanicis.

XLIII. — XLV.

Codices tres, quibus formulae deſcriptae ſunt, iuxta quas rectores & iudices in urbibus oppidisque reipublicae Venetae officium facere par eſt. Libri primi initio imago B. virginis reperitur & Leo alatus tabulam tenens cui inſcriptum eſt: *Pax tibi Marce evangeliſta.* Folio primo literis aureis fit hocce initium: *Nos Nicolaus de Ponte, Dei gratia dux Venetiarum &c. commettemo a te nobel homo ANZOLO MICHEL &c.* In fine nomen ſuum adiecit *Iulius Zambertus ſecret.* Secundi codicis hoc eſt initium literis aureis: *Nos Marinus Grimano Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Commettemo a te nobel homo Piero Michiel.* Primus liber anno MDLVI. ſecundus MDLXXIX. compactus eſt. Tertius annum non habet impreſſum compacturae.

XLVI.

Plutarchi apophthegmata Latine exſcripta 1448. Franc. Philelfus vertit.

Lauri Quirini de nobilitate reſponſio, quid iuris

XLVII.

Valerii Maximi factorum & dictorum memorabilium urbis Romae ac gentium exterarum libri IX. Codex ita nitide ſcriptus, ut nihil poſſit ſupra; ſed admodum recens. Finitur enim anno CIↃ CCCCXLIX.

XLIIX.

Cicero de amicitia.

XLIX.

Ciceronis libri tres de officiis ſcripti a Iohanne Conſtancienſi Venetiis ab incarnatione M CCCC XXX. In fine legitur: *Excellunt cunctos hi libros philoſophorum, libri quos fecit tres Tullius officiorum.*

L.

Rhetoricorum M. T. Ciceronis ad Herenium libri IV. Codex notae melioris.

LI.

Senece poete Tragediarum libri X.

Opus ſumma cura confectum habet multa ſcholia. Primum locum occupat Hercules furens. Si quis conferat cum parte ultima ſyntagmatis tragici Delrii, facile deſcriptum ex optimis intelliget. Herculis verſu 62. legit *terra*, Delrius: *terna*. Verſu 68. *expenſo*, ut & Delrius legit p. 221. Verſu 81. non *emiſſo*, ſed *excuſſo*. In Medea verſu 31. ubi Lipſius tom. I. p. 359. habet *num*, codex retinet *nunc*. Verſum 55. ita ponit: *Quae ſcelere parta eſt ſcelere linquenda domus.*

LII.

Iuvenalis ſatyrae in V. libros diviſae.

Perſii liber ſatyrarum.

LIII.

Iuvenalis ſatyrae XVI.

LIV.

Liber Eneidos.

Ita totum Virgilii de Ænea opus vocat hic manuſcriptus bonae notae, ac paſſim expoſitione interlineari ab antiqua manu exornatus.

LV.

Ovidii heroides.

Epiſtolae primae verſus ultimus ita legitur: *Protinus ut venias, facta videbor anus.* Editi, etiam Criſpini ſtudio ad uſum Delphini confectus, habent: *protinus ut redeas.*

LVI.

Laurentii Vallenſis, viri latiniſſimi, doctiſſimi, eloquentiſſimi contra Poggii invectivas libri elegantiſſime ſcripti.

In margine multas notas invenire licet hiſtoriam literariam eius temporis, quo Poggius & Valla inter ſe altercati ſunt, illuſtrantes. Ad verba Vallae: *Iſte tuus clandeſtinus mihi minator*, notatum eſt, Caliſtum III. intelligi, quem, ut imperitum literarum humaniorum aſperioribus verbis ibi perſtringit. Sed nondum erat Pontifex, cum iſta Vallenſi excidiſſent.

LVII.

Alkabitii introductorius ad iudicia aſtrorum interpretatus a Iohanne Hiſpalenſi, qui tranſtulit de Arabico in Latinum. Geſnerus Alchabitium vocat.

LIIX.

Tabulae der Pythagoriſchen erfindung des recht-winckel-meſſigens Triangels, darinn deſſelben gantze Lehr verfaſt, zu entnehmung viel groſſer Mühe und arbeitſeelichen rechnens, des man ſich in allen mathematiſchen Künſten behelffen muſs. Durch Abraham Rieſen 1566. Hunc librum Friderico I. Gothano Samuel Reyher, anteceſſor & mathematicus Kilienſis, donavit.

LIX.

Auszug einer chronick derer Landgraven zu Heſſen, vom iahr 386. biſs 1537.

LX.

Torneamenta Wilhelmi Bavariae Ducis, artificioſe picta ac deſcripta per H. Osdentarfferum hoc titulo: *Hierinen ſeyen beſchriben, unnd aigenntlich verzaichnet alle geſtäch, rennen unnd ritterſpil, ſo der durchleuchtig Fürſt mein genediger herr Herzog Wilhelm in ſeinem leben vom*

anfanng bis zum endte beſizlich ritterlich unnd vällig verpracht unnd gethan hat, auch mit wem, unnd wie, unnd an wellichem tag, auch in was form, geſtalt unnd libereyen mit roßdeckhen unnd geſchmuckten allennthalben wie dann die geſechen worden ſein, diſs iſt alles hie nach mit varben lauter ausgeſtrichen unnd gemaldt &c.

LXI.

Ερωτήματα συνοπτικώτερα τεθειμένα παρὰ κυρȣ̃ Μανȣὴλ τȣ̃ Χρυσολȣρᾶ.

Liber aliquoties impreſſus eſt, notante Geſnero. Hunc codicem nitidiuſcule exſcripſit Ioannes Cretenſis anno CIƆ CCCC LXXXI. ut ipſe nos docet his verbis fini huius Grammaticae adſcriptis: Μετεγράφησαν τὰ παρόντα ἐρωτήματα διὰ χειρὸς ἐμȣ̃ ἰωάννȣ πρεσβυτέρȣ ῥώσȣ τȣ̃ κρητός· χιλιοςῷ τετρακοσιοςῷ ὀγδοηκοςῷ πρώτῳ· μηνὸς σεπτεμβρίȣ ΧΔ ἐν βενετίᾳ. Sequuntur:

Αἰσώπȣ Μῦθοι.

Ἡσιόδȣ τȣ̃ Ἀσκραίȣ ἔργα καὶ ἡμέραι.

Θεοκρίτȣ Βȣκολικὰ· εἰδύλλια δεκαοκτώ.

Poſteriores libri deſcripti ſunt ab eodem anno CIƆ CCCC LXXXII. Octobr. XV. Venetiis.

CAPUT QVARTVM.

Chartacei minores.

I.

Das buch von der rede, Lere und leben etlicher heilige Einſidel und altvätter. Vlricus Tuſchinger, paſtor Hutingenſis, ſcripſit anno 1409. Liber pertinuit ad bibliothecam Carthuſianorum Nurembergenſium, eo allatus anno 1570. per Ortloffum Milz, fratrem converſum.

II.

Theologi cuiusdam pontificii index ſcriptorum eccleſiaſticorum cum cenſuris, e bibliotheca Chriſtophori Weberi, S. T. L. eccleſiae SS. Petri & Alexandri apud Aſchaffenburgenſes canonici, advectus, qui

com-

compingi curavit anno 1588. quo Moguntiae diſputaverat de cohaerentia liberi arbitrii cum praedeſtinatione divina. Deſinit anno 1567. valde imperitus rerum extra eccleſiam Romanam geſtarum. De Serveto haec narrat: *Cum eſſet annorum 25. ſummum ſe orbis prophetam iactare auſus eſt, ſi Calvino credimus l. 4. inſt. cap. 16. Idem libros ſuos, quos de erroribus trinitatis inſcripſit, an. 1532. in lucem emiſit. Tandem a Calvino, cuius antea frater & collega fuerat, Genevae igni traditus eſt, cuius rei hiſtoriam ipſe Calvinus conſcripſit. Hanc haereſin eodem fere tempore docuit Ioannes Campanus, Germanus, & modo in Transſilvania latiſſime regnat: ubi miniſtros-patres Baſilium & ſimiles, qui trinitatem paedicaverunt, ut ſophiſtas, irrident.*

Sandius, ut hoſtium divinitatis Chriſti catalogum viri non incelebris acceſſione amplificet, in libello, qui bibliotheca Anti-trinitariorum inſcribitur, p. 17. mentitus eſt, hunc Io. Campanum, Iuliacenſem, docuiſſe Vitebergae. Quod perinde accipient lectores, ac ſi publico docendi munere impoſtor fuiſſet cohoneſtatus, cum certum ſit, theologiae diſcendae inter ceteros ſtudioſos dediſſe operam. Audivit Lutherum aliquandiu, qui novum dogma ſpargenti ita reſtitit, ut haereſis, teſte Cochlaeo vita Lutheri 1532. anno, non poſſet ullas vires acquirere. Cum Vicelius ei hoſpitium praebuiſſet, ipſe in Photiniſmi ſuſpicionem venit, atque Saxonis iuſſu in cuſtodiam coniectus eſt Vitebergae. Cuius libelli cum perquirerentur, nec ullum illius erroris documentum occurreret, obiectum ei eſt ab adverſariis, inprimis autem a Iuſto Iona, Campani ſcripta a Vicelii puero feſtinanter praerepta eſſe apparitoribus. Sed de hoc crimine ſatis ſe purgat Vicelius apologia Germanica contra Lutheranos & libello de eccleſia adverſus Iodocum Koch non procul a fine. Si vera eſt Sandii narratio, Campanum anno 1532. floruiſſe; fefellit fama Melanchthonem anno 1530. ſic ſcribentem epiſtolis per Elzevirios Lugduni Batavorum impreſſis p. 434. *Hodie reſcivi, Campanum illum noſtrum, qui nova dogmata Torgam ante noſtrum diſceſſum attulerat, captum eſſe a Leodienſi Fiſcali: Putant & ultimo ſupplicio affectum eſſe: Sed hoc poſtremum nondum certo ſcitur. Hoc dicas Doctori.* Itineris Torgenſis meminit & Vicelius, narratque Campanum quosdam nobiles Iuliacenſes habuiſſe comites.

Eodem codice habentur commentaria in primam D. Thomae theologiae partem.

In fine haec notata ſunt: *Fuerunt intermiſſae lectiones & diſceſſum a*

Muſſiponto ob invaleſcentem peſtilentiae contagionem 22. Iunii 1585. redintegratae autem Virduni 5. novembr. eiusdem anni.

III.

Commentarii in primam ſecundae D. Thomae R. P. Io. Leonis Xereſani.

IV.

Tomus I. de virtutibus & vitiis in 1. 2. D. Thomae autore Buſaeo, Noviomago, Soc. Ieſ. Doctore theologo. Moguntiae 1577.

V.

Tomus II. de angelis in primam partem D. Thomae, Moguntiae expoſitam an. 1581. a Xereſano, Hiſpano, Soc. Ieſ. theologo.

VI.

Tomus I. in tertiam partem D. Thomae autore Xereſano.

VII.

Tomus III. de tribus poſterioribus ſacramentis, item diſputatio de mundo & eius partibus, autore Xereſano.

IIX.

Tertia pars ſummae theologiae explicata Muſſiponti a P. Bleuſio an. 1584.

IX.

Tomus II. Comment. in tertiam partem D. Thomae P. Richardo autore.

X.

Commentarii in II. 2. D. Thomae.

XI.

To. III. commentariorum in tertiam partem D. Thomae Virduni 1585. a R. P. Gonſales, Hiſpano, explicatam.

XII.

Maldonatus de poenitentia & IV. noviſſimis.

XIII.

Explanatio bibliorum tradita a R. P. Nicolao Serario 1595.

XIV.

XIV.

Matricula monaſterii Theres in Franconia ab an. 1543. usque ad an. 1630. Liber protographus.

XV.

Rhapſodiae & dicta quaedam ex ore D. Martini Lutheri in familiaribus colloquiis annotata. Eiusdem epiſtolae, conſilia aliaque pulchra & neceſſaria aliquot illuſtrium virorum ſcripta. Quae omnia Valentinus Bavarus ſuo labore & manu propria ſibi in hunc librum transſcribendo comparavit. Liber compactus eſt anno 1548. ſcribae nomen impreſſum habet initialibus literis: V. B.

XVI.

Secundus tomus rhapſodiarum ſive actorum, quae temporibus Valentini Bavari in Germania aliisque nationibus acciderunt, & ad ſuas manus pervenerunt. Vnde poſteri aliquo modo colligere poſſent, quod ſeculum, & qui homines tum temporis fuerint: Non ſine magno labore, ſtudio & diligentia congeſtus & in hunc librum manu propria conſcriptus. Inceptus an. 1549. 14. Ianuarii.

Hos autographos tanti fecit Seckendorffius, ut multa hinc transſcripta hiſtoriae Lutheraniſmi inſereret Lib. I. §. IIX. add. III. §. XXXVII. §. XLII. add. II. §. XLVII. add. I. §. LXXV. add. §. LXXXV. fine additionis. Lib. III. §. XXI. addit. II. §. XXIII. §. LXXXVII. §. CXXXV. additione, & multis locis aliis. Idem lib. I. additione §. CLI. notat, his Bavari collectaneis extare Melanchthonis ad Io. Heſſum epiſtolas plus minus XIIX. quarum non niſi prima in compilatione Peuceriana excuſa ſit.

XVII.

Hiſtoriolae elegantiſſimae & utiliſſimae obiter ex ore D. Philippi exceptae. Initio haec extant: *Sum Georgii Tanneri Ic. Senioris, in communem perpetuum gratae poſteritatis Tannerianae filiorum & nepotum uſum.*

Gerardi Bucoldiani narratio de puella, quae ſine cibo & potu vitam tranſigit, edita Spirae 1542.*

Altercatio Hadriani Aug. & Epicteti philoſophi.

Statuta ſapientiae domus Friburgenſis, manu Tanneri ſcripta, qui anno

* Haec Bucoldiani narratio extat apud Schardium tom. II. rer. German. p. m. 618.

anno 1551. ductu Henrici Glareani bonis literis in academia Briſgoiae operam dedit. Notat Tannerus, D. Ioannem Fabri, epiſc. Viennenſem, ſua ſtatuta contubernii S. Nicolai, paucis pro temporis ratione, mutatis, hinc compilaſſe.

XIIX.

Ordinati ad miniſterium evangelii Witebergae a paſtore Paulo Ebero, ab undecima die octobris, quo is commigravit in domum parochialem, quod fauſtum & ſalutare ſit eccleſiae. Anno 1558.

Haec Eberus ſenior, cuius epitaphium Suevus academiae Wittebergenſi, & quidem inſcriptionibus templi parochialis, numeris XXX. XXXIV. inſeruit, ſua manu, qua etiam totum librum ſcripſit, folio primo exiſtimavit conſignanda. Sed Eberus iunior hanc inſcriptionem poſtea addidit: *Ordinati a patre anno 1558. — 1568.* Multa notatu digna hic liber continet; ſed nos unum ſaltem adſcribemus, unde intelligent lectores, quae Schelhammerus confutatione poſtillorum Weigelii p. 5. narrat, veritati non eſſe conſentanea. De Weigelii ordinatione ad miniſterium eccleſiae ſic ſcribit Eberus: *Anno 1567. d. 16 novembris ante ſecundam concionem, quam in hac eccleſia habuit exul ex Boruſſia, M. Nicolaus Iagenteufel, a me ordinati ſunt hi duo: M. Valentinus Weigelius Heynenſis, egreſſus ſcholam patriae verſatus eſt in ſchola illuſtri Miſenae ſexennium, in academia Lipſenſi annos novem, & liberalitate electoris Sax. in hac academia quatuor ferme. Vocatus hinc mandato electoris a Senatu civitatis Miſnenſis Tſchopau ad munus paſtoris, commendatus mihi literis eiusdem ſenatus.*

Iohannes Heidenius natus &c.

XIX.

Sancta noëmata D. Martini Lutheri anno 1546. Haec collecta ſunt a viro docto ſcriptaque, ut ex literarum ductu coniectamus, Luthero vivente. De Münzero ſub finem legas: *Der Münzer, miſer homo. Cum naſceretur, ei filius, ſedit aliquandiu tacitus. Poſtea vero dixit: Videtis me nihil curare. Ich bin der natur entriſſen.* Hoc volumine praeterea habetur κατάκριμα τῶν βίβλων καὶ τῆς ὁμολογίας τοῦ κουλμάννου καὶ τοῦ βετέρου. Huius libelli initium eſt: *Definitio iuſtitiae apud Oſiandrum haec eſt: Iuſtitia eſt, quae efficit, ut iuſta facianus.* Ibidem invenias Melanchthonis ad Languetum epiſtolam & plura alia hiſtoriam eccle-

ſiae

ſiae evangelicae, quae poſt Lutheri mortem variis calamitatibus agitata fuit, in primis vero colloquium anno 1557. Wormatiae habitum illuſtrantia.

XX.

Variorum literae initio reformationis eccleſiae ſcriptae, quarum prima eſt Ioannis Potkeni. Poſt pauca alia ſequitur *epiſtola Ioh. Eccii, ſedis papiſticae nuncii, ut ipſe ſcribit, inviti, deſcripta ab ipſius autographo: quae docebit, quam vera ſit epiſtola, quam e Lipſia Wittebergam ſcripſit, qua ſe invitum ait ſuſcepiſſe munus legationis adverſus Lutherum.* Extant eodem volumine Rubiani, Lutheri, Eraſmi & Melanchthonis epiſtolae. Nulla autographa heic invenias: attamen exempla perantiqua eſſe nemo non iudicare poteſt.

XXI.

Collectanea cuiusdam Melanchthonis diſcipuli, quibus hunc titulum fecit: *Varia, lectuque digniſſima, nec non utiliſſima quaeque, ex publicis praeceptorum meorum lectionibus Vitebergae fideliter annotata.*

XXII.

Farrago rerum memorabilium referendarum ad locos communes. Continet libellos famoſos in Iac. Andreae, literas Matth. Dreſſeri, Sonleutneri & aliorum, nec non deſcriptionem obſidionis Lipſiae, anno 1547. ſuſceptae.

XXIII.

Collectanea viri docti, quorum primum eſt de ratione ſtudii. Hoc volumine habentur etiam iudicium Lutheri de matrimonio regis Angliae, multorum epiſtolae circa annum 1537. ſcriptae, *Diſputation zwiſchen Fridrich Mecum und Iohan Korbach, obſervanten - mönch, zu Düſſeldorff, in beyweſen Hertzogs Io. Frid. von Sachſen, und vieler andern Graven, Herrn, Rittern, Räthen &c. geſchehen MDXXVII. die XIX. Febr.* Sub finem annexae ſunt Melanchthonis annotationes in X. librum Quintiliani 1534.

XXIV.

Catalogus bibliothecae Spalatini, ipſius manu ſcriptus atque hoc titulo inſignitus: *Georgii Spalatini bibliotheca.* Des Spalatini Librey. *M.D.XXXV.*

M. D. XXXV. exceptis literis ad me, Spalatinum, Rhomanorum pontificum duorum, regis Danorum Chriſtierni, trium electorum Saxoniae, aliorum principum & regulorum aliquot, nobilium, civitatum, ex Germania, ex Italia, ex Gallia, ex Rhoma, ex Hiſpania, ex Dania &c. Exceptis antiquitatibus in picturis, monochromatis, (ita ſcripſit) *in aereis nomismatibus, in ſtemmatis principum & nobilium familiarum, exceptis enchiridiis epiſtolarum eruditorum ad me, item enchiridiis cauſae evangelii & religionis, item enchiridiis* (manuſcripta intelligit) *ex omni ſtudiorum genere mea Spalatini manu collectis, exceptis etiam nondum ligatis codicibus Hebraeis, Graecis, Latinis, Germanis, exceptis, quae ego Spalatinus & carmine & proſa Latine diverſis temporibus ſcripſi, exceptis etiam, quae ex Latina in Germanicam linguam verti manu exarata, in diverſis ſtudiorum generib. nondum typis excuſa, Theologia, Iure utroque, Hiſtoria, Philoſophia. Exceptis etiam, quae in Germanicam linguam tranſtuli typis excuſa. Computati die trium* (regum) *1535. fuerunt CCCC. 15.* Acceſſerunt deinde diverſis temporibus libri varii, quos usque ad annum 1539. deſignavit.

XXV.

Collectanea e bibliotheca Eberi. Primus libellus eſt collatio de impoſitione manuum in dedicando ſacerdote & de dicanda victima, ſcripta in conventu Ratisbonenſi anno 1541. Folio primo Melanchthon, niſi fallor, inſcripſit: *Oſtendi reverendo d. Paſtori, doctori Ioh. Pomerano: poterit, ſi illi videbitur, praefigi libello de ordinatione.*

Communis forma agendi gratias pro collatione magiſterii philoſophici, praeſcripta M. Hieronymo Schreibero 1542. 9. Febr. Initium eſt ab Eberi manu.

D. Caſpari Peuceri de coena Domini ex arcanis ſermonibus Domini Philippi, ſoceri ſui. Ex αὐτογράφῳ D. Peuceri 3. Ianuarii 1561. Hunc titulum libello inſcripſit Eberus.

XXVI.

Exempla literarum Lutheri, Spalatini, Conr. Geſneri & aliorum Codex non quidem Spalatini manu, ſed tamen aetate illius ſcriptus.

Multas

Multas Spalatini vitae affixas hinc in lucem edidit clariſſ. Schlegelius laudato noſtro Codice p. 186. Nonnullas etiam V. C. Io. Franciſcus Buddeus ſupplemento epiſtolarum Lutheri inſeruit, ſed a lectione apographi noſtri nonnihil abeuntes, ut notat Tenzelius bibliothecae curioſae anno 1704. p. 198. Vtinam vir quidam eruditus ac prudens omnes Lutheri epiſtolas, quae publicae rei utilitatem afferunt, uno volumine comprehenſas ederet, abiectis iis, quae res nihili narrant, notaretque ſummo ſtudio ac diſcerneret ex autographis publicatas ab iis, quae exemplorum plerumque ſatis oſcitanter ſcriptorum fide imprimuntur, neque adeo a cenſoribus Lutheri, cum aliqua aequitatis ſpecie, doctrinae eius aſſeclis opponi poſſunt. Editor operum Lutheri Altenburgenſis, Ioannes Chriſtfridus Sagittarius, multas magni viri epiſtolas, quarum ſyllabum anno 1663. publici iuris fecit, incredibili labore collegerat poſt Aurifabri duos in tertium tomum deſituras. Sed trifur quidam totum faſciculum ſuffuratus eſt. Nuper Io. Fridericus Mayerus, Theologus Gryphiswaldenſis, eum inter bibliothecae ſuae praecipua ornamenta annumerabat a quodam bonarum literarum ſtudioſo mediocri pretio emtum. Ceterum quam longe autographa epiſtolarum Lutheri aliquando recederent ab apographis, nuper ad oculum demonſtravit Pol. Lyſer praefatione ſylloges epiſtolarum Pol. Lyſeri ſenioris.

XXVII.

Volumen collectaneorum ad hiſtoriam formulae concordiae pertinentium. Primo loco poſita eſt Io. Sturmii ad Antonium Cockum epiſtola.

XXIIX.

Volumen varias eccleſiaſticae hiſtoriae ſeculi XVI. partes illuſtrans. Initio extat iudicium Lutheri anno 1532. latum de Io. Friderico Sax. electore & nobilibus quibusdam opt. principem in ſummum periculum adducturis.

XXIX.

Collectanea, in quibus eſt Carlewitzii itinerarium autographum ab anno 1542. quo militatum contra Turcas abiit in Hungariam.

XXX.

Collectanea perantiqua, quorum initio habetur *die gemain verſchreibung des ponnds S. Georgen Schild.*

XXXI.

Theologia aſtrologizata.

Theophraſtus Paracelſus *von der Widergeburth des Menſchen.*

Auslegung deſs heyligen Propheten Danielis ex autographo Theophraſti Paracelſi.

Idem de antichriſto.

XXXII.

Volumen varia ad crypto-calviniſmi hiſtoriam pertinentia complexum. Folio primo extat *das bedencken der Theologen in dem Synodo zu Torgaw anno 1574.*

XXXIII.

Vrſachen der Kirchen im Ampt Aſchenburgk, warum das corpus doctrinae Philippi nicht für ein Norm oder regel, darnach man ſicher lehren könte, zu halten.

Multa alia hiſtoriae eccleſiarum Saxonicarum poſt reformationem adiumenta.

XXXIV.—XXXVII.

Volumina IV. quibus copioſe deſcribuntur res eccleſiarum Thuringicarum a morte Io. Guilielmi, Vinarienſis.

XXXIIX.

Variae actiones Theologorum ab anno 1546. usque ad 1573.

XXXIX.

Annales, *oder kurze hiſtoriſche verzeichniſs der almeilich reſtituirten Religion und Kirchen-miniſterii in Thüringen und ſonderlich zu Waymar*, de anno Domini 1576.—1680. *Bartholom. Gernhardt F. S. Hofpredigers.*

XL.

Volumen Formulae concordiae delineationem & apologiam complexum.

XLI.

Aliud eiusdem argumenti volumen cum iudiciis variorum.

XLII.

Articuli Lichtenbergenſes anno 1576. die XVI. Februarii cum epiſtolis variorum de formula concordiae.

XLIII.

Literae, collectanea & loci communes Io. Erneſti Gerhardi, theologi Ienenſis, cum genealogia Gerhardina & cognatorum.

XLIV.

Varia theologica. Initio reperitur *der Abſchid in religions-ſachen zu Franckfurth am Mayn* 1558.

XLV.

Anhalt-Zerbſtiſche geiſtliche annales, *zuſammen getragen von Io. Henr. Feuſtking.*

XLVI.

Varia theologica formulae concordiae & crypto-calviniſmi hiſtoriam adiuvantia, quibus praemittitur Torquati prognoſticon de everſione Europae.

XLVII.

Varia theologica. Initio habetur reſponſio ad quaeſtionem: An certitudo perſeverantiae finalis hypothetica ſit infallibilis.

XLIIX.

Vita Erneſti Bavari rhythmis Germanicis. *

XLIX.

Epiſcoporum atque archiepiſcoporum Salisburgenſium vitae & inſignia usque ad annum 1587.

L.

Diſſidii inter Fridericum III. Caeſ. & fratrem Albertum, nec non ſeditionis Vindobonenſis deſcriptio rhythmis Germanicis, autore Michaele Beham, qui in arce fuit, cum a rebellibus obſideretur.

* *Vide Tenzelii colloquia anno 1691. menſe novembr. p. 927.*

LI.

Memorabilia ex chronicis rerum Auſtriacarum rev. & clariſſ. Viri, Domini Thomae Ebendorferi de Haſelpach, S. theol. D. & Profeſſoris in archigymnaſio Viennenſi, ab anno MXII. usque ad annum MCCLXXIV.

LII.

Chronicon von LudVVigen dem Springer.

LIII.

Frigedang. Initium eſt: *Ich bin genant beſcheidenheit, die aller tugende crone treit.* Inſunt & alia multa rhythmis Germanicis ſcripta ante annos circiter CCC. *

LIV.

Itinerarium Hieroſolymitanum Guilielmi Saxonis cum rationibus adeo non procedentibus extra modum, ut mirum ſit, illuſtrium hominum inſignem multitudinem iis ſumtibus totum iter emenſam, queis hodie unus nobilis vix praecipuas Europae partes perluſtraret. Liber ſcriptus circa annum 1462.

L V.

Enumeratio omnium principum & legatorum, qui comitiis Norimbergenſibus anno CIↃ CCCC LXXXVII. interfuerunt, cum nominibus omnium nobilium cuiusque aulae.

LVI.

Herr Wittich von dem Iordann.

LVII.

Anonymi genealogia der Herzogen zu Pommern, nebſt Anzeigung der Geſchicht, ſo bey eines ieden Leben ſich begeben.

LVIII.

Chronica varia, in quibus ſunt Ioannis Wincelii, Bremenſis, chronographiae Ieverenſis antiquitatis epitome anno 1550. ſcripta, & nonnulla hiſtoriam Oldenburgicam & Hamburgenſem illuſtrantia.

* *Vide Tenzelium an. 1691. p. 930.*

LIX.

LIX.

Chronicon Oldenburgicum usque ad nuptias Antonii comitis & Sophiae Lauenburgicae. Initium eſt: *Horet gyalden.*

LX.

Chronicon Oldenburgicum e Latino in vernaculam translatum anno 1506.

LXI.

Horatii ſermones & carmina.

Æn. Silvii diſputatio in Thaboritas.

Idem de miſeriis curialium.

Eiusdem oratio de emendanda vita.

Collatio ſynodalis Doctoris Iohannis Geſſel, canonici Auguſtenſis, ſub epiſcopo & cardinali Petro de Schowenbourg.

Io. de Capiſtrano epiſtolae quaedam ad Papam de rebus Turcicis.

Panegyricon de vero bono Laurentii de Valle.

Hic codex aetate Pii II. ſcriptus eſt.

LXII.

Thema genethliacum Ioannis Saxoniae electoris expoſitum anno 1498. Autographum autoris, qui nomen ſuum hoc modo ſubſcripſit: *E. F. G. unterthäniger Aſtrologus Meyſter Erhardt Sittig.* In capite de religione Principis ſcribit: *Er vvird mit den gaiſtlichen vvandeln und ſie lieb haben, ſonder die ains geordenten unverhurten Lebens ſind.— Bedevvt ſeins glaubens nit vvanckel noch abtreten, ſonder gute ding darin vvürcken. Aber den ungeordenten gaiſtlichen, und die vvider ihr ſelbſt ordnung ſind, den iſt er ſtreng.*

LXIII.

Ioannis & Ioannis Friderici, electorum Saxoniae, nec non Io. Guilielmi Vinarienſis teſtamenta.

LXIV.

Ioannis Forſteri, Ic. cuſtodia, liberatio & obitus Io. Friderici, Saxoniae electoris, deſcripta ex Forſteri ſenioris, qui optimo principi filiisque eius a conſiliis fuit, & cancellarii Minckvvitzii adverſariis.

LXV.

Von der Stadt Gotha, vvie das evangelium dahin kommen, die miniſteria der Kirchen und Schulen verordnet, und vvie das ſchloſs erbavvet.

Narratio de obſidione arcis Grimmenſtein an. 1567.

LXVI.

Pericopae epiſtolarum a Frid. Guilielmo, electoratus Saxoniae adminiſtratore, ad varios ſcriptarum anno 1597. Liber diurnorum negotiorum ab ipſomet principe Latina lingua exaratus, unde intelligas, incredibili ſtudio in illo munere verſatum.

LXVII.

Vita Bernhardi Vinarienſis autore Ioanne Chriſtophoro von der Grün.

LXIIX.

Erffurtiſche chronica uſque ad annum 1544.

LXIX.

Der Fürſten Regiment. Liber ſcriptus an. 1435. docet, iuſtitiae fruendae cauſa principes conſtitutos eſſe, neque adeo quicquam facere oportere, quod bonum patrem parum deceat.

LXX.

Machiavelli ad Mag. Laurentium Medic. de principatibus libellus feliciter incipit. Argumenta capitum Latina, ipſe autem libellus Hetruſca lingua ſcripta ſunt. Continet quaedam in editis deſiderari ſolita.

LXXI.

Tertius liber numiſmatum Pfeffingeri protographus hoc titulò: *Ærea & plumbea, Degenhardi Pfeffingeri, Baioariae infer. Marſcalci hereditarii numiſmata.* Liber dedicatus eſt Maximiliano I. Frid. III. Sax. electori, & Wilhelmo, comiti Palatino Rheni & Duci Bavariae, quorum inſignia, perinde ut Pfeffingeri illud, praemittuntur. Sequitur haec praefatio:

SECVLO D. LEONIS X. PONT. MAX.
ET D. MAX. AEMIL. CAES.
M. D. XIV.

DEGEN-

DEGENHARTVS PFEFFINGER: BAVARIAE INF. MARSCALCVS HERED. LECTORI S.

Conditis in arculam nomiſmatis meis: ut omnia eſſent faciliora inventu: aerea & plumbea a reliquis diſcreta hoc ordine collocavi: inluſtriſſ. & opt. Principis D. FRIDER. III. Sacr. Ro. imp. electoris, Ducis Sax. Lantgr. Dur. & marchion. Miſn. cubicularius. Quisquis ergo vel honeſtat. vel antiquitatis ſtudioſus: habebis hic, unde voluptatem capias vel honeſtiſſimam. Nam ſi Alex. Caeſ. in ſuis habuit Larariis Chriſtum: * Abraham: Vergil. Ciceronem: tibi quoque pulchrum videri debet: videre tot SS. Pont. tot potentiſſ. Regum & Principum effigies: tot etiam preſtantiſſ. artificum ingenia. Haec enim compoſui meis: & poſteritati ſine invidia iudicaturae. D. M. S.

In numis Friderici III. electoris nonnulli numerum obtinent his verbis ſignati: *Mater Dei miſerere mei.* *Hilf ſant Anna.* *Caſpar Melchior Balthaſar.* *Sit nomen Domini benedictum.* Notat etiam, numum circumferri ſine nomine, cui inſcriptum: *Villeicht gluckt mirs auch.*

Fuit hic vir inſigne Germanicae nobilitatis ornamentum, ac initio reformationis eccleſiarum inter praecipuos Friderici adminiſtros: quare Leo X. anno 1519. literas ad eum dedit per Miltitzium allatas, quae inſertae ſunt to. I. Ienenſi opp. Latin. f. 208. Multa de Pfeffingero congeſſit Seckendorffius hiſt. Lutheran. lib. I. addit. §. XLVIII. Numum memorialem in ſe cuſum exhibet hoc libro p. 97. Impreſſa ſunt inſignia cum his verbis: *Tegenhart Pfeffinger zu Salbarn Kirchen, erbmarſchal in nidern Bairn.* Servatur aeneus in numophylacio opt. Principis mei, Friderici II. Gothani.

LXXII.

Terentius cum ſcholiis interlinearibus & marginalibus.

LXXIII.

Guntheri Henrici Plathneri lectionum Iuvenalium libri V.

His libris Iuvenalis ſatyrae incredibili ſtudio iudicioque exponuntur a viro omnibus adiumentis inſtructiſſimo. Barthius epiſtola anno 1637. ad Plathnerum ſcripta magnopere probat viri doctiſſimi inſtitutum poſt alia

* *Lege Lampridium in Vita cap. XXIX.*

alia his verbis uſus: *Beatos nos hoc ſuperſtite tanti poëtae ſoſpitatore, ſine quo dudum de ipſius ſalute dubii eramus, eo animo indignantiore, quo maiore vel ingenio, vel perſuaſione ſummum vatem ſemper cariſſimum habuimus.*

LXXIV.

Eſaiae Eſtenſis epithoma ex Italia illuſtrata Blondi Flavii Furlivienſis excerptum: quo ſingulis connumeratis locis vetuſtatis monumenta potiſſimum commemorantur.

LXXV.

Friderici II. Daniae regis filiarum quatuor themata genethliaca per Tychonem Brahe 1583.

LXXVI. — LXXIX.

Erneſti Pii, Saxoniae Ducis, numiſmata aurea, inaurata & argentea, Iudaica, Graeca & Germanica antiqua, in primis Saxonica, tomis quatuor deſcripta.

LXXX.

Toppii apophthegmata Saxonica & Turingica an. 1646. Erneſto Pio dedicata.

LXXXI.

Itinerarium Ioann. Guilielmi, Vinarienſis, ab anno 1549. usque ad an. 1572. unde optimi principis totum vitae curſum diſcas.

LXXXII.

Ordinationes & inſtituta Hamburgenſia inferioris Saxoniae dialecto.

LXXXIII.

Ein underricht Aug. Marii Doctoris auf 2. Tractaetlein herrn Antonii Zimmermans: Ob die ſeel Chriſti nach ſeinem tod in der hellen erlitten hab. an. 1525. cum revocatione Antonii.

LXXXIV.

Memorabilia in lectionibus & colloquiis Lutheri annotata circa annum 1544. Liber e bibliotheca P. Eberi huc translatus. Inter alia narrat Lutherus, Fridericum Saxonem, qui Sapiens appellatur, quotannis natali ſuo tot aureos obtuliſſe altari, quot annos tunc emenſus eſſet, eamque pecuniam accepiſſe Spalatinum, concionatorem principis.

LXXXV.

Vita Mauritii Sax. electoris per Georgium Arnoldum, I. V. D. & cancella-

cellarium Naumburgenſem, ſcripta Latine, ſed in vernaculam verſa per Davidem Schirmerum.

LXXXVI.

Lexicon Ebraicum perantiquum, quod Petrus Pleier, eccleſiae Coburgenſis ſymmyſtes, an. 1609. Io. Gerhardo donavit.

LXXXVII.

Codex Arabicus, cuius autor eſt Abulaith, Muhammedicae religionis presbyter, patria Samarcandenſis. Librum inſcribit titulo theſauri iurisprudentiae. Complectitur maximam partem rituum & ceremoniarum ſuperſtitionis Islamiticae, aut, ſi mavis, iuris potiſſimum eccleſiaſtici. Deſcriptus eſt liber ab Haſan Ibn Safar, anno Hegirae DCCCCXCVII. id eſt, aerae chriſtianae CIↃ IↃCXIX. Autor praecipue ſecutus eſt placita Abu Hanifae Cufenſis, clari inter Muhammedanos doctoris. Totum opus in XLVI. libros diviſum eſt.

LXXXVIII.

Alcoranus elegantiſſime ſcriptus. Quae ab initio olim deſiderabantur, manu D. Blumbergii, Zuiccavienſis praeſulis, reſtituta ſunt.

LXXXIX.

Liber precum Arabicarum. E bibliotheca Schvventeri comparavit Io. Ern. Gerhardus Altdorffi 1641.

XC.

Manuale Turcicum, cuius initio extat tabula de attributis divinis. Sequuntur laudes Muhammedis & preces cum Turcicae tum Arabicae.

XCI.

Manuale Turcicum. Precibus immixti ſunt characteres magici & capita quaedam ex Alcorano.

XCII.

Suratae quaedam Korani. Idem Gerhardus emit e bibliotheca Swenteri.

XCIII.

Capita quaedam Alcorani nitidiſſime ſcripta. In fine extat formula precationis & traditio de multiplici uſu nominum Muhammedis, quae ibidem recenſentur.

XCIV.

Manuale Turcicum continens preces Arabicas & Turcicas, quibus quaedam ex Alcorano inſeruntur verſibus in margine notatis.

XCV.

Carmen Perſicum, quo potentiſſimi gubernatoris, Siſi, encomia traduntur.

XCVI.

Codex Turcicus magni prophetae & aliorum ſententias dogmaticas & morales comprehendens.

XCVII.

Piae meditationes Turcicae, ex mirabili ſtructura & conſervatione huius univerſi.

XCIIX.

Libri duo Perſica lingua ſcripti, quorum prior regem Sophi, poſterior Iſi laudat.

XCIX.

Commentarius Arabicus in Alcoranum, cum hiſtoria Abrahami, Moſis & aliorum ſanctorum antiqui foederis.

C.

Codex Arabicus ſententias Mahumedis & ſociorum in certa capita digeſtas continens.

CI.

Oratio exhortatoria ad genus humanum, multis argumentis id agens, ut omnes ad amplectendam Muſulmannorum ſectam permoveat. Scripta eſt maximam partem Arabice.

CII.

Codex Turcicus de quibusdam fluminibus, fructibus ac herbis in oriente.

CIII. CIV.

Preces & ſuſpiria Turcica ad Deum & Ischi, primogenitum Mariae.

CV.

Compendium dogmatum religionis Mahumedanae lingua Arabica.

CVI.

Expoſitio Arabica ſelectiorum ſuratarum Alcorani.

CVII.

Codex mutilus lingua Arabica ſcriptus continens fundamenta ſectae Muſulmannicae.

CIIX.

Liber Turcicus de vita Daphiſi & Iaphi. E bibliotheca Thomae Segheti anno CIϽ IϽCXXI.

CIX. CX.

Libelli Turcici precum cum multis characteribus incognitis &, ut ita dicam, Kabbaliſticis.

(o)

INDEX.

A.

ABammonis ad epiſtolam Porphyrii reſponſio II.150
Abbonis Floriacenſis paſſio Edmundi I. 57
Abenſina II. 273
Æneae Silvii quaedam IV.61
Æſopi fabulae gr. III.60
Agricolae *Georg.* epiſtolae II.124
Alamannorum leges I.54
Alberici poëtria I.50
Alexandri M. hiſtoria I. 77
Alkabitii introductio III.57
Alſtedii *Io. Henr.* epiſtolae II.128
Altenburgenſe colloquium II.34
Althuſii epiſtolae II.128
Altingiorum *Henr.&Menſ.* epiſtolae II. 128
Ambroſius de officiis II.19
Ambroſianus cantus III. 26
Amlingi *Wolfg.* epiſtolae II.128
Anabaptiſtarum acta II. 29
— colloquium Pfedershemenſe II. 95
Andreae *Jac.* epiſtolae II.56
— *Ioh. Mich.* epiſtolae II.128
— *Tob.* epiſt. ibid.
Anna Angliae Pſeudo - regina II. 122
Annaebergenſia II. 211
Annonis Archiep. Colon. vita & translatio II.24
Anonymi index ſcriptorum eccleſiaſticorum IV. 2
Ariſtoteles de cœlo & mundo I.67
Arma gentilitia ſtatuum Imperii II. 233
— Nobilitatis Franconicae II.234
Arndii *Io.* epiſtolae II.119
Artopoei *Eberh.* epiſtolae II.128
Athletica I.75.76
Avenarii *Io.* epiſtolae II.124
Aventini *Io.* epiſtolae II. 121
Auguſtana II.91.92.204
Auguſtini ſermones aliquot I. 35. III. 9
— de mandragora III.10
— homiliae ſuper epiſt. Ioannis III. 21
— liber de agone chriſtiano ibid.
— libri de doctrina chriſtiana ibid.
— in Ioannem & de paſtoribus I. 52
— Categoriae I.53
— epiſtolae I. 51
— de civitate Dei I.53
Auguſtinus de Ancona ſuper Matthaeum II. 8.9
Avicenna v. Abenſina.
Aurea bulla III.41
Aurifaber de confutationibus II. 34
— epiſtolae II.41.124
Auſtriaca II.170-177.IV.50.51

B.

Baioariorum leges I.54
Bambergenſia II.214

Q 3 Bar-

Bartholomaei de Piſis caſus conſcientiae III. 36
Bavari collectanea hiſtoriam reformationis illuſtrantia IV.15. 16
Beda in Marcum I.38
— Lucam I. 39
— Acta Apoſt. & epiſtolas canonicas I. 40
— in Tobiam II.17
— homiliae II. 23
Bernhardi Vinarienſis vita IV.67
Bezae *Theod.*epiſtolae II.124.128
Biblia Germanica magni pretii I. 9. 10
Bibliotheca medio aevo quid? I. 18
Boëthius de conſolatione philoſophica II. 20
Boëtii *Seb.* epiſtolae II.125
Bohemica II.160-169
Bonaventurae curſus de paſſione III. 35
Boſii *Io. Andr.*epiſtolae II.130
Breſsniceri *Alexii* acta II.31
Breviarius Mogunt. Alberti I. III. 23
Breviarium Caroli V. III.24
Brochtoni epiſtolae II.128
Buchneri epiſtolae II.128
Bucoldianus de puella quae ſine cibo & potu vixit IV.17
Buxtorfii *Io.* epiſtolae II.128

C.

Camerarii *Ioach.* epiſtolae II.125
Cammerhoferi *Baſil.* epiſtolae II.125
Campani Anti-Trinitarii vita IV.2
Campegii Card. epiſtolae II.120
Cantionum liber *Io. Friderici* Sax. electoris II. 99
Capitula regum Francorum I.54
Capitulare Triburienſe I.54
Carlovvizii itinerarium Hungaricum IV.29
Caroli M. vita III. 39.40
Caroli V. vita II.173.174
Caſelii *Io.*epiſtolae II.134
— *Matth.*epiſtolae II.124
Caſſellanum colloquium II. 118
Catena graeca in Pſalmos I.80
Catholicus diſcretus II.96.97
Cellarii *Balth.* epiſtolae II.134
Chemnitii *Chriſt.* epiſtolae II.130
— *Mart.*epiſtolae II.56
Chronicon Haſſorum III.59
— univerſale Germanorum I. 62. II. 157.158
— de origine Saxonum I. 63
— civitatis Senenſis I.64
Chryſolurae Grammatica Graeca III. 60
Chryſoſtomus de patientia Iobi & poenitentia III.22
Chymici veteres II.146.269
Chytraeus *Dav.* plagii accuſatus II. 85
— epiſtolae II.119
Cicero de amicitia III.48
— de officiis III.49
— libri rhetoricorum III.50
Clemens Papa de communi vita I. 35
Codex Theodoſianus I.54
Coeleſtini epiſtolae IV.41
Collectanea ex lectionibus Lutheri IV. 15.16. 19. 84
— ex lectionibus Philippi IV.21
Collini *Matth.* epiſtolae II.124
Colloquium Altenburgenſe II.34
— Caſſellanum II.118

Col-

Colloquium Grimmenſteinenſe II. 35
— Maulbrunnenſe II.79
— Pfedershemenſe II.95
— Thorunienſe II.118
Conventus Theologici Lipſienſes II. 88
Cornerii translatio Pſalmorum II. 99. 100
Cratonis *Io.* epiſtolae II.124
Crellii *Paul.* epiſtolae II.125
Crocii *Lud.* epiſtolae II. 128
Crucigeri *Alb.* epiſtolae II. 124
Crypto-Calviniſmus II. 87. IV. 32. 46
Cundiſii *Gothofr.* epiſtolae II. 130
Curei *Adam.* epiſtolae II. 124

D.

Damaſi verſus de laude Pauli Apoſtoli I.18
— epiſtolae I. 51
Daumii epiſtolae II. 135.139
Digeſtum infortiatum I. 61
Dilherri epiſtolae II. 130
Dilletii epiſtolae II. 128
Draconitis epiſtolae II. 124
Dreſſeri *Matth.* epiſt. IV. 22
Druſii *Io.* epiſtolae II. 128
Dürfeldi acta II. 44

E.

Eberi *Paul.* epiſtolae II.123.125. 126
Eccii *Io.* epiſtola IV. 20
Edmundi Regis paſſio I. 57
Edzardi *Esdr.* epiſtolae II. 135
ab Eizen *Pauli* epiſtolae II.125
ab Ende *Wolfg. Georg.* de ſtatu religionis II. 117
Epicteti & Hadriani altercatio IV. 17
Eraſmi epiſtolae II.30. IV. 20
Erfurtenſia II. 205—208. IV. 68
Erneſti Pii numiſmata IV. 76
Erneſti Haſſiae Landgr. de ſtatu religionis II.95. 96
Evangelia Dominicalia ante annos CCCL. ſcripta Germanice III 20

F.

Fabricii *Georg.* epiſtolae II. 121
— *Iac.* epiſtolae II. 128
Faji *Ant.* epiſtolae II. 128
Ferdinandi I. vita II. 173.175
Feſſelii *Dan.* epiſtolae II. 135
Feuſtkingii annales Anhalto-Serveſtani IV. 45
Feurbornii epiſtolae II.135
Fichetti rhetorica I. 68
Flacii controverſia I. 31. 32. 33. 36. vid. Strigelius.
— epiſtolae II. 125
Formula Concordiae II. 50. 82. 83. 84. IV. 27. 40—42. 46
Forſteri epiſtolae II. 91
Freinshemii epiſtolae II. 130
Friſchmuthi epiſtolae II. 130.135
Fuggerorum in aula Rom. poteſtas II. 23
Fulgentii continentia Virgiliana & fabulae I. 50. II.236
Fullenii *Bern.* epiſtolae II. 128

G.

Gaſſari annales Auguſtani II. 204
Gedanenſia II. 94
Gerhardi *Io.* varia II. 81. 85. 86. 88
— *Io. Ern.* epiſtolae II. 130
— loci communes & collectanea IV. 43
[G]ernhardi *Barth.* collectanea II. 102—111. IV. 39

Gerſonis quaedam II.19
Geſneri *Conr.* epiſtolae IV.26
Glaſeri chronicon Hennebergicum II. 197
Glaſſii *Sal.* epiſtolae II.130.135
Goclenii epiſtolae II.128
Gothana II.208.235
Goulartii epiſtolae II.128
Gregorii homiliae in Ezechielem I. 55
— moralia I.35. II.18
Grimmenſteinenſe colloquium II. 35
Grumbachiana II.186
Gundelfingii hiſtoria Auſtriaca II.170. 171

H.

Haberkornii epiſtolae II.132
Hadriani & Epicteti altercatio IV. 17
Hagen *Georg.* hiſtoria Auſtriaca II. 172
Hamburgenſia II.93.210
Hanaphus de exemplis ſcripturae III. 13
Hannkii *Mart.* epiſtolae II.132
Hardenbergii *Alb.* epiſtolae II.121
Haſſiae chronicon III.59
Haymo in Apocalypſin I. 44. II.17
Hennebergenſia II.197—200
Henrici VIII. Angliae Regis epiſtola I. 70
Henrici Brunſvic. epiſt. II.54
Henrici de Haſſia ſermo in feſto lanceae & clavorum II.19
Herbipolenſia II.182—188.214.216
Heshuſii *Tilem.* epiſtolae II. 41.45.55. 124
Heſiodus graece III.60
Hieronymi vita II.21. 26
Hieronymus de aſſumtione Mariae III. 21
— in Ioëlem, Micham & Ionam I. 29
— in Ieremiam & Abdiam I.34
— opuſcula I.35
— epiſtolae I.51
— homiliae II.23
Hoe ab Hoenegg epiſtolae II.131
Holkoti concordantiae III.13
Honorius ſuper Canticum III.10
Horatius IV.61
Hottoni *Gottofr.* epiſtolae II.141
Hovaei epiſtolae II.128
Hugelius de confutationibus II.34
Hugo ſuper Eccleſiaſten. III.12
Hülſemanni epiſtolae II.130.132.141

I.

Iamblichus ad epiſtolam Porphyrii II. 150
Ilosnani deſperatio II.94
Infantiae Chriſti liber III.37
Interimiſtica II.31
Ioannis de Montavilla iter Hieroſolym. II.25
Ioannis Epiſcopi homiliae in Dominicis Adventus III.9
Ioannis Sax. Electoris conſtantia ab aſtrologo praedicta IV. 62
— autographa I.72
Ioannis Caſimiri Palatini epiſtolae II. 59
Ioannis Friderici Sax. Elect. cuſtodia, liberatio & mors IV 64
Ioannis Friderici II. Sax. Ducis meditationes & threni in captivitate II. 77
Ioannes Guilielmus Vinarienſis matrimo-

trimonium cum Angliae regina negligit II. 41
— princeps induſtrius II.225-227
Ionſtoni epiſtolae II. 128
Iordani poſtilla II. 14
Iordani *Chriſt.* hiſtoria Salisburgenſis II. 179—181
Irenaei *Chriſt.* epiſtolae II. 32.41
Iſidorus de officiis I. 35
Islebienſis ſynodi acta II.57
Iunii *Franc.* epiſtolae II. 128
Iuvenalis III. 52.53
Iuvenales lectiones Plathneri IV. 73

K.

Keckermanni epiſtolae II.128
Kesleri *Andr.* epiſtolae II.141
Kevenhulleri excerpta II.176
Kirchneri *Tim.*epiſtolae II. 56
Klebitzii epiſtolae II. 124
Kloedii acta II. 43
Krenzhemii epiſtolae II.124

L.

Lactantius I. 50
Lectionarium eccleſiae Graecae I.81
Leges Salica, Ripuariorum, Longobardorum &c. I.53
Leonis homiliae II. 23
Lipſienſis conventus acta II. 46
Lipſii *Iuſt.*epiſtolae II.55.119
Lombardus in epiſtolas Pauli I.42
Longobardorum leges I. 54
Loſſii epiſtolae II.124
Ludolfi *Iob.* epiſtolae II. 132. 141
Ludovici Palatini epiſtolae II. 16
Lullus *Raym.* de lapide minerali II. 147
Lutheri Codex IV. Evangeliorum III. 14
— epiſtolae ineditae II. 91. 119. 120 IV. 20. 26
— iudicium de matrimonio Regis Angliae IV. 23
— varia II. 94. IV. 15. 16. 19
— vita II. 213
Lyra quando ſcripſerit I. 23

M.

Machiavellus de principatibus IV. 70
Macrobius de hyle I. 50
Magdeburgenſia II. 201. 209
Maldonatus de poenitentia & quatuor noviſſimis IV. 12
Mametractus I. 48
Mansfeldenſia II. 201
Marbachii *Io.*epiſtolae II. 32. 121
Marcianus de hyle I. 50
Marianus de ſcripturae intelligentia II. 27
Martinii *Matth.*epiſtolae II. 128
Martyrum Anglicanorum vitae I. 56
Mattheſii *Io.*epiſtolae II. 121
Matthiae *Io.*epiſtolae II. 140
Mauritii Saxon. Electoris vita II. 173. IV. 85
Maximi ſermones quidam III. 9
Maximilianus I. Pontificatum ambit. II. 23
Maximiliani II. coronatio II. 177
Meiſneri epiſtolae II. 131. 138
Melanchthonis epiſtolae ineditae II. 91. 94. IV. 16. 20
— corpus doctrinae II. 84. 85. IV. 33
Meliſſi epiſtolae II. 124
Menzeri *Balth.*epiſtolae II. 131
Meyfarti epiſtolae II. 131
Michaëlis de Bononia expoſitio Pſalmorum II. 5
Milichii epiſtolae II. 121
Misleri epiſtolae II. 138
Moerlini *Max.* controverſia II. 36

Moerlini epiſtolae II.121
Mogii epiſtolae II. 138
Moibani *Ambr.* epiſt II.121
Monaſterienſia II. 29
Moningeri epiſt. II. 124
Moſellani epiſt. II. 119. 121
Mülleri *Io.* epiſt. II.138
Münzeriana IV. 19
Muſaei *Io.* epiſt. II. 129
— *Sim.* epiſt. II.32.41.55
— conſilium de Strigelio II. 34
Myconii diſputatio Düſſeldorpienſis IV. 23
— hiſtoria Gothana II.208
— epiſtolae II. 121

N.

Name *Sal.* de verbis Paradiſi II.273
Naumburgenſis Conventus II. 94
Netheni epiſt. II.140
Niemanni epiſt. II.140
Norimbergenſia II. 202

O.

Oldenburgica IV.58.ſeqq.
Oleviani epiſtolae II. 128
Orielis Archiep. Mogunt. epiſtola II. 122
Origenes ſuper Geneſin I. 35
Oſiander contra Schwerdfegerum II. 94
Oſſeni oeconomica II.228. 229
Oſtorodi reſponſio contra Tradelium II. 82
Ovidii heroides III. 55

P.

Paracelſus *Theophr.* de regeneratione IV. 31
— comm. in Danielem ibid.
Pareorum *Dav.* & *Io. Phil.* epiſtolae II. 128
Paſoris epiſtolae II. 128
Perſius III. 52
Petrus Cameracenſis in orat. domin. II. 19
Petri Trecenſis chronicon II. 156
Petri de Vineis epiſtolae I. 69
Peucerus de coena Domini IV. 25
Pezelii *Chriſt.* epiſtolae II. 124
Pfedershemenſe colloquium II. 94
Pfeffingeri numiſmata IV. 71
Pflugii *Iul.* epiſtolae II.121
Philippi Auſtriaci vita II.173
Philippi Clivenſis bellica II.235
Pii II. P.R. autographum I.65
Piſcatoris *Io.* epiſtolae II. 128
Piſtorii *Conr.* epiſtolae II. 56
Plathneri κυριακά, ius reformandi & obſervationes in Evangelia II. 89. 90
— obſervationes in libros hiſtoricos V. T. II. 133
— epiſtolae II. 140
— loci communes iuridici II. 142—145
— lectiones Iuvenales IV. 73
Plato de hyle I. 50
Plutarchi apophthegmata III. 46
Polani epiſtolae II. 128
Pollionis *Luc.* epiſtolae II. 125
Pomarii epiſtolae II. 140
Pomerana IV. 57
Poſſelii *Io.* epiſtolae II. 124
Potkeni *Io.* epiſtola IV. 20
Praetorii *Abd.* epiſtolae II. 124
Prehmii *Petri* acta II. 43

Q.

Quenſtedti epiſtolae II.140
Quintilianus I. 66
Quirinus de nobilitate III. 46

R. Ra-

R.

Rabanus Maurus de cruce I. 56
Rabi *Lud.* epiſtolae II. 121
Ravensburgenſis Eccleſiae reformatio II. 93
Reineſii diſſ. de autoribus auri conficiendi artem tradentibus II. 269
— epiſtolae II. 135
Rheinfridi Duc. Brunſvic. hiſtoria III. 42
Rhetici *Ioach.* epiſtolae II. 121. 124
Ribuariae leges I. 54
Rolfinckii *Wern.* epiſtolae II. 138
Roſencranzii *Olig.* epiſtolae II. 131
Roſini *Barth.* acta II. 41. 42
Ruſticorum tumultus acta II. 29

S.

Sacci *Sigfr.* epiſtolae II. 121
Sagittarii *Chriſtfr.* epiſtolae II. 139
Salica lex. I. 54
Salisburgenſia II. 179—181. IV. 49
Sarcerius de confutationibus II. 34
Saxonica II. 188—194. 230
Scheyern monaſterium II. 219
Schneebergenſia II. 242
Schnepfius *Erh.* de confutationibus II. 34
Schwarzburgica II. 203
Scriptura S. dicitur bibliotheca I. 18
Sculteti *Abr.* epiſtolae II. 128
Senecae tragoediae III. 51
Serarii explanatio bibliorum IV. 13
Servetus IV. 2
Servius in Virgilium II. 236
Slevogti *Paul.* epiſtolae II. 129
Sohnii epiſtolae II. 128
Spalatini biblia III. 4
— bibliotheca IV. 24
— vitae Pontificum II. 112
— vitae Marchionum Miſniae & Electorum Saxoniae II. 192--194
— epiſtolae IV. 26
Statuta domus ſapientiae Friburgi IV. 17
Stifelii *Eſ.* epiſt. II. 125
Stigelii *Io.* epiſt. II. 119
Stoeſſelii conſilium de Stigelio II. 34. 36
— acta II. 43
— epiſt. II. 124
Stradae vitae pontificum II. 178
— numiſmata Impp. II. 239. ſeqq.
Strauchii *Io.* epiſt. II. 129
Strickeri vita Caroli M. III. 39. 40
Strigelii controverſia cum Flacio II. 31. 34. 35. 37. 38. 39
Strophii *Sigism.* epicedium Guntheri Schwarzburgici II. 203
Sturmii *Io.* epiſt. IV. 27
Sturmii *Obert.* epiſt. II. 128
Svevica II. 198
Svevicum foedus IV. 30

T.

Talhofferus *Io.* I. 75
Tangelii *Luc.* epiſt. II. 44
Tanneri collectanea IV. 17
Terentius IV. 72
Tertulliani apologeticus I. 50
Teutlebii *Val.* iudicium de controverſiis religionis II. 28
Theocriti idyllia I. 60
Theodorici *Vit.* epiſt. II. 91
in Thomam commentarii IV. 2--11
Thomae de Anglia moralitates ſuper libros metamorphoſeon I. 60
Thorunienſe colloquium II. 118

Thuani locus de Io. Friderici Electoris filiis reſtitutus II. 41
Toppii apophthegmata Saxon. & Thuringica IV. 80
Torgenſis conventus acta II. 46
Torneamenta Wilhelmi Bavariae Ducis III. 60
Torquati prognoſticon de everſione Europae IV. 46
Toſſani *Paul.* epiſt. II. 127. 128
Troiana hiſtoria II. 50
Tychonis de Brahe deſcriptio octavi orbis inerrantium ſtellarum I. 71

V.

Valerius Maximus III. 47
Valla contra Poggium III. 56
Veneta II. 217--219. III. 43--45
Venuſini epiſt. II. 128
Vinarienſia II. 42. 47. 48. 49. 51.—58. 65. 68. 69. ſeqq. 103.—112
Vincentii *P.* epiſt. II. 125
Virgilius cum Servio & Planta II. 236
— Æneis III 54
Vorſtii *Conr.* epiſt. II. 128
— *Io.* epiſt. II. 129
Vrbanus Papa de communi vita I. 35
Vrſini *Io. Henr.* epiſt. II. 139

W.

Wagnerus *Conr.* de quadruplici fletu II. 19
Waltheri *Mich.* epiſt. II. 137. 139
Wanslebii vita & itinera II. 101
Weigelii *Erh.* epiſt. II. 129
— *Val.* ordinatio IV. 18
Welleri *Iac.* epiſtolae II. 137. 139
— *Paul.* epiſt. II. 124
Weſthuſii epiſt. II. 137
Willigiſi Codex I. 53
Wincelii chronologia Ieverenſis IV 58
Wolfgangi Schoenburgici captivitas II. 42
Wolfii *Mart.* hiſtoria II. 94
Würzburgenſia II. 182.—188

Z.

Zirolti deſcriptio Annaebergae II. 211

* * *

Emendet Lector benevolus binos numeros p. 83. ubi legendum CCXXXIX—CCLXX. & p. 87. ubi repone CCLXXI. Sequentia recte ſe habent.

V. C.

CHRISTIANI SCHLEGELII

DE

CODICE WILLIGISANO

EPISTOLA.

VIRO SVMME REVERENDO

ERNESTO SALOMONI CYPRIANO

CHRISTIANVS SCHLEGELIVS

Καταθύμια πάντα!

ROgas ſententiam meam, Fautor honoratiſſime, & quid animi mihi ſedeat circa *nonnullos vetuſto cuidam Codici membranaceo*, ex Sereniſſimi, ac Tibi non minus quam mihi Clementiſſimi Principis Bibliotheca, *inſcriptos* ex ſeculi illius genio *verſiculos*; quod iure amicitiae, aut verius cultu, quo Te proſequor, ac tantum non veneror, poſcere potuiſſes rectius. Sunt autem iſti, ut ad rem me ſtatim conferam propius, *Auguſtini duobus & viginti libris de Civitate Dei contra paganos*, horumque ab ipſo Auctore, ſancto *Auguſtino*, praefixo *Prologo*, hunc in modum, atque ut nihil in ſcriptura etiam fuerit immutatum, ſubiuncti:

Hoc ſunt undeni biſ quippe volumine libri.
Precipuus doctor. quoſ auguſtinuſ & auctor
Ediderat ṗmus. divino flamine plenus;
Hoſ p̄ſul ſummuſ. nec honore minore colenduſ
VVilliſuſ theca conſcribi iuſſit in iſta.
Ipſeq; cū ꝓpriiſ emendans cautuſ alumnis.
Servicio ſc̄i Martini iure ꝑenni
Tradidit hoc pacto. viventū ut deniq; libro
Deletuſ pereat. Si quiſ hinc tollere temptet
Hoſ codiceſ umquā. juſtamq; dei incidat iram. A m̄.

WILLIGISVM, reſpondeo, *agnoſcit* hic ipſe *Codex* venerandae plane antiquitatis membranaceus *autorem*, famigeratiſſimum illum *Moguntinae Eccleſiae Archiepiſcopum*, per Germaniam *Archi-Cancellari-*

um,

um, primumque, ut vulgo ſaltim creditur, in hac Praeſulum ſerie *Electorem*, (*a*) *eundemque Templo*, aut *Bibliothecae S. Martini Monaſterii* in *eadem Moguntina metropoli* olim ab *hoc ipſo Antiſtite* famoſiſſimo fuiſſe *dicatum*, *conſecratumve*, (*b*) tum ex ipſis Codici inſcriptis verbis & verſiculis, tum argumentis aliunde petitis infero, confirmoque.

Dicit etenim, ut ab inſitis ſtatim faciam initium, clariſſimis & totidem verbis:

(I.) In *hoc* (non alio, nec denuo & noviter deſcripto, ſed hoc individuo) *volumine* exſtare *bis undenos libros*, quos *praecipuus* Eccleſiae, & *divino flamine plenus Doctor Auguſtinus*, ut *auctor edidiſſet primus*; Qui libri omnino numero & heic indicato in Codice ipſo exacte reſpondent deſcripti.

(II.) *Hos* ipſos *Auguſtini duos & viginti libros de Civitate Dei*, Archiepiſcopum hunc, ſeu, quod idem eſt, *Praeſulem ſummum*, *nec minore*, quam ipſe Auguſtinus, *honore colendum*, in hac, ſive, quod metrum poſcit, *in iſta theca* & volumine *conſcribi* voluiſſe, ac ſerio amanuenſi ſuo & ſcriptori (quisquis etiam iſte ex Monachorum aut Librariorum ordine tunc temporis fuerit, ſatis literatum tamen fuiſſe oportet) *iuſſiſſe*.

(III.) *Hanc thecam*, ſive hoc ipſum volumen in pergameno conſcriptum, *ipſum Willegiſum*, quod probe & experientia edoctus ſciret, quam familiaria admodum ſcriptoribus alias ſint σφάλματα, *cautum*, hoc eſt, provide atque ſingulari adhibita cura, *cum propriis ſuis alumnis*, h.e. Canonicis & Monachis ſui Ordinis, quos *Monaſterium S. Martini* tunc aluit, & ſecundum praeſcriptas regulas ſuſtentavit, *emendaſſe*; Quod ipſum &

(*a*) Tradere hoc videntur circa annum milleſimum *Martinus Polonus* in Chronico apud Boeclerum p. 367. *Presbyter Ratisbonenſis* apud eundem p. 19. *Paulus Langius* in Chronico Citizenſi p. 763. *Chronicon magnum Belgicum* apud Piſtorium p. 89. *Engelhuſius* in Chronico p. 190. *Bruſchius* de Epiſopatibus Germaniae p. 7. b. *Nicolaus Serarius* in rebus Moguntinis p. 720. Sed novimus etiam, quid iis reſponſum iam fuerit.

(*b*) Et quid argumentis opus? Provoco ad recentiorem manum, quae libri huius alteri ſtatim paginae infra illevit: *Iſte liber pertinet ad librariam ſancti Martini Eccleſie Moguntinenſis. M. Sindicus sst. 1479.* Minimum ex eo clarum eſt, anno hoc ipſo Bibliothecae Moguntinenſis Eccleſiae ad S. Martinum partem fuiſſe adhuc hunc ipſum Codicem.

& ita ab ipſis factum fuiſſe, correctio per omnes propemodum paginas (c) obſervanda, ὀφθαλμοφανερῶς docet, primusque ſtatim Codicis *intuitus* aſſertum *hoc ipſum in verſiculis* comprobat luculentiſſime.

(IV.) *Hunc* praeterea *Codicem* membranaceum ab initio ad finem usque *nitidiſſime* & *ab unius hominis manu* deſcriptum, *magnaque cum cura ad fidem optimi*, aut *forte*, quod verſiculi ipſi aſſerere videntur, *plurium exemplarium*, inſtituta prius per *Alumnos* & *Canonicos ſuos* collatione, *emendatum*, *tradidiſſe* & conſecraſſe *Servitio perenni*, hoc eſt, *in perpetuum*, *Eccleſiae S. Martini*, & huic in aevum ſervientium Canonicorum & Monachorum, aliorumque, quorum intererat, uſum. Cui uſui deinceps & longo tempore manſiſſe deſtinatum hunc ipſum codicem, ac variis iactatum caſibus tam diu, donec in bello (neſcio quo) iſtic loci tamen geſto, Eccleſiae illi a manu rapinis adſueta, fuerit forte ſublatus, coniectura aſſequimur facili.

(V.) Exinde etiam, quod *multo labore in deſcribendo*, *multoque ſudore*, *in accurate cum aliis exemplaribus* (plures enim *alumni*, hoc eſt, Monachi nominantur ſui Ordinis, per quos illa facta eſt, &, ut moris, dato cuique exemplari peculiari, collatio,) conferendo *codex* ille ſibi conſtiterit, (taceo *ſeriam Deo & huius Eccleſiae miniſtris* per pias haſce ſancti Praeſulis meditationes *inſerviendi voluntatem*) *hoc pacto*, atque hac cum comminatione ſeria *tradidit* Eccleſiae, *ut ſi quis unquam* hunc ſibi, tum ob venerabile *Auctoris nomen*, tum *ob intus contenta ſanctiſſima* doctrinae morumque *praecepta*, tum ob *curatius* in omnibus *emendatum textum*, chariſſimum *Codicem* membranaceum *tollere*, hoc eſt, furto, aut quavis alia obtenta cauſa, auffere *tentaverit*, *ille viventium libro deletus pereat*, atque *in iuſtam propterea Dei iram incidat*, niſi ſerio reſipiſcat.

Et ſufficere omnino ſatis ad hoc, quod dixeram, confirmandum, *interna* iſta *argumenta*, meo, ſi quod eſt, iudicio, potuiſſent; Sunt tamen praeterea & *alia*, quae robur omnino noſtro ſufficiunt aſſerto, magisque adhuc iſtud ſtabiliunt.

1. In primis vero Tibi, *Vir Summe Reverende*, in mentem atque animum

S mum

(c) Nam non ſolum *omiſſa* videmus in contextu addita & ſuperſcripta, ſed & minus recte exarata, & quae ſenſum turbare poſſent, emendata, v. g. *molior* pro melior, *deterior*, pro detetrior, *inſtituerat* pro inſtruerat.

mum revoco morem tunc temporis & iſto ſeculo, quo *Willegiſus* in terris vixit, receptiſſimum, *monitum quoddam*, & quod frequentius, & propemodum unice obſervamus, *metris, verſibusque*, ut dici ſueverunt, *leoninis* conceptum, *cuius generis* omnino & hi *noſtri* ſunt *verſiculi*, Libris, Templis ac Monaſteriis dicatis, illorumque Lectoribus, aut ſaltem horundem Inſpectoribus praefigere. Magnis ſiquidem cum iſtis ſeculis, & non, ut hodie, inventa Dei beneficio typographia, levibus compararentur libri impenſis, *eiusmodi admonitionibus & rationem de autoribus*, (*d*) qui illos ex *ſingulari pietate*, devotoque erga Deum eiusque Eccleſiam animo, *comparaverant*, *obtulerantque*, utque *memoria* propterea *ipſorum exſtaret in aevum*, cuiusmodi quid in noſtro attendimus Codice; quandoque & de *ſcriptoribus*, (*e*) *horumque ſtudio* (*f*) & *aſſiduitate*; nonnunquam de *eorum*, *qui illos donaverant*, *impenſis ſumtibus* memoriae poſterorum nonnihil tradere, & ne *manus furtiva Deo Eccleſiaeque ſuae dicatas res cum tempore aufferret*, *poenamque* ſibi, ex divinorum praeceptorum negligentia, *ſubſecuturam in ſe derivaret*, (*g*) *cavere* volebant.

(*d*) Huius generis floſculi ſunt:
Sum liber *Alberti*, multa bonitate referti. Fellerus in Catal. Mſtorũ Lipſ. p. 440.
(*e*) In *Barby* natus, *Nicolaus* ſumque vocatus p. 447. ibid.
Qui me ſcribebat *Nicolaus* nomen habebat p. 448.
Scripſit *Bonnettus*, vivat cum Domino laetus p. 443.
Nomen ſcripteris *Robertus* ſervus amoris p. 447.
(*f*) Gaudeo, perſcripſi *Moyſes*, tibi grande volumen,
Hoc ſcriptum noſti, plures novere laborem. Fellerus p. 444.
Finit *Thadaeus*, gaudeat ipſe Deus p. 447.
Finis adeſt operis, merces ſit virgo laboris p. 448.
Merces ſcriptoris ſit Chriſtus, materque eius p. 441.
Finis adeſt ſcripti, pretium vult ſcriptor habere,
Denos florenos ad minus, ſeu duodenos. p. 445.
(*g*) Gemella exhibet B. Dn. Fellerus l. c. p. 446.
Libri contractor *calamis cœli potiatur*,
Si quis *ſubtractor*, *in Avernis ſic moriatur*. Aut:
Sorte *ſupernorum cuſtos libri potiatur*,
Morte ſuperborum raptor libri moriatur. Vel:
Sit *maledictus* per Chriſtum, qui librum ſubtraxerit iſtum p. 441.
Me bene tractantes committo *Deo*, vel amantes,
Aſt detractorum Dominus iudex ſit eorum p. 445.

lebant. Magnam exemplorum & *huiusmodi monitorum ſegetem* ſuppeditant *libri in Bibliothecis publicis* & privatis paſſim hodie adhuc, quamvis tantae aetatis rarius, *deliteſcentes Mſti*, nec rei huic, alias certae, compertaeque doctis omnibus, immorari diutius placet.

2. Dehinc *tempori iſti* praeprimis convenit, libros, qui aetatem prae aliis ferre debebant, non *papyro*, quae ſeculo duodecimo, ut vult *Mabillonius*, fieri coepit, ſed *Membranis* inſcribi, (*h*) & quidem ſine *die & Conſule*, quod aiunt, h. e. ſine adiecto die & anno, quo hoc factum; (*i*) *foliis* praeterea ex iisdem *ſcite nitideque confectis maioris formae*, quam *regalem* vulgo appellamus, cuius generis *pergameni folia* & noſter Codex inſpicientibus offert; huiusque mei aſſerti teſtes non ſolum *diplomata huius temporis*, ſed & *libros* ſubinde in *bibliothecis & ſcriniis publicis* celebrioribus aſſervatos laudare licebit.

3. *Literas* praeterea Codex noſter exhibet Librorum *initiales* maiuſculas, *non multis diverſisque coloribus*, aut *auro* conſtantes, ſed *minio* ſaltem pictas, efformatasque, *ſingularem* quandam *antiquitatis ſpeciem* prae ſe ferentes, & *ductus ſimpliciores* plane, ſcite tamen expreſſos & vetuſti quidpiam ſpirantes, exhibentes; immo, quod pluris eſt, *literas* in contextu ſiſtit familiari ſcribendi genere paululum *grandiores*, non ſine elegantia tamen, & iuſto etiam ordine ac cum concinnitate quadam exaratas, (*k*) quas vulgo *Longobardicas* (*l*) vocant, quae a ſeculo VI. iam invaluerant; *voces* itidem maximam partem *integre exaratas*, vel *paucioribus*, & communiſſimis, ut audiunt, *abbreviaturis*, iisque ſaltem, quae

S 2 in

(*h*) Antiquioris notae ſemper *Codices* ſunt membranacei, de quo Cl. B. G. *Struvius* in Actis Literariis T. I. p. 6. egit.

(*i*) Quod antiquitatis notam quoque prodit Fellerus in praefat. de Mſtis Lipſienſibus.

(*k*) Ex re & vero Clar. Struvius l. c. p. 28. *Seculo decimo nitor literarum adhuc maior, quae vel maxime cum noſtris conveniunt, & minores ſunt prioribus ſeculis. Calligraphia praeſertim pro nota antiquitatis habenda eſt, ſi modo literae ſint obtuſae. Seculi XI. ſcriptura cum priori fere convenit, niſi quod literae parum ſint craſſiores, atque abbreviatae.*

(*l*) Plane uti hanc ſcripturam deſcribit *Gerſon* de laude ſcripturae Conſid. IX. *Littera ſit legibilis, ſit punctata, ſit purgata, qualis eſt Lombardorum, non involvens ſe tractibus ſuperfluis.*

in oculos ſtatim ſimul ac mentem incurrunt, *(m)* expreſſas, itaque *clare diſtincteque ſcriptas*, ut ſine omni plane haeſitatione illas vel quilibet legere poſſit, atque relegere. Ut taceam ſcribendi modum illi aevo proprium, & ductum literarum tunc conſvetum *(n)* in illo deprehendendum; *diphthongos* porro aut *integre expreſſas*, (ae) aut literae e notula ſubiecta infra ę, *(o)* & non coniunctim, (æ) neque per ſimplex e; ut non tangam, ſuper i punctum non conſpici, quod demum a ſeculo XV. coepit fieri; ſ longum ſemper in fine dictionum poni, & non minus s; coniunctionem & non ſciunctis literis in contextu, aut fine, aut initio,

(m) Coeperant haec ſcripturarum compendia ſeculo iam VI. atque haec in noſtro obſervavi: ā, am, aut̄, autem, dn̄i, domini, c̄tra, contra, ē, em, ē, eſt, ēē, eſſe, p̄, per, p̄, pri, p̄, pro, q;, que, q̄, qui, ꝝ, rum, m̄, men, ꝭ, tur, t̄, ter, 9 in fine us, v̄, ver. Et ne dubites forte multo recentioris uſus eſſe has ipſas in ſcribendo abbreviaturas, communico iſta Tibi L. B. quae in *Conradi* & *Henrici III.* Imperatorum diplomatibus autographis a. 1037. & 1044. in Cancellaria Imperiali exaratis offendi: ā, am, b̄, ber, c̄, con, ē, eſt, ł, vel, n̄, non, n̄, niſi, p̃, prae, p̄, per, p̈, pra, p̄, pro, q́, qui, q;, que, q̈, qua, q̈, quo, urx, urum, v̄, ver, 9, us, ū, um, t̄, ter, ẗ, tra, ꝭ, tur, vł, vel, dr̄, dicitur, clem̄tia, clementia, dilm̄ae, dilectiſſimae, in t̄ventū, interventum, n̄r, noſter, n̄rae, noſtrae, om̄ib9, omnibus, p̄tremum, poſtremum, & his ſimilia.

(n) Verbi gratia, quando literam ʌ pro A ſine fulcro per medium, c̄ pro T, quamvis & T paſſim, U pro V, licet & hoc alternet, r pro y, z vel zz pro z, videmus, finalibus vero literis vel ſuperſcriptis, vel invicem connexis, ac ita formatis, *fur*or, furor, XPI, Chriſti, *multitudin*is, multitudinis, *pa*rs, pars, *viſ*us, viſus, *imputa*nt, imputant, *dice*ns, dicens. Scriptio & pronunciatio etiam vocabulorum a noſtra differt, dum ſubinde legimus *Habraham*, *Halericus*, *Samuhel*, *habundare*, *jocundum*, *Ulixes*, *inluſus*, *invidere*, *conlibuit*, *tociens*, *cotidie*, *contempnere*, pro Abraham, Alaricus, Samuel, abundare, iucundum, Ulyſſes, illuſus, irridere, collibuit, toties, quotidie, contemnere.

(o) Antiquiori iam aevo & ſeculo undecimo iam hunc morem obtinuiſſe, diphthongum ae ita, ſubiecta ſcilicet virgula ę exprimere, me pariter docuit diploma Imperatoris *Conradi*, Anno 1037. datum, ubi promiſcuę id obſervęs, & integre per ae, atque per ę hoc modo fuiſſę exaratum.

initio, ſed coniunctis & uno ductu comparere v. g. *ditar&, &iam*, quae ſcribendi ratio ſeculo iam XII. deſiit, teſte *Mabillono* ſub finem libri primi; libros praeterea ipſos non, uti hodie, *capitibus certis & numeratis* in noſtro volumine *eſſe* diſtinctos, ſed, quod indubium non vulgaris antiquitatis noſti argumentum, *uno quaſi contextu fluentes*; *capitum* interim diſtinctionibus a *longe recentiore*, ſed *Monachorum*, ut vulgo audit, *ſcripturam* arguente *manu adiectis*, quod atramentum maiore conſtans nigredine & literarum ductus longe alius intuenti vel ſtatim credere iubent; *diſtinctionibus* tandem *omnibus*, quod ſingularis antiquitatis indicinam noto, per totum codicem, ubi comma hodie ſcribitur, *per puncta obſervandis*, a recentiore deinceps manu iſtic, ubi punctum hodie collocatur, circello infra addito, hoc modo;

4. Commonefactio iſta, ut ulterius, & ad alia nunc progrediamur, ab *eadem manu, quae Libros Auguſtini* deſcriptos dedit, *eſt profecta*; ut colligi exinde liceat aut *a VVilligiſo ipſo hos verſiculos fuiſſe concinnatos*; & *ſcriptori*, ut *eosdem Codici huic insereret, traditos*; aut minimum, *VVilligiſi iuſſu*, a *ſcriptore*, Canonico ſine dubio *illius S. Martini Coenobii* doctiori, aut ſcriptore ordinario, *ex ſeculi more, Codici inſertos*. Sane ovum ovo ſimilius eſſe haud poteſt, quam verſus iſte, quem *Erckenboldus*, Argentoratenſis Epiſcopus (Ottonis I. tempore qui vixit, & *σύγχρονος* noſtro fuit *VVilligiſo*) Libro *Divi Hieronymi* de *viris illuſtribus* Mſto propria inſcripſit manu:

Erckenbald humilis Praeſul me ſcribere iuſſit.

Sane perinde ac in noſtro Codice:

Hos Praeſul ſummus, nec honore minore colendus
VVilliſus theca conſcribi iuſſit in iſta.

Referente hoc nobis cum multis gratiis ſive *I. H. Boeclero*, ſive *Kulpiſio* in Scriptoribus Rerum Germanicarum ad Erckenbaldi Carmen de Anteceſſoribus ſuis in Epiſcopatu Argentinenſi. Ex quo labores ſimul & ſtudia Epiſcoporum illius temporis diſcimus clarius.

5. Antiquioris porro aevi & *ad Willigiſi omnino tempora apprime pertinens* indicium eſt, quod in iiſdem verſiculis legatur, hunc *Codicem ab*

ipſo Praeſule ſummo (*p*) *cum propriis alumnis*, ſeu, quod idem ſonat, a *Canonicis ſuis fuiſſe* in futurorum ſeculorum virorum Eccleſiaſticorum *uſum*, non a *ſcribae* deſcribentis *mendis* tantum, ſed & a non *ſatis cohaerentis textus hiatibus*, *ſenſumque* quandoque *turbantibus* liberatum, emendatumque ac perpurgatum penitus; in hoc eandem prorſus mentem circumgeſtans cum *S. Hieronymo*, qui, ut teſtatur *praefatio eius in Iobum*, etiam *non tam pulcros codices malebat*, quam *emendatos*: quodque tantum abeſt, ut a *poſteriorum ſeculorum Epiſcopis & Archiepiſcopis* fuerit factum, ut potius eos aliis plane rebus intentos paſſim legamus apud eos, qui vitas ipſorum poſteritatis memoriae tradiderunt.

6. Nondum mitto verſiculos noſtros, ſed & iſtius temporis κριτήριον haud infrequens noto, eiusmodi magni aeſtimatos membranaceos Codices, accurate emendatos, Eccleſiisque praeterea aut Monaſteriis dicatos, veluti *pretioſa*, & *auro contra chara* κειμήλια *aeſtimaſſe*, *anathemateque* ſingulariter *munire conſueviſſe*; ne quorumcunque pravorum hominum rapinis ſtatim eſſent expoſita, & pro lubitu cuiusvis ex illis aufferenda, quod denique & *ſub finem in noſtris obſervatum animadvertimus verſiculis*.

Sed bene, forte inferet *horundem Lector*, & Tu forſitan cum ipſo, imo optime ſe habent omnia, neque habeo, quod contra hiſcam, modo ſi legerem in verſiculis totidem verbis WILLIGISVS. Fateor ſane, & hoc legenti ſcrupulum poſſe iniicere, ſed rectius penſitanti omnia in contextu, facile ſimul & eundem poſſe eximi. Nam nota eſt *iſtius*

(*p*) Veluti de *Rataldo* Epiſcopo Argentinenſi legimus:

Artibus, exemplis, doctrina, & prece ſancta
Subdidit ipſe ſui corda Deo populi.

Aut de Ruthardo:

Non fuerat potior divinae legis amator,
Aut quisquam doctor non fuerat potior.

Aut de Erckenbaldo:

Erckenbaldus ego Davidis carmina promo,
In Domino praepes haec mea ſit requies.

Apud Boeclerum Script. R. G. p. 121.

iſtius aevi morum gnaris diverſa ac multiplex plane nominum propriorum flexio, ut vix coniecturae quandoque ſit locus, quid iisdem deſignare voluerint? Quis enim & non niſi ab huius ſeculi rerum notitia ſatis inſtructus noverit facile, quod per *Ezzonem* Ehrenfridum; per *Bucconem* Burchardum; per *Sizzo* Sighardum; per *Sicconem* Sigefridum; per *Bernonem* & *Brunonem* Bernhardum; per *Bennonem* Benedictum; per *Eikonem* Ægidium; per *Azonem* Adelbertum; per *Epponem* Eberhardum; per *Godeconem* & *Gothilonem* Godefridum; per *VVulponem* Wolfgangum voluerint exprimere? Iam vero cum Willegiſi noſtri nomen intuemur propius, *varias* non minus eiusdem apud *Autores* offendimus *flexiones terminationesque*. Mox enim illud WILLIGIS; (*q*) mox WILLIGHIS; (*r*) mox VILLICHISVS; (*s*) mox VILLIGISVS; (*t*) mox WILLIGISVS; (*u*) mox WILIGISVS; (*x*) item & WILGISVS; (*y*) atque WILLIKINVS; (*z*) rurſus iterum WILLEGISVS; (*a*) denuo WILLEGHI-

(*q*) In Chronico *S Ægidii* T. III. S. B. Leibnit. p. 582. *Lamberto Schaffnaburgenſi* p. 158. *Autore Compil. Chronolog.* p. 733.

(*r*) In *Necrologio Hildeſiano* Tom. I. S. B. p. 763.

(*s*) In *Chronico Quedlinburg.* Tom. II. S. B. p. 286.

(*t*) Apud *Marianum Scotum* edit. Piſtor. p 449.

(*u*) In diplomate *Ottonis* II. A. 982. dat. T. I. S. B. p. 384. In Vita *Godehardi* c. 8. *Serario* p. 715. Vita *Meinwerci* p. 524. Chronico *Quedlinburg.* p. 288. *Excerptis Necrologii Fuldenſis* p. 766. *Chronographo Saxone* p. 189. 214. *Alberici* Chronico p. 40. Diplomate *Ottonis* II. in Chron. Mind. p. 738. Annalibus *Hildesheimenſibus* p. 719. *Lamb. Schaffnaburg.* p. 158. *Erdmanni* Chron Oſnab. p. 205.

(*x*) In vita *Meinwerci Epiſc. Paderborn.* p. 521. 556. apud Leibnit. *Alberici* Chronico p. 40.

(*y*) Vide *Epitaphium* apud *Serarium* p. 222. Nomine *Wilgiſus* &c. *Gobelini* Comodrom. apud Meibom. p. 255.

(*z*) In *Andreae* Presbyteri Ratisb. Chron. p. 20. apud Boeclerum in Script. Germ.

(*a*) In vita *Berwardi Epiſc. Hildesh.* T. I. L. p. 442. 443. Vita *Godhardi*, itidem Hildesh. Epiſc. p. 485. 486. 489. *Chronico Halberſtadenſi* p. 117. *Serario* p. 715. *Ditmaro* apud Leibnit. T. I. p. 369.

GHISVS; (*b*) iterumque VILLEGISVS; (*c*) rurſus WILLIGOSVS; (*d*) itemque WILLEGOSVS; (*e*) tandem VILLOGISVS; (*f*) ac denique WILGISVS (g) apud diverſos *Hiſtoriarum ſcriptores* illius & ſequioris aevi exaratum deprehendimus.

Multas nunc equidem video, diſputabis forſam ulterius, flexiones huius noſtri *VVilligiſi*, ſed WILLISI nondum in illis lego, uti in Codice noſtro. Sane, ut verum fatear, fuit tempus, quo ipſe exiſtimabam, *ſcriptori* fortaſſis *inter ſcribendum ſyllabam* GI incuria excidiſſe (quod quam facile contingere poſſit, omnes norunt, qui ſcribendis literis dederunt operam, quando ſubinde nempe opinantur, ſe, uti in mente habuerunt, ſcripſiſſe, & tamen poſtea, ſi fortuito revident ſcripta, aliter deprehendunt) verſumque hac ratione, ut metro melius reſpondeat, exprimere voluiſſe:

VVīllĭgĭſūs thēcā conſcribi iuſſit in iſta.

Sed, praeterquam quod i etiam in nominibus propriis non facile correptum legamus apud Poëtas, neque huc etiam dilabendum eſſe me poſtea docuit clarus apud *ſcriptorem de Landgraviis Thuringiae* (qui ſine dubio *Thuringus* eſt, &, uti *Piſtorius* titulum ipſi praeſcripſit) *Erphesphordienſem Anonymum*, locus, ubi diſtincte VVILLVSVS, contractius forte pro ſupra audito *VVilligoſo* legimus, & quanto non convenientius nunc atque ad communiſſimam eius appellationem longe concinnius per ſyncopem VVILLISVS in noſtro compellatur codice? Exſcribam locum integrum, uti p. 908. apud *Piſtorium* legitur: *VVILHELMO* (Archiepiſcopo Moguntino) *defuncto ſucceſſit RVPERTVS: poſt quem VVILLVSVS: poſt quem ERCKENBOLDVS, antea Abbas Fuldenſis.* Series in hiſce accurata, uti cuique patet, Antiſtitum Moguntinenſium exponitur; & cum *caeterorum nomina recte* atque

(*b*) Codex membranaceus *Coenobii Hildesheim.* apud Leibnit. T. I. p. 769.

(*c*) Apud *Marianum Scotum* Lib. III. p. 448. b. 449. a. *Dodechini Append.* ad *Mar.* p. 475.

(*d*) Nic. *Serarius* in Rebus Mogunt. p. 717.

(*e*) In vita *B. Burchardi* Wormatienſis Epiſc. apud *Serarium* in rebus Moguntinis.

(*f*) *Marianus Scotus* p. 449. edit. Piſtor.

(*g*) In *Gobelini Coſmodromio* p. 255. *Nic. Serario* p. 255.

atque *ordine*, uti vixerunt, heic traduntur, in *hoc noſtri ſaltem nomine ſcriptorem* hunc *aberraſſe* putemus?

Et ſit etiam nunc, qui manibus pedibusque ſine ſenſu, ſine mente, ſine omni praefatarum circumſtantiarum (quae praegnantiſſimae tamen ſunt) attentione reluctetur amplius, non hunc, ſed alium plane indigitari per hoc nominis, huic hoc ſaltem dictum volo: *Agat, & nominet mihi*, obſecro, *per omnem hiſtoriam*, qui aut *VVilliſus dictus*, aut *cui hoc VVilliſi nomen iure maiore competat?* *qui* praeterea ſimul *antiquiori*, & illo quidem aevo (hoc enim ex libro ipſo & literarum charactere ſupra ſatis demonſtravimus) *vixerit?* *qui Praeſulem ſummum egerit?* qui *Monaſterio* praefuerit *S. Martino* (*b*) *dicato?* Tunc demum ambabus id concedam manibus, herbam porrigam, victasque manus. Noſtro contra *VVilligiſo* exacte per omnia ea, quae in medium protulimus, convenire, vel coecus videat, oportet. Illum etenim ſeculo antiquiore *Archiepiſcopum Moguntiae*, & magna quidem nominis ſui cum fama, egiſſe, hoc ex verſiculis, de *origine ipſius* pervulgatis (*i*) non

(*b*) Hic etenim, quod notiſſimum, Patronus colitur a *Moguntinis*, & clarum inter alia eſt ex verbis *Ditmari* p. 378. Hinc Rex diſcedens *S. Martini Praeſulis* limen *Magontiae* ſupplex adiit, ibique Natale Apoſtolorum venerabiliter coluit. Hinc floſculi illi apud *Marianum Scotum* p. 449. & alios, *Sancto Martino tradere.* *Paulus Langius* in Chronico Citizenſi: *Otto M. dedit totam Thuringiam & Haſſiam ad honorem S. Martini, Moguntinenſis Eccleſiae patroni:* de quo tamen alibi.

(*i*) Scilicet: *Willigis, Willigis, recole unde veneris.* *Fabri* quippe *lignarii* ſive hamaxurgi erat filius, *Schoninga* oppidulo oriundus, (non *Strominga*) propterea & *rotam* inſeruit inſignibus. Vide *Chronicon Ægidianum* Tom. III. p. 582. Leibn. Lecto (*Bruſchius* addit coenaculo) ſuperiora verba habuiſſe inſcripta, tradit *Sifridus Presbyter* p. 690. *Autor Compilationis Chronolog.* apud Piſtor. p. 733. *Meibomius* ex Chron. *S. Laurentii Mſto.* Germanice ita *Andreas Presbyter Ratisbonenſis* apud *Boeclerum* p. 20. exprimit: *Willekis, Willekis! gedencke wanne du kommen biſt.* *Caſpar Bruſchius* in Catalogo Epiſcoporum Moguntinenſium §. 34. verſiculum ſupra allatum ita effert: *Willigiſe memineris, quid ſis, & quid olim fueris:* vultque hanc rotam inſigne Archiepiſcopatui Moguntino datum confirmatumque eidem fuiſſe per *Henricum* ſecundum Claudum. *Alberici* Chronicon p. 40. Praedictus autem *Wilgiſus* Archiepiſcopus fuit filius cuiusdam *aurigae*. Alii in quibus *Nicol. Serarius* l. c. p. 723. reddunt: *Willigis recolas, quis es, & un de venis.*

non lippis, non tonſoribus, ſed aniculis etiam noſtris in notiſſimis eſt. Incrementa Eccleſiae & metropoleos cumprimis ſuae curaſſe (*k*) hunc noſtrum Archi-Epiſcopum, ex eo relucet, quod non ſolum poſt annum 977. divinum officium in monte Sancti *Diſibodi*, quod *Hatto* anteceſſor eius deſtruxerat, conſtitutis in eo duodecim Canonicis, in duodecim Apoſtolorum honorem, reſtauraverit, (*l*) ſed & *Eccleſiam* ipſam *Metropolitanam* Moguntiae, Monaſteriumque S. Martino dicata, (*m*) itemque illam aedem, quae S. Stephano (*n*) ibidem dicata fuit, exaedificaverit; ut taceam *S. Victoris Templum* (*o*) extra Moguntiam, itemque *S. Albani* ornatius longe noſtrum reddidiſſe. De *Martiniano*, quod propius noſtrum attingit ſcopum, audiamus Marianum Scotum, qui ita p. 448. ad annum 976. *In primis coepit aedificare monaſterium S. Martini, qui conſtruxit etiam S. Stephani, ibique ſepultus eſt.* Hisque gemella habet ex recentioribus *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi: *Willegiſus, vir bonus, & Dei cultor inſignis, conſtruxit Eccleſiam S. Martini Epiſcopi, quae maior dicitur, & S. Stephani protomartyris, in qua & ſepultus eſt. Monaſterium quoque S. Victoris extra Moguntiam ampliavit: & multis Eccleſiis, monaſteriisque multa bona fecit.* Sed non diu urbi

(*k*) *Bruſchius* idem ſummatim teſtatur, in Catalogo Epiſcoporum Moguntin. §. 34. *Egregie illuſtravit & auxit Moguntinam cum urbem, tum Eccleſiam.*

(*l*) *Hildegardis* in Sancto Diſibodo, & ex eo *Serarius* p. 714. 715. *Marianus Scotus* p. 448. Reſtauravit quoque divinum officium in monte *Sancti Dyſibodi* cum Canonicis, expulſis inde monachis.

(*m*) *Vita Meinwerci* Paderborn. Epiſc. p. 524. Monaſterium Magontienſe *honorifice ab eo* (Willigiſo) *conſtructum* vocat. Siffridus Presbyter p. 690. Hic Archiepiſcopus in Moguntia *maiorem Eccleſiam* & *S. Albani* eccleſiam conſtruxit. *Autor compilationis* chronologicae p. 733. Iſte Archiepiſcopus *maiorem Moguntinenſem Eccleſiam* & *S. Albani* conſtruxit. Confer *Chron. S. Ægid.* p. 542.

(*n*) Epitaphium apud Serarium p. 722.

Stephanicum in monte templum *facit hoc bene ſponte.*

Alberici Chronicon p. 40. *Wiligiſus conſtruxit montem S. Stephani*, in quo ſepultus eſt. *Marianus Scotus* p. 448. qui etiam conſtruxit monaſterium *S. Stephani.*

(*o*) Epitaphium apud *Serarium* p. 722.

Templum Victoris, quod ſtruxit, ſtat tibi foris.

urbi profuit haec laudatiſſimi Praeſulis noſtri opera, dum anno 1009. ſtatim, copte die conſecrationis, tertio Calendarum nempe Septembris (30. Aug.) in favillas rurſus redigeretur ſumptuoſiſſime exaedificata haec ipſa metropolitana, quod clare affirmat *Lambertus* Schaffneburgenſis: *ECCLESIA MAIOR*, ſcribens, *MOGONTIAE*, *quam WILLEGISUS conſtruxerat*, *incenſa eſt ipſo die conſecrationis ſuae.* (*p*) Fato tamen hoc ipſo funeſto accepit ſimul Praeſul optimus ampliſſimum campum, in quo liberalitas ſua ac munificentia ſeſe poterat denuo exercere. Fecit & illa hoc referente *Serario* (*q*) ex Mſto quodam minore, & *EADEM mox Willigiſi auſpiciis ſumptibusque ingentibus* reaedificata fuit, ante ipſius tamen obitum omni ex parte nondum abſoluta perfectaque, ſed *Bardoni* ſucceſſori gloria perfectionis relicta. Splendidiſſima vero haec *aedificia indotata*, uti tunc loquebantur, reliquiſſe noſtrum *Willigiſum*, quis praeſumat? quis credat? multis inſignibusque donis eadem pro ſingulari potius illius genio cumulaſſe veriſimillimum ducimus. Solis vero coniecturis ut nitamur, non eſt, ſed adeſt huius, quod diximus, teſtis locuples & idoneus valde *Nicolaus Serarius*, qui dictis iam templorum aedificiis *ornamenta* & *dona alia* addidiſſe tradit, (*r*) in quibus inter alia etiam *crux* fuit pretioſiſſima, *Ben-*

(*p*) Pag. 158. ad hunc annum edit. Piſtor. & ex eo *Serarius* in R. M. p. 127. Praeter ſcriptores ad notam (m) citatos confirmant hoc *Excerpta Necrologii Fuldenſis: Hoc anno* (1009.) *III. Kal. Sept. Luna ſexta feria III: exuſta eſt nova Eccleſia S. Martini in Mogontia, ab Willigiſo Archiepiſcopo conſtructa*, anno vero regni vel ordinationis eius xxxv. Tom. III. Leibn. p. 766. In praecedentem diem reponit *Chronicon Quedlinburgenſe* T. II. Leibnit. p. 288. *Moguntiae quoque baſilica nova cum omnibus aedificiis cohaerentibus miſerabiliter conſumitur igne, ſola veteri eccleſia remanente, III. Cal. Septembris, feria II. Luna VI.* Veriorem vero priorem cenſemus diem, eundem & nobis referente *Vita Meinwerci* p. 524. *Poſt incendium Monaſterii Magontienſis honorifice ab eo* (Willigiſo) *conſtructi* (*quod III. Kalend. Septembris accidit*) *ſancte* &c. In anno conſentit Chronicon *Stederburgenſe* apud Meibom. p. 450. & Leibnit. T. I. p. 582. A. 1009. *Monaſterium Moguntiacenſe igni conflagravit.* Confer Autorem Chronici *S. Ægidii* p. 582. *Siffridum Presbyterum* p. 690. ſupra iam citatos.

(*q*) In rebus Moguntinis p. 721. & in Chronico rerum Moguntin. p. 568.

(*r*) Ibidem, ſcilicet p. 721.

na nomine, & ingentis molis, mortariorum inſtar, *calices.* Merentur ipſius *Conradi* Archiepiſcopi Moguntini verba, ut integra (*s*) adſcribamus, & rei pretium, quod attendamus. De *Ieſu crucifixi* vero figura ita: *Erat & alia crux lignea auro optimo veſtita, in qua imago erat aurea, Domini crucifixi, quae imago cuiuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concava, ſed multum ſpiſſa, cuius venter plenus erat reliquiis & gemmis pretioſiſſimis. Dicebatur autem nec Romanum Imperium meliorem habere. Haec crux poterat diſſolvi membratim in iuncturis, primo in talo, in genibus, in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, ubi corpori inhaerebat. Caetera pars corporis, dorſum ſcilicet & venter pariter cohaerebant, & hoc ideo, ut commodius & ſecurius poſſet in arca, ſibi ad hoc deputata, ſpecialiter reſervari. Haec crux raro exponebatur, niſi forte praeſente Rege, vel alio magno Principe, & in feſtis Paſchae, vel natalis Domini, & Pontifice hoc iubente. Cum autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti in templo ſuper trabem, ubi nulli alieno patebat acceſſus, a miniſtris fidelibus locabatur. In huius imaginis capite loco oculorum erant duae gemmae, quas Carbunculos vocant, tantae magnitudinis, ut duo vitelli ovorum; qui in tenebris coruſcabant. Huic cruci inſcriptus erat verſus iſte:*

Auri ſexcentas habet haec crux aurea libras. *Et nota, quod una libra habet duas marcas auri. Sic ergo erant mille & CC. marcae auri probatiſſimi. Nec ſilendum, quod pro ſpeciali huius auri examinatisſimo valore, crux ipſa proprio nomine cenſebatur. Vocabatur enim BENNA.* (*t*) In compendio hoc nobis etiam refert *Dodechini Appendix* ad

(*s*) Ibidem *Serarius* p. 125. & *Conradus* in Chronico Moguntin. apud Urſtiſium p. 568. 569. quod & ſeorſim editum eſt Baſileae 1565. per Petrum Pernam.

(*t*) Enormiter ergo errat *M. Theod. Engelhuſius* in Chronico, qui p. 185. non ſolum *Wilhelmum* patruum Ottonis, facit *proviſorem noſtri Ottonis III.* ſed & *qui* (Otto) *dederit Eccleſiae hanc crucem.* Verba eius ſunt: *Cuius* (Ottonis II.) *proviſor erat Wilhelmus, Maguntinus Archiepiſcopus, patruus eius, qui de tributo Lumbardiae fecit ei crucem DC. librarum auri puriſſimi, hunc titulum habentem.*

Auri ſexcentas habet haec crux aurea libras.

ad *Marianum Scotum* apud *Piſtorium* p. 475. *Hic* (Villegiſus, Archiepiſcopus memoria dignus) *fecit crucem auream, & in Monaſterio S. Martini poſuit eam: patibulum erat cypreſſinum, laminis aureis & lapidibus pretioſis ſuperintectum, & imago aurea, ubi verſus erat inſcriptus:*

Auri ſexcentas tenet haec crux aurea libras.

Huius imaginis alterum pedem MARCOLPHVS epiſcopus tulit, & Romam pro pallio miſit: alterum cum cruribus ARNOLDVS Epiſcopus accepit, & Hermanno Comiti Palatini cum eo rebellavit. Ex quo ſimul diſcimus, quorſum pervenerit haec noſtri VVilligiſi Chriſti crucifixi icon, & huic Eccleſiae ex pio affectu ſine dubio traditum dotalitium, cuius & partem (brachium ſcilicet) conſumptam legimus non ſine ſenſu divinae vindictae a *Rudolpho*, electo Archipraeſule, in Chronico *Conradi* Epiſcopi p. 572.

Chriſti crucifixi ex auro imagini non minus reſpondebant & *calices*, quos *VVillegiſus* huic quoque tradiderat, in ſui memoriam & Eccleſiae uſum, quos ipſius *Conradi* Epiſcopi verbis deſcriptos dabimus: *Alii duo calices tantae erant quantitatis, quod cum ipſis divina myſteria nequaquam poterant celebrari. Erat tamen unus maior altero, minor habebat cum patena marcas auri electiſſimi XVIII. in cuius pede per circuitum pretioſi erant lapides valde, & in patenae circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipſe quidem gemmis pretioſis non carebat. Certum autem eſt, quod ſpiſſitudo eius erat digiti, & per totum tam in pede, quam ſupra gemmis pretioſiſſimis erat adornatus. Habebat etiam idem calix duas anſas, quae poterant manus replere levantis, ſicut ſolent habere lapides mortarii, in quibus piperata & ſalſa praeparantur. Huius patena talis erat latitudinis & ſpiſſitudinis, quod ipſi calici congruebat, & ipſa gemmis per*

Nam *Wilhelmus* anno iam 968. obierat, de hinc non poterat eſſe eius proviſor, ſed Willegiſus *eius educationem* in ſe ſuſceperat, adeoque crucem Eccleſiae hanc donare non potuerat, ſed de *Willegiſo* hoc narrantes ſupra rectius audivimus *Serarium*, & inprimis *Autorem Dodechini appendicis ad Marianum.*

circuitum decorata. Hic calix habebat altitudinem unius ulnae, & capere poterat dimidium ſextarium vini. Nec ab aliquo homine poterat levari commode.

Ornamenta huius Eccleſiae S. Martino dicatae ex *auro* quidem inſignia, Lector forte, inquies, benevole, e liberali Willegiſi manu profecta audio, legoque, ſed *libros* nondum cerno. At quae maiora tunc temporis *Templorum ornamenta*, quam *vetuſta Patrum monumenta?* (*u*) quam libri ſanctis ſcatentes monitis & ſalutaribus? quam homiliae, quae inſtitutioni Clericorum emendationique Rectorum horundem inſervire poterant? quam rerum Eccleſiaſticarum monumenta, quae rerum memorias poſteritati traderent? Hunc in cenſum non ſolum iam illos *Chriſtianus* II. Archiepiſcopus, ut vulgo creditur, Moguntinus,(*x*) retulit, κειμήλια huius ipſius noſtrae Baſilicae deſcribens: *Erant libri*, refert, *qui pro ornatu ſuper altare ponebantur, ut Evangeliorum, Epiſtolarum, ſive Lectionarii, Benedictionales, Collectarii. Quidam veſtiti ebore ſculpto, alii argento, alii auro & gemmis.* Sed & huius generis Templi inſignia monumenta ſuo iam aevo ibidem conſpecta, & a *Riculpho* Archiepiſcopo Moguntino (qui ab a. 787. ad annum 812. huic praefuit Eccleſiae) illuc relata depoſitaque, nobis oppido commendat *Benedictus Levita*, (cuius aetas in Ludovici Pii filiorum incidit tempora) in praefatione Libri V. Capitularium haec enarrans: *Haec vero Capitula*, ſcribit, *quae in ſubſequentibus tribus libellis coadunare ſtuduimus, in diverſis locis, & in diverſis ſchedulis, ſicut in diverſis Synodis, & placitis generalibus edita erant, ſparſim invenimus, maxime autem in ſanctae MOGUNTIACENSIS METROPOLIS ECCLE-*

(*u*) Imperatores quoque obtuliſſe libros eccleſiis docet nos *Chronographus Saxo* p. 188. *Offerens* (Otto II.) *librum ex auro & gemmis, imaginem ipſius & Theophanu, coniugis eius, continentem, qui ob memoriam ibi cum veneratione habetur in hodiernum diem.*

(*x*) Vide *Serarium* p. 123. 124. totumque hoc Chronicon ſub titulo: *Chronicon Vetus rerum Moguntiacarum ab anno ſalutis 1140. usque ad 1250. perductum, auctore Conrado, incertae ſedis epiſcopo* legitur in Tomo I. Chriſtiani Urſtiſii Germaniae Hiſtoriae illuſtrium N. 8. p. 568. Et ſeorſim quoque Baſileae excuſum eſt per Petrum Pernam in folio maiore, uti vocant.

CLESIAE SCRINIO, a Riculfo eiusdem ſanctae ſedis Metropolitano recondita. Horundem vero ex parte iacturam haud immerito deplorat *Autor Chronici Moguntini*, Baſileae (*y*) olim, & dehinc A. 1585. Francof. ab *Vrſtiſio*, uti ſupra iam diximus, editi: *Ignis*, inquiens, *egreſſus de foro foeni, quem veniens ventus ab Oriente detulit ſuper templum* (z), *combuſtaque Eccleſia, & libri multi, & boni, privilegia quoque multa & valde utilia ſunt conſumpta, etiam pars ornatus magna partim ignibus devorata, partim per aſportationem ſubtracta.* Digni ſane propterea, qui hodie adhuc deplorentur! Sed quantum dignior ſingulari aeſtimio Codex noſter? qui ſine omni plane dubio non ſolum *Vulcani* furoribus, qui, *VVillegiſi* adhuc in terris degentis tempore, Anno videlicet 1009. uti ſupra iam audivimus, *Templum* hoc *S. Martino* dicatum, & a fundamentis a Noſtro excitatum iam corripuerant, deleverantque funditus, ereptus; ſed & *Martis* ſaevitiei fato ſane admirando extortus fuit, quoque, velut opimo de *Marte Vulcanoque* ſpolio, nunc noſtra Ducalis gloriatur Bibliotheca ſingulariter. Atque vel propterea etiam omni iure, quo *pauciores* hodie tantae, venerandaeque antiquitatis Codices in Bibliothecis hinc inde comparent per Germaniam celebrioribus.

Atque de iſtius *religioſiſſimi Praeſulis* gloriamur cimelio, qui hamaxurgi filius, propria ſurgens virtute, *Canonicum* primum egit *Hildesheimenſem*, (*a*) poſtea *Ottonis II.* Imperatoris *Capellanum* (*b*) & *Cancellarium*, (*c*) A. 974. vero in Archiepiſcopi Moguntini evectus eſt ab

(*y*) Pag. m. 573. Confer *Serarium* p. 148. in rebus Moguntinis.

(*z*) Anno videlicet 1569. per Petrum Pernam in fol. & Ottoni Friſingenſi adiectum eſt.

(*a*) Confer Nomina *Archiepiſcoporum* & *Epiſcoporum*, qui primum in *Hildeshemenſi* Eccleſia cathedrali *Canonici* fuerunt, ex Codice membranaceo, Tom. I. Leibnit. p. 769. ubi N. 10. legitur: *Willeghiſus Archiepiſcopus.*

(*b*) *Nic. Serarius* in R. M. p. 714. *Bruſchius* in Catal. Epiſc. Mog. *Sacellanum* nominat.

(*c*) *Ditmarus* p. 342. edit. Leibnit. Imperator *Cancellarium* ſuimet nomine *Wilhgiſum* eidem praefecit Eccleſiae. *Conſiliarium intimum* eundem vocat *Gaſpar Bruſchius* in libro de Epiſcopatibus Germaniae p. 7. Quid multis? Anno

ab Imperatore *Ottone II.* dignitatem. Illius praeterea, qui Anno 978. *Adelbertum*, ſingulari ſanctimonia poſtea clariſſimum, Epiſcopum Pragenſem, conſecravit; (*e*) Hirsfeldenſi Monaſterio *Gothardum*, inter

973. VII. Idus Iunii Ottonis II. diploma, quod coenobio monialium *Gandersheimenſi* dedit, ſic ſubſcripſit: *Willigiſus* Cancellarius vice *Roberti* (eſt Rupertus Archiepiſcopus Moguntinus) Archi-Capellani ſubſcripſi. Tomo I. Script. German Meibom. p. 728.

(*d*) Annum 977. nobis quidem totidem verbis tradunt ex recentioribus *Serarius* in Rebus Mogunt. p. 714. nec non Epitaphium eius ibidem p. 722.

C. novies pono, tunc Antiſtitem tibi dono:
His ſeptemq; dabis, & ſeptuaginta notabis.

Sed annus 974. aut 975. verior videtur, non ſolum, quod annos regiminis 36. expleviſſe ſcribatur, ſed & quod fide digni hoc aſſeverent Autores, quibus adhuc praefero diploma Otthonis II. quod annum 974 ſuggerit, in chronico *Epiſcoporum Mindenſium* a *Piſtorio* edito p. 738. ubi ita legas ſubſcriptionem: *Folgmarus* Cancellarius vice Willigiſi Archicapellani notavi. Datum xv. Kal. Martii Anno dominicae incarnationis *nongenteſimo ſeptuageſimo quarto*, indictione II. Anno II Regni Domini Ottonis XIV. Imperii VII. Actum Noviomago. Annum ſequentem 975. propinant *Annales Hildesheimenſes* apud Leibnit. p. 719. T. I. Anno 975. *Ruodpertus Archiepiſcopus obiit, cui Willigiſus ſucceſſit.* Eundem & *Ditmarus* p. 342. apud Leibnit. Mortuo quoque Roberto Moguntinae ſedis Archipraeſule, Imperator —— *Willigiſum*, multis hoc ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem praefecit Eccleſiae. *Chronographus Saxo* ad h. a. p 189. *Rothbertus Archiepiſcopus Mogontienſis* obiit, cui ſucceſſit *Willigiſus.* Annum 976. tradit diploma *Otthonis II.* quod dedit *Miloni, Mindenſium Epiſcopo*, typis excuſo in *Chronico Epiſcoporum Mindenſium* a *Piſtorio* p. 738. ubi talis ſubſcriptio: *Egbertus Cancellarius ad vicem Willigiſi Archicapellani notavi.* Datum XIV. kal. Aprilis. Anno Dominicae incarnationis DCCCCLXXVI. indictione tertia, Anno vero regni Domini Ottonis XVI. Imperii X. Actum Threne. Conſentit *Marianus Scotus* in hoc anno ſcribens: Anno 976. *Moguntinus obiit, pro quo Villegiſus conſtituitur.* Annum 988. ſine calculo alterius autoris, falſoque ponit *Lambertus Schaffneburgenſis* ad hunc annum p. 158. ſcribens: *Rupertus Moguntiae Archiepiſcopus obiit, cui Willigis ſucceſſit. Caſpar Bruſchius* in de Epiſcopatibus Germaniae p. 7. b. id ſine addito anno affirmat.

(*e*) Vide vitam *S. Adelberti* apud *Surium* Tomo II. in Aprili. *Nic. Serarium* ex Mſto minore p. 714.

ter Sanctos exinde quoque relatum, Abbatem praefecit; (*f*) qui *Volcoldum*, Epiſcopum Miſnenſem, filii loco educatum, ſedeque eiectum & ad ſe confugientem benevole excepit; (*g*) qui Ottone II. Imperatore demortuo Ottonem III. tunc puerum, non ſolum educavit, (*h*) ſed & ipſi coronam A. 984 in die Natalis Domini impoſuit imperatoriam, (*i*) per 16. annos interea ad Reipublicae ſedens clavum, Regno

(*f*) *Siffridus Presbyter* p. 690. *Gothardus* in *Althachenſe monaſterio nutritus*, ibidem Abbas factus ab Henrico Imperatore per *Willegiſium* Herveldenſe regimen ſuſcepit. *VVolffherrus in vita S. Godehardi Epiſcopi Hildeſienſis* p. 486. At memorato Abbate Hirsfeldenſi, (Bernhardo) paulo poſt defuncto, praedictum *Godehardum* eis (Rex Heinricus) patrem gubernatoremque Epiſcoporum conſilio propoſuit. Qui illuc per Willegiſum Archiepiſcopum perductus, & per eum etiam, ſicut, Deo gratias optime noverat, ad bene faciendum ſapienter inſtructus. *Serarius* p. 715.

(*g*) *Ditmarus* p. 348. A quo (Boleslao) *Volcoldus* Antiſtes vulgi inſtinctu varii expellitur, & ad Willigiſum, Archiantiſtitem veniens benigne ab eodem ſuſcipitur. *Paulus Langius* in Chronico Citizenſi p. 766. Spectabilis vir *Folcoldus*, Epiſcopus eius ſecundus, diminutus, ad *VVilligiſum*, Archiepiſcopum Moguntinum declinavit, a quo & honorifice ſuſceptus fuit.

(*h*) *Dodechini* appendix ad *Marianum Scotum* apud Piſtorium p. 475. Temporibus Ottonis Imperatoris huius nominis tertii, praefuit Eccleſiae Moguntinae *Villegiſus* Archiepiſcopus memoria dignus, *qui ipſum Ottonem adhuc valde puerum & Imperatorem educavit*, & interim *per 16. annos Romanum rexit imperium.* *G. Bruſchius* de Epiſcopatibus Germ. p. 8. a. *Hermannus Contractus* & *Lamb. Schaffneburgenſis* ad annum 984. hoc quoque referunt.

(*i*) Vita *Godehardi* Epiſc. Hildes. apud Leibn. T. I. p. 485. In proximo (praeceſſit autem a. 983.) Natalis Domini die Otto tertius puer *coronam regni a praenominato Metropolitano* (Willegiſo) Moguntiaco honorifice percepit, & in omni Eccleſiaſtica perfectione feliciter, more avito creſcere coepit. *Ditmarus* lib. III. p. 347. edit Leibn. & Mader. p. 61. Huius inclyta proles, nata ſibi, in ſylva quae *Ketil* vocatur, in die proximi Natalis Domini (praeceſſit annus 978.) ab *Iohanne* Archiepiſcopo Ravennate, & a *VVilligiſo*, Magonciacenſe, in regem conſecratur Aquisgrani. In anno conſentit *Chronographus Saxo* p. 197. Sed unctionem itidem adſcribit *Iohanni*, Ravennati Archiepiſcopo: Filiolus Imperatoris tertius *Otto* per unctionem *Iohannis* Ravennatis Archiepiſcopi Aquisgrani in die natalis Domini unctus eſt in Regem. Nec non

gno inhiantibus ſubmotis & ſedatis; (*k*) qui porro A. 987. Templa in Palatina tunc urbe *Dornburg*, (*l*) & *Iecheburg* (*m*) conſecravit; qui Anno circiter 988. Ædi *B. Virginis ad gradus* in ſua metropoli valvas binas ex aere affabre confectas addidit; (*n*) qui circa annum 989. *duos* *pon-*

Lambertus Schaffneburgenſis p. 157. Filius Imperatoris tertius Otto patri ſucceſſit in regnum, unctus in Regem Aquisgrani a *Iohanne* Ravennati Epiſcopo.

(*k*) Vita *Godehardi* Epiſc. Hildeſ. p. 485. Cuius (Henrici Baioariae Ducis) nugalis machinatio a primoribus regni, Deum ſane timentibus, & maxime a *VVillegiſo* Metropolitano Moguntiaco & *Bernhardo* Duce Saxonico pacifice ſedatur. *Ditmarus* lib. IV. p. 348. Comprovincialium autem *Thiedericus* & *Sibert* —— *militesque S. Martini*, iuſſu Archipraeſulis *VVilligiſi*, quibus adhaerebat occidentalium maxime multitudo. — Magontinae tunc proviſor Eccleſiae *VVilligiſus* cum Duce Cunrado, caeterisque optimatibus huc (in Weſenſtad) venit. Hic Dux coactus affirmare, ſe III. Kal. Iulii ad locum, qui Rara vocatur, puerum matri illisque velle reddere.

(*l*) Varie hoc antiquum Thuringorum oppidulum ab Autoribus ſcribitur, ſed non aliud, quam *Dornburgum* infra Ienam eſſe, ex ſequentibus patebit. Ita vero *Marianus Scotus* p. 449. *Villegiſus* Archiepiſcopus Moguntinenſis dedicavit Eccleſiam in *Turnilan*, Vigero Comite rogante; Qui *Vigerus* mox eandem eccleſiam, quae etiam *Dorlon* nominatur, cum omnibus, quae in eadem *Marchia* habuit, poſt obitum ſuum *S. Martino* & *Epiſcopo Moguntino* contradidit. *Serarius* p. 719. 722. Epitaphium eius:

Thuringis Derlam fecit, *Iecheburque*, *Valernam*.

Hoc vero notandum, Imperatorem *Henricum* Willegiſum noſtrum *Dornburgo* ad *Giſilerum* Magdeburgenſem Praeſulem deſtinaſſe, clare hoc aſſerente *Ditmaro* p. 373. Deinde ad *Dornburg* veniens, Willigiſum Archi-Praeſulem cum caeteris familiaribus ad Giſilerum miſit Archi-Epiſcopum. Sineque dubio Templum eſt illud, quod a. 971. conflagraverat. vide *Chronogr. Saxonem* p. 184. 216. *Annales Hildesheim.* p. 718.

(*m*) *Iecheburque* habet Epitaphium eius apud *Serarium* p. 722. *Valerna* vero quae ſit, non capio. Sed mihi videtur, Serario quoque non ſatis conſtitiſſe, quinam ſit ille locus, dum in Epitaphio vocat, ut ſcripſimus, *Iecheburg*, in praecedente vero p. 713. *Lecheburg* ſicut etiam non explicat, quis locus ille ſit *Turnilon*, (*Dorlon*, *Dorlan*) cum hoc *Dornburgum* ſit, illud vero ſine dubio *Iecheburg* deſtructum caſtrum, hodie non procul Sondershuſa, coenobio olim inclytum.

(*n*) Epitaphium apud *Serarium* p. 722.

pontes, ſupra Moenum ſcilicet, ad urbem *Aſchaffenburgum*, & alterum ſuper Navam ad *Bingam* oppidum conſtruxit; (*o*) qui A. 991. (992.) die XII. (XVII.) Kal. Nov. intererat conſecrationi & dedicationi Templi S. Stephani in *Halberſtad*, factae ab *Hildewardo* (Hillibardo) Epiſcopo, praeſente Rege, Regina, & Regis avia; (*p*) qui anno 993. XVIII. Kal. Febr. *Berwardum*, Epiſcopum Hildeſienſem tradito publice pedo conſecravit, (*q*) antea ad Subdiaconatus (*r*) itemque Diaconi & Pres-

Vrbe Mcguntina ſunt aeris & oſtia bina,
Ad gradus valvas matris Chriſti dedit ambas.

Confer pag. 719. apud eundem *Serarium.*

(*o*) *Serarius* p. 719. ex Mſto minore Moguntino, & p. 722. Epitaphium:

Pontem conſtruxit apud Aſchaffburg, bene duxit,
Ac pontem per Nahe: miles tranſit quoque verna,
Et bene neceſſe prope Bing Mäuſen dedit eſſe.

(*p*) *Paulus Langius* in Chronico Citizenſi p. 768. Anno Domini 992. Hugo Epiſcopus iſte cum *VVilligiſo*, Moguntinenſis, & Giſilario Magdeburgenſis eccleſiarum Archi-Epiſcopis interfuit ſolennitati dedicationis eccleſiae Halberſtatenſis. Ex antiquis inaugurationis huius mentionem iniiciunt *Chronici Halberſtadenſis Autor* p. 117. Anno igitur Domini 991. 17. Kal. Nov. templum iam dictum (*Halberſtadenſe*) in honorem S. & individuae Trinitatis, ſanctique ſui protomartyris *Stephani*, confaventibus & conbenedicentibus XII. Epiſcopis ſub *duodenario* videlicet & apoſtolicae dignitatis typo, honorifice dedicavit. Aderant autem Archi-Epiſcopi, *VVillegiſus* Moguntinae ſedis &c. *Ditmarus* T. I. Leibn. p. 351. & Mader. p. 73. *Adfuit ibi* (in Halberſtad) *tunc Rex cum Imperatrice Adelheida avia eius, & Abbatiſſa Mechtildis*, & Archiantiſtites hi: *VVilligiſus*, Giſilerus & Liewizo Anno 991. XII. Cal. Nov. &c.

(*q*) *Tangmarus* in vita *Berwardi* Epiſcopi Hildeſ. p. 441. Communi igitur electione (religioſus iuvenis Bernwardus) ſanctae *Hildeſenemenſi Eccleſiae* ordinatus Epiſcopus a *VVillegiſo* Archi-Epiſcopo XVIII. Kal. Febr. anno incarnationis dominicae nongenteſimo nonageſimo tertio, indictione ſexta. *Serarius* in R. M. p. 719 Autor vitae *S. Gothardi* c. 18.

(*r*) *Tangmarus* in vita *Berwardi* p. 442. T. I. Leibnit. Adeptus ergo a *VVillegiſo* Venerabili Epiſcopo *Subdiaconatus* gradum, aliquandiu cum illo converſatus eſt. Et cum propter morum honeſtatem ac vitae probitatem religionis

Preſbyteri gradum a ſe promotum; qui *Theutmarum*, Praepoſitum primum Aquisgranenſem, epiſcopum Oſnabrugenſem poſtea, (*s*) benedictione largiter impertita ad laudatum Praeſulatum commendavit, ſaluberrimisque monitis ad obeunda haec rite & ex debito ſancta officia ſummaque, identidem ac ſerio inſtruxit; qui *Theodatum*, genere Saxonem, in *Adelberti* (pro quo, Romam ex Bohemia fugiente, ita laboraverat apud Pontificem *noſter*, (*t*) ut Pragam remitteretur ad ſuos) locum, Archiepiſcopum Pragenſem unxit; (*u*) qui A. 997. IV. Non. Febr. ſ. Purificationis S. Mariae feſto, *Taginonem* Archipraeſulem Magdeburgenſem Merſeburgi ſancto unxit oleo, (*x*) praeſente ſcilicet Rege *Hen-*

profectum in illo ſentiret, *Diaconum* illum ordinavit; interiectoque non longo ſpatio, *Presbyterii eum honore* ſublimavit.

(*s*) *Erdwini Erdmanni* Chronicon Oſnabrug. apud Meibomium T. II. p. 205. Qui (Giſilerus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis) ob petitionem *VVilligiſi* Archiepiſcopi Moguntinenſis, eundem noſtrum *Theitmarum* Epiſcopum *largiflua benedictione ditatum*, eidem (Willegiſo) deſtinavit. Hic *Theitmarus* eccleſiae Moguntinae perutiliter & *Archiepiſcopo* (Willigiſo) ſervivit. — Idem *Rex* (Henricus S.) cernens venerabilem virum *Theitmarum* probis actibus decoratum, impetravit a memorato *Archipraeſule VVilligiſo*, ut eum ſibi concederet, & continuo *Aquisgrani praepoſituram* ei regendam contradidit. Igitur anno 1004. *Dominus Theitmarus* annuente Henrico II. *Oſnabrugenſis epiſcopus* conſtituitur.

(*t*) Hic equidem rediens non diu ob importuniorem licentiam Pragae ſubſtitit, ſed in Poloniam ſe recipiens & evangelium praedicans, ibi martyrio coronatus fuit. Cum vero Pragenſes *Strabum* nomine eius vellent ſucceſſorem, & hic a *VVilligiſo* etiam ordinaretur, *peractisque omnibus, quae agenda erant, choro Litaniam modulante, dum procubuit ſuper tapetia ordinandus inter duos ſuffraganeos, arreptus eſt ab atroci daemonio*, referente hoc nobis ex Mſto minore Moguntino *Nic. Serario* in R. M. p. 720.

(*u*) *Coſmas Pragenſis.*

(*x*) *Ditmarus* lib. V. edit. Leibnit. p. 375. edit. Maderianae vero p. 120. 140. ſeqv. *Ibi* (Merſeburgi) tunc *Tagmo* venerandus IV. Non. Febr. id eſt ὑπαντῇ domini, id eſt *obviatione iuſti Simeonis*, accepta ab *Hilderico* Antiſtite licentia, qui primus horum in ordine fuit confratrum a *VVilligiſo* Archipraeſule Moguntino conſecratus eſt, praeſente *Rege* ac *Romano nuncio*, omnibusque Coëpiſcopis ad haec faventibus. *Anonymi Chron. Magdeb.* apud Meibom. T. II. p. 282. Illic *in puri-*

Henrico & Apoſtolico Nuncio ; qui lites inter ipſum & Epiſcopos Hildeſienſes *Oſdagum* & *Berwardum* circa haec tempora de Gandersheimenſis Coenobii territorio ortas ſequenti A. 1006. componi ſivit ; (*y*) qui B. Burchardo Antiſtiti Wormatienſi, quem in Diaconum & in ſuae Camerae Magiſtrum ac civitatis primatem antea promoverat, Ottone III. ſic volente ſacram infulam ſolenni conſuetoque ritu impoſuit in Heilgenſtadt ; (*z*) qui porro A. 1002. (1003.) Ottone III. demortuo, *Henricum S.* in Regem Romanorum VIII. Idus Iunii (III. Kal. Iulii) domini-

ficatione S. Mariae ſolenniter unctus eſt Dominus *Dagino* a *VVilligiſo* venerabili Archiepiſcopo Mogontino, utriusque ſuffraganeis, qui tunc aderant, honorifice ſuffragantibus, *Apoſtolicae* autem *ſedis legato* & *Hilderico* tunc in ordine ſuffraganeorum primo conſentientibus. *Chronographus Saxo* p. 217. Ibi (*Merſeburgi*) tunc Tagino venerandus in purificatione S. Mariae unctus eſt a *VVilligiſo* Archi-Epiſcopo Magontino. Idem prope habet *Alberici* Chronicon p. 40.

(*y*) *Tangmari Presbyteri Vita Berwardi* Epiſc. Hildesh. apud Leibnit. T. I. p. 446. Anno itaque ordinationis ſuae octavo gravibus inſecutionum moleſtiis *pro territorio Gandeneſemenſi* ab Archiepiſcopo *VVillegiſo* impetitur. Litem inter *Oſdagum* & *VVilligiſum*, quod *Sophia* Abbatiſſa non niſi ab Archiptaeſule velari vellet, deſcribit pluribus *Heinricus Bodo* in Syntagmate apud *Meibom.* p. 497. Tomo II. itemque illas inter *ipſum* & *Berwardum* p. 498. ibid. & apud Leibnitium Tomo I. p. 716. 717. 718. *VVolffherri vita* S. *Godehardi* c. 19. p. 490. Ubi (in Palidi) Willegiſus Archiepiſcopus publico ſermone aeſtimationis ſuae culpam profeſſus iuri & repetitioni eiusdem loci abrenunciavit. Confer rurſus *Heinrici Bodonis* Syntagma de Eccleſia Gandersh. p. 500. apud Meibom. Tom. II. & apud Leibnit. T. III. p. 718. *Serarius* p. 720. 721.

(*z*) B. *Burchardi* vita, & ex ea Serarius p. 716. 717. 718. Poſtea Burchardus Willigiſo Moguntinenſis ſedis venerabili Archi-Epiſcopo ſe adiunxit, illiusque ſalutari ſapientia repletus, & ſecundum ſuos nobiles mores imbutus. —— Per ſingulas graduum ſcanſiones ad Diaconatus ordinem ab Archiepiſcopo ſublatus eſt. —— Poſt aliquos autem dies licentia ab Imperatore accepta cum Archiepiſcopo (Willigiſo) in locum Heilegenſtadt pervenit, ibique ſacerdotalis officii infulam accepit. Sequenti autem die Pontificalis benedictionis unctione venerabiliter conſecratus eſt. Deinde ab Archiepiſcopo — dimiſſus, ſibi commiſſum Epiſcopatum viſitavit, Wormaciamque venit.

minica octava Pentecoſtes Moguntiae unxit (*a*) & coronavit; eodemque adhuc anno coniugi ipſius *Cunigundae*, Paderbornae S. Laurentii die multa cum benedictione coronam impoſuit Imperatoriam; (*b*) ſimul-

(*a*) *Vita Meinwerci Paderbornenſis Epiſc.* apud Leibnit. T. I. p. 521. *Sed ſerenante altiſſimo & mediante VVirgiſo Magontienſi Archiepiſcopo Heinricus Dux Baioaricus —— eligitur, & redditis Regalibus a S. Heriberto Colonienſi Epiſcopo, MAGONTIAE dominica octava Pentecoſtes a VVILLIGISO, eiusdem civitatis Archiepiſcopo ordinatur.* *Sigebertus* Gemblacenſis apud Piſtor. p. 591. *Henricus ergo Dux* (A. 1002.) *conciliatis ſibi animis quorundam Principum regni ungitur in Regem a VVilligiſo Moguntino Archiepiſcopo.* *Ditmarus* T. I. Leibn. p. 367. edit. Mader. p. 110. *Hic* (Henricus) *VIII. Idus Iunii ibidem* (Moguntiae) *communi devotione in Regem electus a VVilligiſo eiusdem ſedis Archiepiſcopo, ſuffraganeorumque ſuimet auxilio, accepta Regali unctione, cunctis praeſentibus Deum collaudantibus, coronatur Francorum & Muſelenenſium primatus, regi manus tunc applicans, gratiam eiusdem meruit.* Chronicon Quedlinburgenſe apud Leibnit. T. II. p. 286. *Dehinc III. Cal. Iulii praefatus Henricus nepos Regalis a Francis in regnum eligitur, inſciisque Saxonibus Moguntiae a Villichiſo unctus coronatur.* Chronographus Saxo p. 214. *Dehinc intrante Iulio* (1002.) *praefatus Dux Henricus nepos regalis in regnum eligitur a Francis, inſciisque Saxonibus Magontiae a VVilligiſo unctus coronatur.* Magnum Chronicon Belgicum p. 95. *Henricus Dux, conciliatis ſibi armis quorundam Principum Regni, ungitur in Regem a VVirgiſo Moguntino Archiepiſcopo, & imperavit annis 22. Coepit autem anno Domini 1003.* Marianus Scotus p. 449. *Henricus Dux Bavariae Bambergenſis Rex effectus, apud Moguntiam conſecratus a Villigiſo archiepiſcopo,* (1002.) *regnavit annis 22. menſibus 5.* Gobelini Perſonae Coſmodromium apud Meibom. p. 255. *Henricus Dux Bavariae rogabat Principes, ut ſe eligerent in Regem, quod & factum eſt, maxime ad hoc procurante VVilgiſo Archi-Epiſcopo Moguntino.* — Henricus *Moguntiam* veniens a Wilgiſo Archiepiſcopo Moguntino & a quibusdam ſuffraganeis ſuis regiam coronam accepit. Confer *Mutii* Chronicon German. p. 108. apud Piſtor. Tom. II. *Alberici* Chronicon ad an. 1002. *Henricus eligitur in Regem a VVilligiſo Moguntiae Archiepiſcopo, & regnavit annis viginti duobus.* *Bruſchius* p. 8. *Vincentius* Lib. 26. & ex eo *Serarius* p. 721.

(*b*) *Ditmarus* Lib. V. p. 369. T. I. Leibn. Poſtera luce, quae mundo feſtiva illuxit *B Laurentii martyrio*, Domina *Cunegundis* benedictionem & coronam, & *Sophia* ſoror Imperatoris a Rege iam conſtituta Abbatiſſa, conſecrationem a *VVillegiſo* Archiepiſcopo humiliter ſuſceperunt. *Vita Meinwerci* Epiſcopi Paderborn. p. 521. Eodem anno novo Rege *Nativit. Laurentii* in civitate *Patherbrunnenſi* celebrante, domna *Chunigunda*, ipſius uxor a praedicto *Willigiſo*

ſimulque *Sophiam* Imperatoris ſororem, Abbatiſſam Quedlinburgenſem conſecravit; qui A. 1007. *Templum coenobii Gandersheimenſis* cum *S. Bernwardo* feſto Paſchatos conſecravit; (*c*) quique denique, poſtquam prope 36. annis (*d*) praefuiſſet ſumma cum laude huic Eccleſiae ac dignitati, ſeptimo Kal. Martii (*e*) Anno 1011. (*f*) plenus dierum bonorumque operum vitam cum morte in profeſto Matthiae Apoſtoli commutavit, *ſepultus* Matthiae feſto ad altare in monte *S. Stephani*

Magontienſi Archiepiſcopo inibi *regiae conſecrationis* dominium adinvenit: quod eidem Eccleſiae in augmentum honoris & profectum magni decoris, Dei miſericordia provenit.

(*c*) *Vita Berwardi* p. 459. Rex Heinricus ſaepius interceptam Gandeſenemenſis Eccleſiae dedicationem *in vigilia Epiphaniae Domini* indixit, quae tunc prima feria Dominicae Reſurrectionis accidit. Venerabilis igitur *Bernwardus* Epiſcopus *VVillegiſum Archiepiſcopum* & caeteros fratres in auxilium ſui ad conſecrationem praedictae Eccleſiae invitavit —— fiunt omnia charitate fraterna, ita ut *Archiepiſcopus* in aſperſione *primum locum* teneret &c.

(*d*) Tot annos refert *Epitaphium*, *Autor vitae Meinwerci* Epiſc. Paderb. *Bruſchius*. Adeoque non 34. uti vult *Trithemius*, *Lambertus* & *Marianus*, neque 35. uti Mſtum minus, & ex eo *Serarius* p. 714. multo minus 30. ut mendoſum Mſtum maius apud *Serarium* vult, & a. 1006. mortuum.

(*e*) Hunc diem & annum tradit *Autor vitae Meinwerci* Epiſcopi Paderborn. p. 524. Sequenti anno (1011.) *VII. Kal. Martii*, *VVilligiſus*, Magontienſis Archiepiſcopus, *omni memoria digniſſimus*, Epiſcopatus ſui anno *trigeſimo ſexto*, poſt incendium monaſterii Magontienſis honorifice ab eo conſtructi — ſancte ad Chriſtum migravit. *Necrologium Hildesheim. vetus* p. 763. T. I. Leibn. *VII. Kal. Mart. VVillighis Archiepiſcopus*. Autor vitae *Berwardi Hildesh. Epiſc.* p. 460. *Idem Archiepiſcopus* (Willigiſus) quinto poſt hoc anno (1007.) *plenus dierum bonorumque operum* ſeptimo Kal. Martii migravit ad Dominum. *Hermannus Contractus* apud Vrſtiſium p. 319. Willigiſus Moguntienſis Archiepiſcopus obiit: eique Eckenbaldus ſucceſſit. VII. Idus Martii diem emortualem tradunt *Excerpta Necrologii Fuldenſis* p. 766. A. MXI. Willigiſus Archiepiſcopus VII. Id. Martii.

(*f*) In anno conſentiunt *Chronicon Quedlinburgenſe* p. 288. A. MXI. obiit Willigiſus Archiepiſcopus, cuius loco ſubrogatur *Erkenboldus* Fuldenſis abbas. *Excerpta Necrologii Fuldenſis* p. 766. *Lambertus Schaffneb.* p. 158. Willigiſus Moguntiae Archiepiſcopus obiit Ao. 1011. Eundem annum tradunt *Marianus*

phani,(*g*) nomenque *veri Eccleſiae Moguntinae proviſoris*, (*h*) *viri in omni Catholica pietate praeclari*, (*i*) itemque *religioſiſſimi*, (*k*) uti eximie docti ac prudentiſſimi, ita omni genere optimarum virtutum maxime excellentis, (*l*) omnique propterea memoria digniſſimi (*m*) poſt ſe relinquens.

Haec paullo fuſius, atque mihi primitus propoſueram, Vir Summe Reverende, expoſui, quod viderem, & plurima aliter ab aliis eſſe tradita, & virtutem Praeſulis longe plura mereri. Dabam Gothae Kal. Maii A. 1714.

Scotus p. 449. Anonymi *Chronicon Stederburgenſe* p. 852. & edit. Mader. p. 450. A. 1011. Bonae memoriae Willegiſus Moguntinus Epiſcopus ad Chriſtum migravit. *Hermannus Contractus* ad an. 1011. p. 135 VVilligiſus Moguntienſis Archiepiſcopus obiit. Confer. *Bodo* in Syntagmate p. 718. *Engelhuſius* in Chronico p. 193. *Bruſchius* de Epiſcopatibus p. 8. *Epitaphium* & annos regiminis 36. & annum emortualem ita nobis prodit:

Fama datur iuſta, regnavit ſex bene *luſtra*,
Sex tu coniunge, numerum tu cernis abunde.
MXI. Chriſte, deceſſit Epiſcopus iſte.
Matthiae feſto tumulatus erat, memor eſto.
Veris conſtanter cum ſanctis vivit ovanter.
Hic eſt tumbatus penes altare ille beatus,
Stephanico templo requieſcit, & ipſe memento.

Oſſa tamen eius iterum fuiſſe effoſſa docet idem epitaphium apud *Serarium* p. 721. 722.

(*g*) *Alberici Chronicon* p. 40. VVilligiſus conſtruxit montem *S. Stephani*, in quo ſepultus eſt. *Marianus Scotus* p. 148. Qui (VVilligiſus) conſtruxit etiam *Monaſterium* S. *Stephani*, ibique ſepultus eſt. *Bruſchius* p. 8. Sepelitur magnifice in nova *baſilica S. Stephani* a ſe inchoata & maximis ſumptibus exaedificata.

(*h*) *Ditmarus* p. 348. T. I. Leibn.

(*i*) *Vita S. Godehardi* c. 17.

(*k*) *Vita B. Burchardi.*

(*l*) *Caſp. Bruſchius* de Epiſc. Germ. p. 7. b.

CLARO-

CLAROR V M VIROR V M
EPISTOLAE CXVII.
E
BIBLIOTHECAE GOTHANAE
A V TOGRAPHIS

C V M PRAEFATIONE

ERN. SAL. CYPRIANI.

L I P S I A E,

Apud IO. FRIDER. GLEDITSCH & FILIV M,

M. DCC. XIV.

I. N. I.

ERNESTI SALOM. CYPRIANI,
Theol. D. Conſiliarii Eccleſiaſtici & in Protoſynedrio
Gothano Aſſeſſoris,

PRAEFATIO.

EPiſtolas ad familiares ſcriptas indiſcriminatim publicare ab humanitatis officiis non minus abhorrere, quam mortuorum violare monumenta, ſemper ſum arbitratus. Qui enim ad amicos dat literas, ipſe quaſi ad ſe ſcribit, ſermonemque familiarem miſcet ſecum, * ob eamque rem nihil occultans affectui

* Amicus tanquam alter idem. *Cicero de amicitia c. XXI.*

pluſculum etiam, quam veritas atque prudentia concedunt, indulget, ac cogitata ſua ſpe ſilentii ſecurus in eorum ſepelit animis. Quare cum omnes defunctorum epiſtolae produntur, perinde fieri exiſtimo, ac ſi vis quaedam ſepulcris inferatur.

Imo vero, qui extinctorum monumenta recludunt temere, animum advertentibus multo peccare excuſatius videbuntur. Dum enim ſenſum humanitatis exuunt, ac bene de aliis merendi ſtudium huius vitae ſpatiis terminant, ſibi nocent ac ſuae famae, praeterea autem neminem vehementer laedunt. At vero haud paulo plus reprehenſionis habet epiſtolas mor-

tuorum promiſcuas edere, cum ea res & autorum, & aliorum, de quibus ipſi humana imbecillitate aut falſis rumoribus moti ſecus iudicarunt, exiſtimationi plurimum poſſit afferre detrimenti. Recte Apuleius, *multi*, inquit, *rei cuiusvis maleficii poſtulabuntur, ſi ratum futurum eſt, quod quisque in epiſtola ſua vel amore, vel odio cuiuspiam ſcripſerit.** Videas tamen nuperum haereſium ſcriptorem, qui nobis *pariter facta atque infecta canebat,*** adeo non abſtinuiſſe ab hoc genere iniquitatis, ut potius ſummam curam adhi-

* *Apologiae p.m. 384. ad quem locum Scipio Gentilis haec notat:* Abſurdiſſimum enim eſt, ut & privatis ſcripturis & contra alium credatur. Notae ſunt iuris noſtri ſententiae L. non epiſtolis. L. rationes. L. exemplo. C. de probation.

** *Teſtis eſt tota eius hiſtoria recentioris aevi* tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri, *ut cum Virgilio loquamur. AEn. IV. 188.*

buerit, ne veterum theologorum multi epiſtolarum familiarium iudiciis minus onerarentur. Id vero eſt facere, quod tibi fieri neutiquam velis, atque hiſtoriam ſcribere vere fabularem, ut Suetonii utamur vocabulo.*

Hoc ideo monendum duximus, ne quis ſperet, ſe in hoc epiſtolarum volumine inventurum de domeſticis eruditorum calamitatibus narratiunculas, aut alia, queis partium ſtudio abrepti ſi non innocentium, certe vita functorum criminationem poſſint inſtruere. Tantum abfuit, ut mortuis moleſti eſſemus, ut etiam incomparabilis viri, Juſti Lipſii, famam documenti authentici editione** vindica-

* Tiberio cap. LXX. ** Epiſtola CX.

remus, quem multi eccleſiae evangelicae ſcriptores Jena clam omnibus aufugiſſe perperam tradiderunt. De reliquo ſperamus rerum eccleſiaſticarum amantes non improbaturos conſilium edendarum epiſtolarum, quarum multa millia ſervantur in bibliotheca optimi Principis, FRIDERICI II. GOTHANI, quem ANTIQVITATVM PARENTEM eodem iure appellabimus, quo Cicero ſe urbis propemodum extinctae * parentem conſervatoremque dici gloriatus eſt. Cum non omnibus idem placeat, facile video, diverſa de hoc opere iudicia fore eruditorum. Sed praeterquam quod inſtitutum noſtrum magnorum

* *Lib. IX. ep. XII. ad Atticum.*

virorum exemplo tueri poteramus, vitio nobis verſum iri haud opinamur, ſi Germanicarum eccleſiarum hiſtoriam omni ſtudio illuſtrare contendimus, viciſſim facile paſſuri, ut ſuum externi ſtudium ad ſuorum coetuum res memorandas convertant. Edimus autem has epiſtolas cum notulis quibusdam noſtris ex autographis, demtis tribus aut quatuor, quas in margine ex apographis ſumtas annotavimus. Non eſt dubium, quin quaedam minoris pretii locum melioribus potuiſſent relinquere. Sed aliis negotiis implicatiſſimo boni viri facile condonabunt feſtinationem. Gothae cIɔ Iɔcc xiv.

EPISTOLAE GOTHANAE.

I.

LAVRENTIVS CAMPEGIVS FRIDERICO III. Electori Sax.

ILluſtriſſime Princeps & Domine colendiſſime. Debita commendatione praemiſſa. Quum mente voluerem, quantum illuſtriſſimae D. Tuae debeam, quanta cum benivolentia me, dum Nurumbergae eſſet, ſuſceperit, quotiens denique me ab oratoribus ſuis ſalutari iuſſerit, ſuamque operam humaniſſ. pro commodo meo obtulerit: ingratum me fore cenſuiſſem, niſi his meis munus a S. D. N. mihi iniunctum declaraſſem. Dum enim diebus proximis * Beatitudo ſua cardinalium promotioni incumbit, me ſua clementia & benignitate in eorum numerum aſcripſit. Et cum iampridem illuſtriſſimae D. Tuae ſervitutem meam devoverim: ſibi perſuadeat rogo, nihil mihi iucundius fore, quam eidem inſervire, ac eius vota perficere. Quam-

* *Die primo Iulii XXXI. Cardinales & in his Campegium creavit Leo. Campegius, cuius vitam to. 3. de vitis pontificum col. 384. Oldoinus inſeruit, nuntii apoſtolici munere apud Maximilianum Caeſ. tunc fungebatur. Anno 1518. miſſus eſt in Angliam ad Henricum VIII. ac deinde varios pro eccleſiae Ro. commodis labores ſuſcepit, quos vel ex Raynaldi indice tomi XX. annalium, & ſyllabo rerum in Seckendorffii hiſtoria Lutheraniſmi narratarum eccleſiaſticae antiquitatis ſtudioſi intelligent. Ante purpuram ex legitima uxore trium filiorum pater factus eſt, e quibus Alexander patris virtutes imitatus Iulii III. benignitate cardinalitiam dignitatem obtinuit, ut Oldoinus nos docet to. 3. col. 774. Eraſmus Laurentio eruditionem rariſſimam tribuit ep. 416. vocatque virum omnium & optimum & doctiſſimum ep. 437. Idem vero & prudentiſſimus fuit, aut certe callidus in primis. Quid enim, ſi proſpere eveniſſet, eccleſiae Ro. optatius potuiſſet accidere deſtinatione Campegii, quam ep. 703. prodit Eraſmus Melanchthoni :* Miſit ad me Campegius card. vir profecto ſingulari humanitate, qui mecum ageret de multis, & inter cetera de te alio quopiam evocando. Reſpondi, me optare quidem tuum iſtud ingenium eſſe liberum ab iſtis contentionibus, ſed deſperare te ſuſcepturum palinodiam.

obrem eandem quanto maiore poſſum ſtudio deprecor, ut ſi quid recens dignitas mihi credita illuſtriſſ. D. Tuae, vel tuorum commodis conferre poteſt, pro voto ac iure proprio opera mea utatur. Id enim tantum a me negabitur, quod illa requirendum a me contempſerit, nihilque mihi gratius contingere poteſt, quam ut re ipſa meum in ſe animum cognoſcat. Bene ac feliciſſime valeat illuſtriſſ. D. Tua, cui iterum ex animo me plurimum offero & commendo. Auguſtae XIII. Iulii M. D. XVII.

Illuſtriſſimae D. Tuae

Servitor L. Campegis Diac. Cardinalis.

II.
MOSELLANVS SPALATINO.

QUod ex tanto iam intervallo ad te ſcribo, Spalatine Optime, idque tuis amantiſſimis litteris provocatus, nolim aliorſum accipias, atque ego feci. Quando mihi mos eſt, ſi quem habeam amiculum graeco illo otio diffluentem, eum nugis meis vel obtundere, rurſus ſi quem variis negotiorum curis diſtrictum, non perinde frequenter inanibus epiſtolis interpellare. Et compertum habeo, quam tu utilis ſis principi tuo vere illuſtriſſimo, quam item raro ſis vacuus ad mihi meique ſimilibus reſcribendum. Quam autem non ſordeat nobis amicitia tua, quamque ſaepe de Spalatino honorifice pariter, & amanter loquar, locuples ſat teſtis erit optimus utriusque noſtrum amicus Stromer ille ἰατρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Tantum abeſt, ut tui neglectus ullum locum apud me inveniat. Porro quod noſtras lucubrationes poſtremum omnium ad te pervenire quereris, ac propterea me rogas, ut poſthac ſtatim, ut quodque emiſero, tibi communicem, nae tu amore mei labi videris, qui eiusmodi adoleſcentiae noſtrae conatus tam aſpernaris, ut vel in primis habere geſtias. Egomet (ut me tibi amiciſſimo aperiam) in nulla lucubratione iudicii mei ſtomacho ſatisfeci hactenus. Quid ergo, inquies, edis? cur non Horatii conſilium ſecutus in nonum premis annum? Quid aliud reſpondeam non habeo, niſi quod μωροὶ μωρὰ ποιοῦμεν. Praeſertim cum peſſimis etiam ſcriptoribus ſuam ſcriptitandi libidinem feliciter adeo cedere videamus. Neque enim inter

tot

tot vel huius noſtrae ſcholae συγγραφεῖς tam malus eſt ullus, ut non lectores ſui ſimileis invenerit complureis. Ut Rubius noſter pene avidius legatur hic, quam Eraſmus. Et, o lachrymabilem ingeniorum noſtrorum caecitatem, adhuc ſcripturimus? Quod ad me attinet, quieſcam tantiſper, dum hic ſcriptorum tumultus nonnihil reſideat. Iam Nazianzeni, ſanctiſſimi Theologi, librum a nobis verſum miſiſſemus vel ultro in tempore, ſi non duo quaedam obſtetisſent. Primum, praeter conſilium meum libello adiectae ſunt eiusmodi annotationes in officina a neſcio quo, ut earum nomine me ſane pudeat. Deinde inſignis eſt noſter in ea tralatione lapſus, quem eſt animus olim iterata editione, primum a me ipſo animadverſum, tollere. Quae ſunt cauſſae, ut cupiam totam hanc editionem, ſi liceat, ſupprimere. Agapitum noſtrum per Stromerum accepiſti. Bene vale & litteras Principi Sapientiſſimo commendare perge. Brevi ad te ſcribam, quae mihi fuerit inter prandendum diſputatio ſuper Martini negotio cum Reverendiſſimo Domino & Principe meo, Trevirorum Archiepiſcopo, proximo autumno, cum hinc in patriam exſpatiatus eſſem. Iterum vale. Curſim Lipſiae 23. Mart. An. M. D. XX.

Optimo ſane & doctiſſimo Viro D. Georgio Spalatino bonarum artium Magiſtro, Canonico Aldenburgenſi, Illuſtriſſimi Saxon. Principis Electoris &c. a ſacris, amico & patrono ſingulari.

III.
AVENTINVS ROSAE.*

Si Otonis Friſingenſis Epiſcopi Chronica legere habeo, rogo a quopiam accommodato, accipias, mihique Abuſinam mittas. Pauca ſunt, quae excerpam, deinde confeſtim Angiloſtadium redibunt. De Reuchlino quoque me certiorem facias: ſcire cupio, quam diu Angiloſtadii commoraturus ſit? Apud nos peſte laboratur, quam nondum apud vos invaluiſſe audio. Ego opus coeptum urgeo, ad calcemque propero. Spero propediem me ex hiſce emerſurum fluctibus. Niſi tamen maior, ita humana ſunt, mihi labor naſcetur.

* *Hieronymo Roſae Angiloſtadenſi mathematico lectori.*

Nam & Fabii iudicio plus temporis emendationi, & ut ita dicam educationi, quam partui tribuendum eſt. Timeo ex parva ſcintilla contemta maximum exarſurum ignem. Iampridem Theologis illis bellum cum Grammaticis fuit: nunc in ſua viſcera victas manus convertunt. Deus det illis pacem, quam ipſi non amant. Venus atque pecunia quorundam Dii ſunt, ſed faceſſant. Si iſthæc magnopere curavero, inſaniam profecto cum illis. Multum refert, ait Plinius, in quae tempora cuiuscunque virtus inciderit. Extrema dementia eſt, cum inveteratis moribus pugnando, nihil aliud, quam odium ſui concitare. Qui vitia odit, homines odit, illa erunt, donec homines erunt. Quæ ſi quis corrigere atque extirpare conatus fuerit, nihil plus aget, quam ſi det operam, ut cum ratione inſaniat. Vale!

IV.

PETRVS MOSELLANVS ERASMO STELLAE.*

LItteras tuas una cum commentariis accepi, Clariſſime Stella. In quibus quod me ex tot periculis ſalvum rediiſſe gratularis, facis pro noſtra amicitia, honeſtiſſimorum ſtudiorum ſimilitudine contracta. Porro quod non ſtatim reſcripſerim, in cauſa fuit alicuius, qui ad Te perferret, inopia. Nam is, qui tuas mihi apportavit, Caſparis a Schönberg Equitis miniſter, iſtuc ſe remenſurum iter negavit. Miraris fortaſſe me ipſum iſtuc, ut ſcripſeram me facturum, necdum veniſſe. Sed facti cauſas in meis ad Georgium litteris reddidi. Tametſi ſi quid commodi vobis iſtic praeſtare me poſſe ſcirem, non gravarer, hoc iter poſthabitis omnibus ſuſcipere. Scholae veſtrae qui fundamenta iecit Deus, vel ſine me progreſſum & incrementum dabit. Non deeſt vobis conſilium, cum ſitis prudentiſſimi: nec bene faciendi voluntas, cum optimi. Ego ſi non coram, abſens tamen, ſi quando dabitur occaſio, meum erga vos Senatumque veſtrum ſtudium declarabo, & quam mihi haec Scholae veſtrae inſtitutio placeat, palam faciam omnibus. Laurentium Beerenſprung, aut ſi latine mavis Urſalium, Collegam tuum, reverenter iubeo ſalvere. Egranus tam eſt munere apud populum orandi occupatus, ut apud

* *Medicinae Doctori & conſuli Cygneae.*

apud me magis ſit mutus, quam piſces. Alias facundior, quam cucullatis quibusdam placeat. Bene vale. Miſnae ex aedibus Cellenſis Abbatis XIII. Cal. Decembr. M. D. XIX.

V.

IVLIVS PFLVG, Decanus Miſnenſis, IOACH. CAMERARIO. *

Quae a te proficiſcuntur, Ioachime, ea ut mihi iucunda ſint, & ratio veteris inter nos amicitiae, & communia ſtudia, in quibus iam dudum ſumus, plane efficiunt. Sic igitur tibi perſuadeas velim, cum nudius tertius accepiſſem tua in primam Tuſculanam M. T. Ciceronis commentaria, grata mihi cumprimis ea fuiſſe, quod tua eſſent. Cum autem eadem legerem, exindeque amor in me tuus, ac doctrina eximia cum acri iudicio coniuncta, ſeſe ex omnibus partibus oſtenderent, magnam animo voluptatem cepi. Nam quod commentaria illa mihi inſcripſiſti, datum eſt abs te ſignum amoris tui in me cuiusdam ſingularis. Ac mihi quidem videtur amicitia noſtra antehac ſua tantum vi, & tacita quadam animorum coniunctione viguiſſe. Quando autem tu uberiore officio eam ſic colere voluiſti, ut erumperet tandem augereturque, & quo me provocaris, & quantum tibi debeam ſentio. Et quanquam laudes, quibus me ornas, eiusmodi ſunt, ut eas agnoſcere minime poſſim, tamen laetor, te de ſtudiis meis vitaeque actionibus tam bene exiſtimare. Itaque opera a me dabitur, ut cum tibi in amore reſpondeam, tum omnes aliquando intelligant, te beneficium illud tuum apud hominem non ingratum poſuiſſe. Quod autem optimo eloquentiſſimoque autori ſcriptis tuis lucem afferre, & eos, qui in ſtudiis eloquentiae verſantur, ad imitationem eius excitare non dubitaſti, conſilium factumque tuum non ſolum probo, ſed etiam vehementer laudo. Etſi autem non eſt, quamobrem hoc loco multa addam, ipſa enim ratio ſuſcepti illius negotii tibi procul dubio optime conſtat, facere tamen non poſſum, ut, quae tua de imitatione ſententia mihi placet, cur ea placeat non explicem. Id enim te velle e libro tuo, & litteris Phi-

 lippi

* *Etſi huius epiſtolae autographum deſideratur; tamen ex apographo perantiquo deſcribendam curavimus, ut eruditiſſimi praeſulis & in hiſtoria reformationis celebre nomen adepti, cultioris literaturae ſtudia innoteſcerent poſteritati.*

lippi Melanchthonis cognovi. Atque ut ad rem aggrediar, cum duae res inſint generi noſtro, quibus a brutis animantibus potiſſimum disiungimur, ratio nimirum ipſa atque ſermo, profecto eo incumbendum eſt nobis, ut non ſolum intelligere recte, verum etiam id, quod intelligimus, appoſite eloqui poſſimus. Poſtulat namque ratio humanae ſocietatis, ad quam nos natura humana genuit, ut quae cognoſcimus, cum aliis communicare ſane velimus. Id niſi conſequamur, non ita magnum ſapientiae, ſi qua praediti ſumus, capere fructum videmur. Quodſi igitur ipſa bene dicendi ratio expetenda eſt per ſe, certe quanto quodque dicendi genus per ſe eſt melius, tanto magis eſt expetendum; Hoc qui non intelligit, idem, non dico iudicio recto, ſed ipſo etiam communi ſenſu prorſus caret. Quo magis requiro prudentiam eorum, qui aut damnant ſtudia, quae in eloquentiam conferuntur, aut ſi ea non damnant, ſed ea potius perſequuntur, nullam tamen eius dicendi generis, quod optimum eſt, rationem habent. E quo errore, ut eriperes eos, qui litteris latinis operam dant, recte ac praeclare factum eſt abs te, quod eosdem inflammare voluiſti, ut M. T. Ciceronem unum ex omnibus maxime imitarentur. Eſt enim, ut ipſe ſtatuis, autor hic omnium eorum, qui latine luculenterque ſcripſerunt, facile princeps. Qui profecto, quod ab aliis inchoatum fuerat, eloquentiae opus perfeciſſe, & extremam quaſi manum ei impoſuiſſe videtur, ſi modo ulla in res humanas perfectio cadere poteſt. Atque hic ille ipſe eſt, qui non ſolum ſingulis eorum, quicunque eloquentiae gloria unquam floruerunt, ſed etiam cunctis longo intervallo eſt anteponendus. Quas enim ſingulas ſinguli horum orationis quaſi virtutes ſibi acquiſiverunt, eas ille omnes ita complexus eſt, ut ſingulae in libris ipſius multo uberiores ſint praeſtantioresque, quam in ſcriptis illorum. Quod cum in clariſſima luce verſetur, ſic certe ſtatuendum eſt, aut unum hunc eſſe, quem recte imitentur, qui latine volunt loqui atque polite, aut neminem; omnemque imitandi rationem e ſtudiis eloquentiae eſſe tollendam. Quod tamen nulli eorum, qui ſani ſunt, in mentem venire poteſt. Nam qui imitationem eloquentiae adimit, idem eloquentiam ipſam funditus evertit. Eſt enim minime ignotum, rationem loquendi nos e matribus noſtris potiſſimum hau-

rire,

rire,& quaſi cum lacte earum ſugere. Qualis igitur ſermo eſt, quem audiunt infantes pueri, talem ipſi fundunt, ſimul ac fari incipiunt. Itaque Gracchi ipſi cum matrem haberent eloquentem, imitatione eius id facile conſecuti ſunt, ut eloquentiſſimi aetatis ſuae & eſſent & haberentur. Ex quo etiam illud intelligi poteſt, infantes ſi qui incidunt in conſuetudinem hominum barbare maleque loquentium, eos aliter quam illos locuturos non eſſe, niſi ab illorum familiaritate abducti melioribus dicendi magiſtris traditi fuerint. Verum ne de re aperta multus ſim, quoniam ratio loquendi imitatione conſtat, nec ullus loqui poteſt, quod intelligas, niſi audierit aliquem, quem imitans ipſe ſermonem, quo ſenſu animi ſui exprimat, ſibi paret atque acquirat, profecto ſtudia eloquentiae ab imitatione minime ſunt disiungenda. Cum autem in omni genere rerum, quas imitando aſſequimur, ſi optimum haberi poſſit, quod effingatur, hominis ſit incogitantis & non ſatis induſtrii, quod non optimum eſt ad imitandum ſibi proponere, certe tecum ſentio, atque eos, qui volunt loqui latine ornateque, Ciceronem unum debere imitari ſtatuo. Sed dicet fortaſſe aliquis, libros illius non omnia verba, quibus res explicandae ſunt, continere, ut multa a medicis, multa a Iure conſultis, multa a Theologis mutuari eum oporteat, qui ad veram eloquentiae vim atque rationem aſpirat. Cum praeſertim eloquentis hominis ſit, de quacunque re propoſita apte ornateque dicere. Itaque horum alterum evenire neceſſe eſt, ut ille Ciceronis imitator, aut non ſatis appoſite de omnibus rebus loquatur, aut alios etiam bonos auctores, qui vim verborum cuiuscunque rei propriorum ſuppeditant, imitetur. Ego vero etſi non nego, non omnes omnium rerum voces in Ciceronis libris inveniri, (fatendum eſt enim) tamen equidem non video, illud ipſum cauſam eſſe, cur a ſententia, in qua uterque noſtrum eſt, me deduci patiar. Nam cum finis, quo imitatio noſtra referri debet, videatur eſſe ſimilitudo eius, quem imitamur, certe aliud eſt, mutuari aliunde ſingula vocabula, aliud vero orationem imitari, quippe cum illa mutuandi ratio, ſimiles nos eis, a quibus mutuamur, minime efficiat. Etenim ſi, quae affert ſingula, ea non componas, atque in unum veluti corpus coagmentes, neque ſimilitudo neque imitatio ulla, illius a quo ſingula accipis, exi-

ſtere poteſt. In ipſa orationis elegantia, ſtructura, ornamentis, atque adeo in ipſa ratione loquendi more Romano, hoc eſt, eo modo, unde humanitas prudentiaque luceant maxime, ſimilitudo Ciceronis vera continetur. Si igitur Ciceronem in hiſce ipſis rebus effingas, eique ſis ſimilis, etiamſi adiungas aliunde vocabula ſingula, quae tamen more Ciceronis iungas, proferasque, ut eius ſimilitudinem abiicere, nec ut ille, a quo mutuaris, ſed quaſi Cicero ipſe, ſi eisdem de rebus locuturus fuiſſet, dicere videaris. Atque eius ſimilitudinem, quem ſemel arripuiſti, retines non aliter, quam qui imitando ſimiles effecti ſunt iis, qui eleganti ſunt corporis motu: nam eodem corporis motu geſtuque, vel ſimili faciunt ea etiam, quae ii, quos imitantur, nunquam fecerunt. Quare periculum non eſt, ne a Ciceronis imitatione deſiſtere cogantur, ſi qui forte Ciceroniani explicant res, quas idem nullo ſcripti genere illuſtravit, ſed hactenus de imitatione, de qua ipſa longior aliquanto fui, quod cum idem plane ſit ſenſus noſter, & placeat mihi vehementer, quod ſcripſiſti, & de eo quaſi tecum loquens, ſingulari voluptate afficior. Hortarer hic te, ſi modo ei rei ullum locum relinqueres, ut iuventutem, quam doces iſtic ipſe atque moderaris, non deſineres monere, ut te ſequerentur, ponerentque operam ſuam in eo imitando, cui primas eloquentiae docti omnes tribuunt, ſed quia de tuo ad omne officii genus impetu nihil plane dubito, miſſa facio iſthaec, ne tibi diffidere videar. Illud autem, quod unum opto maxime, praeterire non poſſum, cum Germania noſtra hiſce ſuis miſere temporibus deſideret voces bonorum virorum, qui dent conſilia quieta, eique prope languenti medeantur, me eum diem expectare avidiſſime, in quo exiſtant viri boni atque eloquentes, qui omnem vim ſuam facultatemque dicendi conferant ad bonum publicum, idque efficiant, ut remiſſa animorum contentione illo incumbant ii, quos penes eſt poteſtas, ut concors aliquis patriae noſtrae ſtatus collocetur. Atque hoc niſi eveniat, & remp. prope ruentem tale quiddam fulciat, quod me, qui caritate patriae valde moveor maximorum malorum metu liberare poſſit, non equidem reperio. Quo mihi uberior videtur eſſe poſſe fructus, quem eloquentia hoc tempore afferat, cum auctoribus, quibus dignitatem veram adiungat, tum vero Reipublicae ipſi, ſi eam gravibus periculo-

ſisque

ſisque procellis diu iactatam induſtria diſertorum virorum in portum deduxerit. Atque ut hoc Deus noſter ille benignus & miſericors fortunet, nosque reſpiciat, ut qui eius debemus eſſe membra, nunc propter tempora divulſi, rurſus in unum veluti corpus coaleſcamus, & ego opto maxime, & piis ab eo precibus contendere omnes debemus. Habes hic, mi Ioachime, non ſolum quid ſentiam ipſe de libro tuo, verum etiam, quid ego in praeſentia doctis eloquentibusque viris faciendum putem, ut verum ſuorum ſtudiorum fructum conſequantur. Quod ipſum tibi, omnibusque bonis atque prudentibus viris, quorum animi a perturbatione eccleſiae ac rerum noſtrarum abhorrent, facile probari exiſtimo: vale, tibique perſuade, te a nobis valde amari, noſtramque amicitiam, ut facere inſtituiſti, cole. Miſnae pridie Nonas Iunii anno poſt Chriſtum natum M. D. XXXVIII.

VI.

HEINRICVS IIX. Angliae Rex

Ducibus Saxoniae. *

ILluſtriſſimi atque excellentiſſimi principes, clariſſimi Domini, cognatique noſtri longe omnium chariſſimi, ſinceram ſalutem, ac felicium ſucceſſuum aſſiduum augmentum.

Si quid forte incideret, in quo admoneri me profuerit, pro animi veſtri comperta bonitate certiſſimam ſpem concepi, admonitionis veſtræ beneficium nunquam mihi defuturum eſſe. Quam ego rem, quum animum erga me veſtrum ex meo erga vos affectu metiens, indubie mihi perſuaſerim, ingratus admodum ipſe mihi videar, ſi in ea re, quae non ad honorem modo veſtrum, ſed fortunas quoque vehementer ſpectat, ego viciſſim vos admonere negligerem.

Quid enim ad vos & tam potentes & in Chriſti cultum tam devotos principes aut propius ſpectare poteſt, aut debet movere vehementius, quam cohibendae factionis iſtius Lutheranae ſtudium? qua nullam unquam in terras nocentiorem malus invexit genius, aut quae maiorem perniciem ſit illatura propediem, niſi boni piique omnes obſtiterint, & inprimis qui plurimum & poſ-

* *Hanc epiſtolam in tomis Lutheri Germanicis mendoſe editam ex protographo membranaceo typis imprimendam duximus, quod nullum ferme eius exemp'um hodie appareat, etſi ab Emſero an. 1523. publicatam novimus. Lege Seckendorffium hiſt. Luth. L. I. §. 156.*

ſunt & debent principes. Non quod Lutherum talem cenſeam, qui viris probis ac prudentibus poſſit imponere, aut ea quae ſcribit neſciam eſſe tam impia, ut ea bonorum omnium aures exhorreant, ſed quod ſciam nunquam defuturam improborum hominum colluviem, quibus ineptiſſimus quisque aptiſſimus eſt magiſter, & ut quicque maxime naſcitur abſurdum, ita maximo exceptum plauſu ſummo ſtudio & contentione propagent. Nam quod ad ipſum pertinet Lutherum, olim viſus eſt nec indoctis, nec malis hominibus ut multa parum bene, ita quaedam non omnino male ſcribere. Verum ita ſtatim profecit in peius, ut illicet multi perſpexerint, quicquid unquam aut plauſibile aut tolerabile, non alio feciſſe conſilio, quam ut meliorum oſtentatione viam pararet peioribus & praelito melle venenum redderet vendibilius. Quam rem ſucceſſione perpetua nocentiorum ſemper dogmatum adeo teſtatam reddidit, ut hodie neminem eſſe usquam putem, cui ſcintilla ulla maneat aut in capite cerebri aut pietatis in pectore, qui non eum totum cum ſuis inſaniis ex animo prorſus eiecerit. Etenim initio coepit utcunque diſputare, deinde iraſci, paulo poſt incendi, poſtremo furere, iam in eo demum libro, quo debacchatur in me, furias ipſas furore ac veſania ſuperare. Quo in libro ſi quid ſcripſiſſet usquam quod rem videretur attingere, ſi quid omnino mentis miſcuiſſet amentiae, ſi quid non abſurdum prorſus effluxiſſet ei, quale vel caſu ſolet mente motis excidere, quanquam non admodum decorum putem ita me comparare, ut cum homine tali publice componar ac diſputem; tamen cum rex & propheta David non cenſuit indecorum ante arcam foederis nudum ſaltare cum quolibet, ipſe certe non eram quenquam habiturus indignum, quocum in gratiam religionis pro fidei veritate diſſererem. Nunc vero quum nihil ad rem reſpondeat, ſed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo congredi nec inhortabor nec prohibebo, ipſe certe non committam, ut cum inſaniente inſaniam. Nam quisquis & aequus lector & prudens libellum meum cum illius libro perlegat, is profecto facile iudicabit iam nunc Lutheri neniis ſatis ſuperque reſponſum eſſe. Quod ſi quis illi tam inique faveat, ut mea verba non ſuſtineat inſpicere, aut tam inſigniter inſtupeſcat, ut collatis utrinque locis non ſentiat rem adhuc reſponſo

non

non egere, huic nulla unquam reſponſione ſatisfecero. nam qui queam illis, qui nihil aut velint legere aut poſſint intelligere praeter Lutheri ſcurrilia iurgia? qui quum interim rem ad iſtum tractet modum, magna me affecit voluptate. Siquidem initio certus eram rem quidem quam tuendam ſuſceperam ſuapte natura eſſe inexpugnabilem, adverſus quam nec inferorum portae poſſint praevalere, ſed imbecillitatis meae conſcius, de meis tamen armis dubitabam. At nunc effecit hoſtis ut orbi toti inclareſcat alterum, nempe aut ipſum eſſe prorſus imbecillum, aut meas rationes admodum valuiſſe, quas contra nihil invenire potuerit praeter inſulſa ſcommata & prorſus inſana convitia. Quibus ſi me commoveri putat, egregie profecto fallitur. Etenim quantumvis ille me vocet inſanum, vocat opinor plus millies, nunquam tamen tam inſanus ero ut aegre feram quod inſanus vocer ab inſano: itaque aut mea me fallit opinio, aut iſtius in me ac regium nomen contumelioſa ſpurcicia, vos haud paulo magis quam me viri clariſſimi commovet. Solet enim generoſos animos nobilium reverentia quaedam inter ſe colligare, qua vel in hoſte, quum oderint ac perſequantur hominem, perſonam tamen honorent ac revereantur officium: nec generoſus fere quisquam invenitur usquam tam incivilis ac barbarus, qui vel inimicitiis ullis adduci poſſit, ut ſcurrilem in modum linguae petulantia conſpergat nobilem: tantum abeſt ut quisquam ea nobilitate ac generoſa virtutis indole, qua mihi perſuaſi quemlibet eſſe veſtrum, aequo animo ferat, & principis & amici nomen viliſſimis nebulonibus haberi ludibrio. Quod meum de vobis iudicium vel is affectus confirmat imprimis, quem in memet ipſe ſentio. Nam quum ne tantulum quidem me tetigerint omnia, quae deblateravit in me, tamen perquam indigne tuli blaſphemias illas, quibus Auguſtum Caeſarem & caeteros Germaniae principes virulentiſſima lingua perfudit. Quos omnes in eius ipſius libelli frontiſpicio, quem in meum nomen evomuit, probro contumelioſiſſimo proſcindit. Wormatiam, inquit, ingreſſus ſum, etiam cum ſcirem mihi violatam eſſe a Caeſare fidem publicam, nam didicerunt principes Germaniae, olim de fide laudatiſſimae gentis, nunc in obſequium idoli Romani, nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Haec tam

virulenta in Caeſarem ac Principes Germanos convitia, quam falſo ac flagitioſe mentiatur os illud impudens ac mendaciorum fons perennis, vel illud indicat, quod hodie niſi mentiretur qui poſſet iſta mentiri, non eſſet. Quis enim dubitat quam facile potuiſſet meritum reportare ſupplicium, ſi Caeſar id voluiſſet ac proceres? ſed quis illud, non dico Caeſar aut procerum quisquam, ſed vel honeſto loco natus Chriſtianus ullus in animum potuiſſet inducere, ut fidem violaret publicam? ut illum, quanquam publicae fidei publicum hoſtem, per perfidiam tolleret, ut odio (quod aiunt) nocentis, perderet innocentiam? Iſtud, quum non Caeſar promiſſi obſervantiſſimus, non procerum aliquis, quibus nihil antiquius honore ducitur, non honeſto loco natus Chriſtianus quisquam, ut qui nihil non cenſeat poſthabendum fidei, potuiſſet unquam cogitare, quis usquam vivit vere Germaneque Germanus, qui ferre poſſit nebulonem fraterculum, quae perpetuam infamiam inurerent nationi Germanicae, ea tam impudenter quam mendaciſſime non cuipiam ſui ſimili germano, ſed proceribus omnibus Germaniae, atque ipſi quoque principum Germanorum principi per convicium exprobrare Caeſari? Demiror talia ſi Germani ferant in iſto. Nos profecto quanto magis indignamur, in tales ac tantos principes tantum licere fraterculo, tanto minus eius mendaciis movemur: quae partim latine, quae legimus, partim germanice, quod audio, furioſus eructat in me. Nam ſi quid maledictis illis immiſcuit, de cuius veritate poterat, quisquis rem non noſſet, aliquid fortaſſe dubitare, nunc in animum ſuccurret lectoribus, nihil illius maledicentiae credendum, cui perpetuum inſtitutum eſſe videat, de principibus prorſus omnibus, atque ipſo etiam Caeſare mentiendi. Neque enim iſtud Luthero novum eſt, omnia comminiſci ac fingere, quibus in odium principum ſcelerate concitet atque extimulet populum. In quod negotium promovendum ſceleratorum hominum catervam iam dudum contraxit atque adiunxit ſibi. Itaque nulla unquam factio fuit ſeditioſa, peſtilens, nefaria, quae ſic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, res publicas omnes evertere machinata ſit, ut nunc iſta coniuratio Lutherana, quae & ſacra omnia profanat, & profana contaminat, quae ita Chriſtum praedicat, ut

eius

eius ſacramenta conculcet, ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem deſtruat: ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, & invehat peccandi licentiam: ita miſericordiam ſublevat, ut iuſtitiàm deprimat, & malorum omnium cauſam inevitabilem non in Deum aliquem malum, quod Manichaei ſaltem commenti ſunt, ſed in unicum illum vere bonum reiiciat. Quae quum ad hunc modum impie divina tractarit, velut e coelo deiecta ſerpens virus effundit in terras, in eccleſia commovet diſſenſionem, leges omnes abrogat, magiſtratus omnes enervat, laicos in ſacerdotes concitat, utrosque adverſus pontificem, populos adverſus principes, nec aliud plane molitur, quam ut, (quod omen avertant ſuperi) Germaniae primum populus, tanquam pro libertate bellum indicat proceribus, deinde ut Chriſtiani contra Chriſtianos ſpectantibus & irridentibus Chriſti hoſtibus pro Chriſti fide ac religione depugnent. Quid ſi quis forte non credat ab uno homine nihili tantum unquam periculi naſci poſſe, huic in mentem velim ſubeat turcica illa rabies, quae quum nunc tot per terras & maria ſe diffundens maximam & pulcerrimam totius orbis partem occuparit, a duobus olim nebulonibus ſumpſit initium, ut interim taceam factionem Bohemicam, quae & ipſa, quis neſcit, e quam exiguo vermiculo, in quam immanem Draconem, haud absque magno Germaniae malo, quam propere adolevit, ita proclive eſt, malam ſegetem nullo demetente creſcere. Nec ullus unquam ſocio caruit ad nocendum, neque tam imbecillus eſt quiſquam, quin ſecuro poſſit ac tanquam luſurum ſpectanti lethale vulnus infligere. Quae res, quo minus contingat, in praeſente negotio principibus omnibus adnitendum eſt, adnitentur autem, ſi rem pro levi non habeant, nec exiſtiment duntaxat eſſe ſcholaſticam: ſed quum & Dei res agatur & hominum, dignam intelligant, cui Chriſtiani principes admoveant manus: quod ut nullius non incumbit officio, ita potiſſimum incumbit, cognati chariſſimi, veſtro, ut qui & proximi eſtis periculo, & facillime (ut ferunt) poteſtis obruere, ſi naſcenti malo propere eatur obviam, priusquam & improbi per malitiam & ſimplices per errorem in eum numerum ac robur coaluerint, ut facile cohiberi non poſſint. Cui ego rei proſpecturos vos pro veſtra prudentia & in Chriſti fidem obſervantia non dubito. Nam cum nulla poſſit haere-

ſis exoriri, quam vos fideles in Deum principes non vehementer averſemini, Lutherianam tamen fieri non poteſt, ut non praecipuo quodam odio proſequamini. Nam licet homo vaniloquus non uno loco ſcribat, ſe in hoc electum a Deo, ut hanc doctrinam, quam ille ſolam vocat evangelicam, ad iſtum, quo coepit, modum ſpargeret ac praedicaret in mundo, veſtra tamen prudentia facile deprehendit, nec illum afferre quicquam, cur evangelica verba credatur melius intellexiſſe, quam veteres eccleſiae ſanctae ſanctos doctores omnes, quorum iſte interpretationes omnes abigit atque contemnit prae ſuis, & multa non ignoratis per manus ab Apoſtolis olim tradita ubilibet hactenus obſervata perpetuo, quorum iſte nihil blaſphemus non exſibilat. Ad haec animadvertitis, ſpiritus hominis arrogans mendax ac maledicus quam longe abſit a Spiritu Dei Sancto, qui ſolet electis ſuis inſpirare veritatem, lenitatem, modeſtiam, & cum ſui contemptu charitatem ac reverentiam omnium. Poſtremo doctrinam eius videtis praetextu praedicationis evangelicae meram eſſe Wyclyfficam, a qua vos, Cognati chariſſimi, non dubito, toto pectore prorſus abhorrere, ut quam Germani proceres, atque inprimis, ut audio, progenitores veſtri vehementer elaborarint extinguere, ſed quoniam ſerius aliquanto coeperant, prorſus exterminare non poterant: hactenus tamen profecerunt, ut eam, velut perniciosam belluam, intra quosdam Bohemiae terminos, velut in ſpeluncam clauderent, atque cohiberent. Quae quum ita ſint, dubitare profecto non poſſum, ſedulo proviſuros vos, ne, quam veſtri maiores belluam occluſerunt, ea veſtra incuria ſic reperiat exitum, ut per Saxoniam prorepens totam pervadat Germaniam, & afflatu noxio inferum eructans ignem, illud ſpargat incendium, quod Germani toties voluerunt ſanguine ſuo reſtinguere. Qua in re quanquam pro veſtra bonitate vos tam propenſos eſſe non ambigo, ut neque monitore vobis neque hortatore ſit opus; Ego tamen pro meo in vos affectu me continere non potui, quin ad voluntatis veſtrae pronitatem & admonitiones meas & hortationes adiungerem. Etenim quum nullum principem tam alienum putem, quin ei mihi videar id officii debere, ut qua in re poſſim, eius honori conſulam, vobis viri digniſſimi ut id impenſius exhibeam, cognati quaedam ſanguinis inter nos neceſſitudo conſtringit,

git, quandoquidem intelligo Sereniſſimos maiores e Stirpe clariſſima regum Angliae progenitorum meorum eſſe prognatos. Quae communio ſtirpis & ſocietas ſanguinis ſic animum meum afficit erga vos, ut nihil aut commodi prorſus aut incommodi vobis poſſit accidere, quod ego mihi vobiſcum non exiſtimem eſſe commune. Quam rem quo magis ac magis vos & admonere cogor & hortari, imo per omnia vos obſecrare ſacra, ut quam maxime poteſtis mature detis operam, ut execrabilis iſta Lutheri ſecta coerceatur absque caede cuiusquam ſi fieri poteſt aut ſanguine, ſin id quo minus posſit pervicax obſiſtat audacia, quoque modo coerceatur tamen, neque permittatis, ut leges, magiſtratus, principes, respublicae, divina denique atque humana omnia ſic aſſueſcant paulatim vileſcere, conculcari, proteri, ut invaleſcentibus improbis, muſſitantibus bonis, eo tandem res perveniat, ut alteri perverſae malitiae, alteri praepoſterae patientiae Deum aliquando vindicem atque ultorem habeant, cui periculo ſi veſtra occurrat induſtria, pacatae patriae, diſcuſſi ſchiſmatis, reſtitutae concordiae, religionis cultae ac perpurgatae, & apud homines eximiam laudem & apud ſuperos immortalem gloriam conſequemini. Valete Viri Clariſſimi.

Literas has obſignaturo mihi venit in memoriam Lutherum in ſuis adverſus me neniis excuſare ſe, quo minus ad reliqua reſpondeat impediri transferendo Biblio. Viſum eſt igitur hortari vos, ut omnium rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere. Nam ut bonum eſſe non negem, in quavis lingua legi Scripturam Sacram, ita certe periculoſum eſt ex eius verſione legi, cuius mala fides fidem facit omnibus, id illi ſtudium eſſe, ut bene ſcripta male vertendo pervertat, ut populus ea ſe legere putet in Scriptura Sacra, quae vir execrabilis ab execrandis hauſit haereticis. Iterum valete Viri Serenisſimi atque animo meo longe charisſimi. Ex regia noſtra Grenvvici die XX. Ianuarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio.

Veſter bonus conſanguineus & amicus

HANRY REX.

Illuſtrisſimis Dominis, Friderico Dei gratia Duci Saxoniae, Sacri Romani

mani Imperii Principi Electori, Lantgravio Thuringiae & Marchioni Miſniae, & Ioanni ac Georgio, eadem gratia Ducibus Saxoniae, Lantgraviis Thuringiae & Marchionibus Miſniae, & cognatis amicisque noſtris longe omnium carisſimis.

VII.

MELANCHTHON FISCHERO. *

S. D. Reverende Vir & Amice cariſſime.

VTinam hic quinquageſimus annus vere ſit Iubilaeus, ac levationem calamitatum eccleſiis adferat, ac ut tibi & tuis domeſticae & publicae eccleſiae fauſtus ſit, opto. Legi Pragenſibus propoſitos articulos, qui continent multos tetros errores & idolorum manifeſtam confirmationem. Etſi quam magna eſt disſimilitudo eccleſiarum in Bohemia, tamen hae, quae nobiſcum ſentiunt, haud dubie illos articulos execrabuntur. Et ſpero fore, ut Deus ipſe disſipet conſilia impia. Quaeſo, ut ſaepe nobis ſcribas, bene & feliciter vale. Die Ianuarii 8.

Philippus Melanchthon.

VIII.

Idem eidem.

S. D. Reverende Vir & cariſſime Frater.

GEmit natura rerum cum eccleſia. Coelum non rigat terram foecundis imbribus. Terra horridis flatibus torreſit, ſegetes & herbae ſiti moriuntur, dolet enim natura, Deum adfici contumeliis multipliciter, & iam certum eſt, Turcicos exercitus novos in Pannoniam duci. Quare & auxilium a filio Dei petamus, & eccleſias maiore cura foveamus, hac ſpe, quod ſcimus, filium Dei reliquias eccleſiae ibi ſervaturum eſſe, etiam in ruinis imperiorum, ubi doctrinae vox ſonat incorrupta, & veri gemitus auxilium Dei petunt. Commendo igitur urbi hunc Magiſtrum, Ioachimum Wernerum Königshofenſem, virum doctum & recte invocantem Deum.

Spero

* *Melanchthonianas damus ex autographis non pertinentibus ad bibliothecam Sereniſſimi Principis, ſed nobiscum communicatis a praecipuae autoritatis Theologo, D. Philippo Ludovico Boehmero, olim in Academia Iulia promotore ac collega noſtro, nunc Wunſtorfenſium Praeſule ſupremo & protoſynedrii Hannoverani conſiliario.*

Spero te, ubi conſideraveris eius eruditionem & pietatem, iudicaturum eſſe, profutura eſſe iuventuti & vitae ipſius exempla & doctrinae exercitia. Oro autem filium Dei, ut vos & nos gubernet. Hac ſeptimana ingredietur iter & magiſter Iacobus Salveldenſis ad te miſſus, vir doctus & honeſtus. Is & alios adducet. Bene vale & reſcribe. Die Maii undecimo.

Philippus.

Reverendo Viro eruditione & virtute praeſtanti Domino Chriſtophoro Fiſchero gubernanti eccleſiam Dei in ditione Hennebergenſi, fratri ſuo cariſſimo.

Smalcaldiae.

IX.

Idem eidem.

S. D. Reverende Vir & cariſſime Frater.

HAnc epiſtolam dedi viro docto & honeſto Magiſtro Iohanni Paceo filio Lectoris & concionatoris Lipſici Pacei. Eſt autem eximia eruditio huius magiſtri Iohannis. Nam ad cognitionem doctrinae eccleſiaſticae adiunxit ebraeam & graecam linguam. Et mores ſunt honeſti & pii. Et coniugem habet honeſtam & piam, quae nunc gravida eſt, cumque ſit orphana, ſoror eſt etiam trium orphanorum. Scis autem ſcriptum eſſe: Sis pater orphano, tunc Deus magis te diligit, quam mater tua te diligit. Commendo igitur tibi familiam & exulantem & orphanam, teque oro propter filium Dei, qui etiam exul propter nos fuit, ut hunc Magiſtrum Iohannem Paceum ſingulari ſtudio iuves & ornes. Erit haec pietas Deo grata, & ego ipſe magnum beneficium me a te accepiſſe iudicabo, ſi hunc adiuveris. Et credo libenter opem ferre filiis miniſtrorum evangelii praeſertim idoneis ad docendam eccleſiam. Nec vero dubito, quin hunc valde probaturus ſis, cum eum audies, & mores conſideraveris. Mitto capita proximae diſputationis, & te oro, ut nobis reſcribas, quid de ſingulis ſtatueris, qui a nobis literas attulerunt. Bene vale die 21. Maii.

Philippus.

Reverendo Viro eruditione & virtute praeſtanti D. Chriſtophoro

Piſcatori gubernanti Eccleſiam Dei in ditione Principum Hennebergiorum fratri ſuo carisſimo.

Zu Schmalkald.

X.

MELANCHTHON VVILHELMO, Hasſiae Landgrafio.

S. D. Illuſtriſſime & Clementiſſime Princeps.

SCit celsſitudo veſtra neceſſariam eſſe conſiderationem regionum, ut ſciamus, in quibus locis imperia Deus ordinare conſtituerit, ubi & quando ſe patefecerit, in quibus locis ceu veſtigia ſua impreſſerit, ac teſtimonia oſtenderit, ut ſuam doctrinam ſciamus veram eſſe, & eam amplectamur. Vtiles ſunt igitur tabulae Coſmographicae, ac praeſertim eius terrae, in qua ſe Deus illuſtribus teſtimoniis patefecit. Cum igitur Tilemannus Stella Sigenſis ediderit tabulam exitus ex Aegypto, & oppidorum Palaeſtinae, non dubito Celsſitudini veſtrae hunc laborem placiturum eſſe. Sed tamen quia literas a me flagitavit, libenter ad Celsſitudinem veſtram ſcripſi, quia & ſcio & gaudeo, Celsſitudinem veſtram intelligere harum doctrinarum fontes, & ſtudia libenter iuvare. Quaeſo igitur, ut & huius Tilemanni tabulam conſideret, & cum iam editionem paret tabulae, in qua Germaniam totam deſcribet, favere ſe huic labori oſtendat. Bene & feliciter valeat Celsſitudo Veſtra. Die aequinoctii verni Anno 1558.

Celsſitudinis Veſtrae

Servus
Philippus Melanthon.

Illuſtrisſimo Principi ac Domino, Domino Wilhelmo Landgravio Hasſiae, Comiti in Cattſen-Elenbogen, Ziegenhein, Nidda & Dietz &c. Principi ac Domino ſuo clementisſimo.

XI.

IDEM FISCHERO.

S. D. Reverende Vir & amice cariſſime.

ETſi nondum in Eccleſiis noſtris ulla mutatio facta eſt, tamen ſic ſaepe reſpondimus nos non pugnare de adiaphoris. Certe ordinem

nem honeſtum lectionum & feſtorum eſſe decet. Et commodius eſt retineri ritus veteres, quatenus non ſunt impii. Si poſtulabitur, ut ordinatio Pragae petatur, inquirenda erit forma verborum, quia haut dubie miſcebitur aliquid de ſacrificio, & miſcebuntur alia impia. Ideo improbanda erit illa ordinatio. Sed Deum oremus, ut haec eccleſiarum pericula regat, & opinor moram interventuram eſſe Regis conſiliis.

De obſtetricum conſuetudine ſcio multos anxie diſputare. Sed cum proſit etiam natos infantes commendari Deo, voce praeſentium & aliquo teſtimonio, ego quidem talem conſuetudinem tolerari vellem, & cum ſunt ſuperſtites pueri, baptizari tamen in publico poſſunt, quia baptiſmus, quantum fieri poteſt, publica & multis nota ceremonia eſſe debet. Sed optarim, nos poſſe colloqui de hac re coram. Bene & feliciter vale. Die ſanctiſſ. ſynodi Mariae & Eliſabetae.

Philippus Melanthon.

XII.

Idem eidem.

S. D. Reverende Vir & cariſſime Frater.

MItto tibi Eberi propoſitiones, de quibus etiam iudicium tuum flagito. Vides me quaerere utilia conſcientiis & fugere labyrinthos, qui dubitationes in mentibus augent. Optarim autem te & diſputationis ſocium fuiſſe καὶ παραστάτην Eberi, & cum eo iam ornari publico teſtimonio. Sed poſt brumam de illis deliberationibus rurſus ad te ſcribam. Simul etiam in aula de iis conſiliis loquar cum gubernatoribus, quorum fiebat mentio, cum adeſſes, ac benevolentiam erga te meam perpetuam fore promitto. Maxime opto, ut quam plurimi unum ſimus in Deo. Bene vale. Cal. Decemb. 1559.

Philippus Melanthon.

Reverendo Viro eruditione & virtute praeſtanti Magiſtro Chriſtophoro Piſcatori gubernanti Eccleſiam Dei in oppido Schmalcalden, fratri ſuo cariſſimo.

XIII.

ALBERTVS HARDENBERGIVS PHILIPPO MELANCHTHONI.

VEnerande Praeceptor. Quid hic ad me penitus opprimendum, & veram de ſacra coena ſententiam extinguendam agatur, & quo pacto Tilemannus Heshuſius ſuam operam ad hoc noſtris ſit pollicitus, item quod magno ſtipendio eius opera hic conducta ſit, & ut ad privatam aut publicam diſputationem me provocaverit, & alia quaedam huius generis proxime per Thomam, Phriſiorum nuntium, ad Mag. Sebaſtianum Winshemium ſcripſi, uti tecum communicaret. Quod & factum confidere volo. Te ita occupatum non libenter interpello. Sed opera tua tamen mihi hac in cauſa valde eſt neceſſaria. Tacite mecum cogitavi, ſi tibi & paucis aliis fidis amicis conſultum videretur, me velle clam omnibus proficiſci Heidelbergam, & ibi cum illo in certamen deſcendere. Sed terrent me multa, & in primis nuditas mea & illius audacia cum pari impudentia coniuncta. Deinde quod neſciam, quis ſit ſtatus academiae & profeſſorum Theologiae. Si ſunt Illiricanae factionis, tunc ſtultum eſſet illic aliquid tentare. Dillenum novi, alioqui, quod ſciam, neminem illic. Olim Lovanii mihi magna notitia fuit cum principe Friderico, qui nunc Elector eſt, ſed illius Celſitudo fortaſſe me iam non noverit. Si quid agendum eſſet, plurimum mihi prodeſſe poſſent tuae (per me) ad ipſum literae. Si conſilium probas, mittes mihi literas ad eum. Si quid aliud conſulis, id quaeſo ut per hunc ad me ſcribas. Nam vir bonus eſt & fidus. “Quale quaeſo eſt, quod “unus ego debeam de tota hac cauſa ſolus agere. Interim qui hanc “cauſam agere poſſent & deberent, quieſcunt & ſilent.„ Quaeſo reſcribe ad me propter Chriſtum mediatorem noſtrum. Vale. 21. Decembris 1559.

P. S.

Mitto vobis illius Tilemanni Germanicam confeſsionem, ex qua veluti ex unguibus beſtiam iudicabitis. Multa hic promiſit. Etiam de excommunicatione movit quaedam. Oro te, mi anime, iuva me conſilio. Non libenter deſererem cauſam, quam Deus hactenus con-

contra admirandas Sathanae artes admirandum in modum defendit. Et revera hic ſenſi, quod Dominus ex propheta dicit: Ex ore infantum & lactentium perfeciſti laudem. Si iudicabis Heidelbergam mihi excurrendum, tum tu quaeſo metas & terminos mihi praeſcribas, intra quos me continere debeam, & quam rationem, quam formam, quem modum & ordinem ſequi debeamus. Quoniam autem ille me provocavit ex mera ſuperbia & ſpe lucri (magnum enim ſtipendium illi addictum affirmatur, cum tamen diceret, ſe nihil aliud, quam fructum panis petere) velim ſcire, debeam ne opponere initio, an reſpondere ad ea, quae iſte ad mea obiecturus ſit. Dicitur non velle defendere ubiquitatem. Atqui propter illam hic mota quaeſtio eſt. Odioſam cauſam de coena tantum exagitant. Vtinam ex tali occaſiuncula det Deus, ut omnes vos eo conveniatis, & aliarum gentium docti quoque vocentur. Tu cogitabis de hac re, & conferes cum paſtore, domino Ebero, & aliis fidis! Deinde ſi Lipſiam venies, agas cum Domino Camerario de eadem cauſa, & in commune ad me reſcribite. Ne deſerite quaeſo hominem afflictum & fere totum emortuum. Si eſt opportunitas, inquirite, quis ſtatus Scholae. Vale in domino Deo ſalutari noſtro.

XIV.

ALB. HARDENBERGIVS, PAVLO EBERO.

DOmine frater ſalve in Chriſto Ieſu & perge meae hoc eſt Ieſu Chriſti cauſae favere, & ſume animos. Deus auxiliator noſter eſt. Et collapſa eſt hic meorum hoſtium auctoritas. Si vos dignabimini non approbare cuiusdam Ebardi Segelbaldii propoſitiones prorſus ineptas & diſſolutas de ubiquitate. Nam in illis hic iam - - - - ut videas, quod, quale & quantum iudicium hic ſit illis, qui has tragedias movent. Puto vos vidiſſe librum, quem diabolicus blatero & infandus ardelio Magdeburgus nuper Hamburgi effudit, ubi vos vocat Quadiaphoriſtas. Quod non poteſt non contriſtare pia pectora. Sed nihil profecerit inimicus, modo vos opponatis vos muros pro domo Iſrael. Scripſi quaedam ad Praecepto-

rem, tum & ad M. Sebaſtianum. De quibus rogo, ut cum illis conferas. Opto te cum tuis omnibus bene valere. Si quid a me fieri velis, id ſignificabis. Deus vos gubernet. Raptim 4. Iulii.

P. S.

Magiſtro Peucero ſcribam reſponſum per duos adoleſcentes, qui hinc ad vos venient. Quaeſo etiam illum meis verbis ſalutes in domino. Oro & obteſtor te per Chriſtum, Domine, perge recte ſentire de communi cauſa, & commenda mea pericula Chriſto, cui miniſtramus. Da etiam operam, ne inepti iſti triumphos de Chriſto, de eccleſia, de pietate & vera doctrina, & de nobis, qui Chriſto cupimus ſervire, agant. Noſtri quidam pauci te ſalutant & - - - Interim in te & paucis aliis ſpem reponunt in Chriſto.

XV.

ALBERTVS HARDENBERGIVS PAVLO EBERO.

NEque tuae occupationes patiuntur, neque meae calamitates permittunt, ut ad te ſcribam, Domine. Tamen cum amicus noſter Gerhardus Davemannus, biblipola fidus & vir alioqui candidus, ad vos ituriret, idque mihi paulo ante ingreſſum iter indicaret, non volui facere, quin te ſalutarem, & ſanctiſſimos tuos labores tibi ipſe commendarem. Novi enim ex mea miſeria & viginti octo annorum difficiliſſimo exercitio, quam facile ſaepe animus nobis fatiſcat, niſi fortitudinem precibus & admonitionibus ſubinde fulciamus. Quod non ſcribo, quaſi meam ſtultitiam & puſillanimitatem quoquo modo tecum componere velim: ſed monere tamen, ne patiaris te frangi multorum improbitate, in hoc ſtadio tuo. Ego tibi omnia felicia precatus abſtinebo manus, ſi modo hoc te rogem, ut pergas mihi eſſe amicus, & diligenti officio ſalutes piam uxorem, filios, ſocrum, Silveſtrum & totam familiam tuam. Noſtri nunc ſilent, aut veſtris vicinis lampada tradituri, aut novos ſpiritus reſumturi. Domino Praeceptori pluribus ſcripſi. Vale. 6. Aprilis.

XVI.

XVI.

ALB. HARDENBERGIVS PAVLO EBERO.

REverende domine. Gratulor tibi dignitates, quas ſpero Deum bene fortunaturum. Mihi (quod Suſanna dixit) anguſtiae ſunt undique, &, quid eligam, ignoro. Heshuſius operam ſuam noſtris addixit & in pleno ſenatu me non admonito, neque convento, provocavit ad diſputationem hic Bremae habendam. Id ubi fecerat, mox abiit, neque mihi viſus eſt, cum totos XII. dies hic haeſerit, miros plauſus excitaverit, bis concionatus ſit, ſpem dederit de me intra paucos dies opprimendo. Vrget apud Capitulum ſenatus per tres conſules. Nam Rolvvagius iam parat ſe ad legationem obeundam in Daniam. Delegerunt octo de ſenatu, quibus cauſae determinationem commiſerunt. Illi inter ſeſe omnia tranſigunt, quaſi cauſa non ſit publiciſſima. Sed hae artes ſunt. Cogitavi de clancularia profectione Heidelbergam, ut ibi cum eo agam, ſed multa mihi & tantum non omnia deſunt. Opus eſt conſilio & precibus, & in hac re ſilentio tuo, ut cum domino Praeceptore & M. Sebaſtiano tantum agas. Si haec mea cogitatio reſcita a noſtris fuerit, mox impediretur. Reliquit hic crudiſſimam confeſſionem, quam ſpero me ad vos per hunc miſſurum. Nam nunc deſcribitur. Ex ea aeſtimabitis hominis animum. Martinus inſtituit publicas preces in ſuggeſtu pro hoc Tilemanno, nam intereſſe totius Saxoniae, ut illum virum habeat. Sed fide Deo, qui dat os & ſapientiam. Vale, &, per Chriſtum rogatus, reſcribe. 1559.

XVII.

ALBERTVS HARDENBERGIVS PHILIPPO MELANCHTHONI, Wormatiae,

S. D.

REverende domine, ſum de veſtris iſtis rebus valde ſolicitus, tum quod audiam, Pontificios iſtic eſſe plurimos, eosque venenatiſſimos, tum vero, quod non nimium ſolida fides ſit in multis, qui partes veſtras iuvare debuerant. Rogo tuam pietatem, uti dignemini

mini aliquid ad me ſcribere per vos vel Eberum noſtrum de legatione noſtrorum hominum ad conventum veſtrum, certo enim hic affirmatur, eam confeſſionem vel articulos illos, quos iuvenis ille (qui ſe Secretarium Bremenſem affirmavit) non eſſe eosdem, quos ad vos Wittenbergam praeterito Ianuario miſerunt, in quibus affirmabatur, panem coenae eſſe corpus Chriſti eſſentiale, & in omnibus locis. Spero vos illam confeſſiunculam ibi habere. Mea eſt ad verbum deſumta ex Commentariis Muſculi in Matthaeum, quibus ego ne verbum quidem addidi vel detraxi. Poſtea tamen non acceptarunt illud ſcriptum. Dedi aliud brevius in hanc ſententiam: Panis & vinum, verbo domini comprehenſa & ſanctificata ſunt in vero uſu coenae corpus & ſangvis Chriſti, in abdito & myſtico Sacramento, ubi nobis hoc ipſum cum omnibus gratiis & meritis donatur teſtamenti vice. Veluti ea eſt communis omnium ſacramentorum ratio, ut per viſibilia ſigna inviſibilia Dei dona diſtribuantur per miniſtrum miniſterialiter, per ipſum dominum praecipue. Quod ita teſtatur Paulus, ubi fractionem panis communionem corporis, calicem vero communionem ſanguinis 1. Cor. X. atque ita applicat pronomen hoc in verbis domini: Hoc eſt corpus meum; ad duo, oculis & ſenſibus ad panem, fide vero ad ipſum corpus domini. Fides enim in verbum intendit. Haec dedi Germanice, neque alia fuit doctrina mea, licet horrenda de me mentiantur multi. Rogo te per Chriſtum, ne vel formidine, vel amore quorundam hominum ſinas te quoquo modo abduci a ſententia, quam tibi non difficile erit defendere per Dei gratiam. Sturmius noſter miſit nuper Argentina ad me eruditum librum de coena domini, qui dialecticon inſcribitur. Additus eſt liber Bertrami Presbyteri de eadem re. Si iſtic habetis exemplum, rogo, uti iudicium veſtrum mihi de illo dignemini adſcribere, mihi videretur non malus eſſe modus ad re ſarciendam concordiam. Sed illi homines non admittant quamcunque moderationem. Non ſcio, an Eberus noſter iſtic ſit. Nam - - mihi dixit, illum Wormatiae tunc non fuiſſe. Si iſtic eſt, rogo, ſalutate illum, & agite confidenter in domino, & curate, ne ab illis damnemini non auditi. Deus vos gubernet, & dirigat omnia conſilia ex opera veſtra. Hic iam omnia ſilent, ſed tamen omnia plena

mo-

molitionibus & minis. In Lubecenſi conventu nihil huius actum, quod ſciam. Hoc ſolum inde habemus, quod forum mercatorium cum molis reſciderunt. Da operam, domine, ut Brentium nobis coniungas, nam in eo aliquid ſitum eſt: tamen non optime hic nunc audit. Valete in domino & reſcribite. 25. Octobr.

XIIX.

ALBERTVS HARDENBERGIVS PAVLO EBERO S. D.

Reverende domine paſtor, praeceptor & amice colendiſſime. Scito me tuas literas 2. Iunii datas avidiſſime legiſſe, & agere me gratias tibi pro officio, orareque Deum, ut officia & labores tuos ſoſpitet, dirigat & fortunet. Nam ipſe intelligo, quanto nobis auxilio divino ſit opus in hac noſtra ſtatione, in quo tamen tu me & labore & diligentia & ſolicitudine & omnibus numeris ſuperas. Sed tamen ex meis curis tuos labores facile aeſtimo & iudico. Itaque quod nunc officium utrique nobis praeſtare poſſumus, id rogo, ut ſedulo praeſtemus, nempe ut vocationes noſtras Deo per Ieſum Chriſtum commendemus. Et ſi quid aliud a me tibi praeſtari poſſe arbitrareris, id ut libere imperares. Nihil enim te in mea fide fallet, niſi quod videam, me nihil poſſe. Certo tamen ſtatues, me omnia tui cauſa & facturum & omiſſurum, quae tu honeſta mihi & poſſibilia iudicabis. Oro Deum, ut, ſi inutilis ſim (ut vere ſum) mea functione, ut me per improbos hos tandem excutiat ex hac vocatione, ut poſſim fieri auditor & ovicula Chriſti ſub te fidiſſimo paſtore. Satagunt mei hoſtes, ſi quando alias, nunc vel maxime, ut me pellant, ſed ego doleo (quod quidem ad me ipſum attinet) illos tam nihil proficere, uti non illis pro gloria Dei ſui conatus tandem aliquando ſuccedant, & ſurroget dominus pro me claudo & ſurdo & miſero aliquem fortem & - - qui has Chriſti filii Dei iniurias de manibus horum vindicet gladio ſpiritus Dei. Quod equidem futurum tandem ſpero. Vicinus ille meus, de quo ſcribis, me nihil terret. Neque poterit tibi multum nocere, ut maxime conetur. Timeo ſuperbiam illum perdere. Sed feret iudicium ſuum. Vale. 11. Iulii. 1559.

P. S.

Vtinam Deus tandem liberet Victorinum & collegam noſtrum M. Andream, de quibus rogo, ut aliquid mihi ſignifices. Quid de Illyrico & ſchola illa & omnibus illis manipularibus fiat, quaeſo ut ſciam, curato vel per M. Sebaſtianum noſtrum, nam tu occupatior es. Weſtphalus clamat, illos captivos eſſe Pelagianos, & multa ſimilia. Audio, Sarcerium contra illos ſcribere accuſationem. Sed Dominus vivit.

XIX.

ALBERTVS HARDENBERGIVS PAVLO EBERO.

EGo apud amicos lateo. Nam ſingulis noctibus cogor expectare vim ſenatus, quam aperte etiam minati ſunt. Vxor nunc ad me miſit puerum nunciantem de Tabellario, qui in Phriſiam it. Is de butyro affert tua mandata, ſed nihil ego abs tua Reverentia literarum accepi, neque ille quicquam certi ſcit, quemadmodum uxor mihi adſcribit. Quod ſi quid tale abs te mandatum eſt, cura, ut bibliopola, Gerhardus Davemann literas abs te accipiat. In me enim nihil eſt neque vitae, neque ſpei. Iam hoc ipſa hora de me conſultatur aut necando, aut violenter pellendo. Epiſcopus ſe interpoſuit, ſed contemnitur. Tilemannus Heshuſius armat ſuis furiis ſenatum una cum aliis concionatoribus. Si hic Dei miraculo manſero, & ad me ſcripſeris de butyro, libenter faciam quod amici erit. Alioqui curabis hoc per Davemannum. Vale cum piis iſtic omnibus. Raptim ex latibulis meis die S. Ioannis Baptiſtae. 1560.

XX.

IOHANNI II. Electo Regi Hungariae Theologi Vitebergenſes

S. D.

SEreniſſime Rex & Princeps Illuſtriſſime: Accepimus & legimus Celſitudinis veſtrae literas cum debitae reverentiae ſignificatione, & Reverendos Viros Dominum Georgium Chriſtianum Decanum Capituli Cibinienſis, & Dominum Nicolaum Fuchſium man-

data

data Celſitudinis veſtrae & Eccleſiarum Saxonicarum in Tranſylvania exponentes, reverenter audivimus. Etſi autem dolemus Eccleſias inclyti regni Hungarici Dei beneficio mediocriter conſtitutas, & vocem doctrinae coeleſtis incorruptam ſonantes, turbari ac diſtrahi intempeſtivis & pernicioſis de Coena Domini certaminibus ac disſenſionibus: Tamen cum & Celſitudinis veſtrae & praecipuorum in Tranſylvania paſtorum pietatem ac ſtudium ſerium in tollendo ſeu ſopiendo diſſidio illo horribili intellexiſſemus: bene ſperare de Eccleſiis inclyti regni veſtri cepimus. Cumque conſilium Celſitudinis veſtrae probemus, quod re legitime diiudicata ac cognita, conſenſum pium Celſitudo veſtra conſtituere conatur, eaque in re Celſitudo veſtra noſtra quoque qualicunque ſententia ſe adiutum iri ſperet: Non gravatim petitioni Celſitudinis veſtrae piiſſimae & honeſtiſſimae obſequi volumus. Et quamque imbecillitatem noſtram intelligamus, nec doctrinae aut conſilii tantum nobis tribuamus, quantum vel magnitudo rei poſtulat, vel Celſitudinem veſtram requirere atque expectare a nobis videtur: Tamen cum ſciamus ſcriptum eſſe: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, & utrinque meminerimus praeceptum eſſe divinitus, ut rationem reddamus eius, quae in nobis eſt ſpei omni poſcenti nos: & ut mutua quaſi collatione ſententiarum in diſſidiis publicis pii ſeſe erudiant & confirment: Confeſſionem & iudicium ſimul noſtrum de ſententia Eccleſiarum Saxonicarum, quanta potuimus ſimplicitate ac perſpicuitate recitavimus in ſcripto, quod Paſtoribus Eccleſiarum Saxonicarum in Tranſylvania miſimus, cuius exemplum noſtris ſubſcriptionibus munitum ſimul Celſitudini veſtrae adiunctam huic epiſtolae cum debita ſubiectione mittimus. Hanc noſtram confeſſionem ſi Celſitudo veſtra iudicabit conſentaneam eſſe voci divinitus traditae, & conſenſui Eccleſiae verae: Reverenter oramus, ut Celſitudo veſtra Paſtores Eccleſiarum Saxonicarum idem nobiſcum ſentientes ac docentes, patrocinio ſuo tueri, & tegere non dedignetur. Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in Ieſaia de regibus inquit conſolans Eccleſiam: Erunt Reges nutritores tui, & reginae nutrices, ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: ſervet clementer Celſitudinem veſtram incolumem ac ſalvam ad omnem poſteri-

ſteritatem, & conſilia ac gubernationem Celſitudinis veſtrae ita regat, ut in numero eorum Celſitudo veſtra recenſeatur, qui pii & iuſti Eccleſiarum Patroni inde usque ab initio fuerunt: Faciat denique ut Celſitudo veſtra ſit vas miſericordiae ſalutare animae veſtrae, & inclyti regni populis. Nos quoque & ſtudia noſtra, & obſequia Celſitudini veſtrae reverenter deferimus, ac commendamus. Bene ac foeliciter Celſitudo Veſtra valeat. Datae Vuitebergae Anno M. D. LXI. die ultimo Novembris dicato memoriae Sancti Andreae Apoſtoli, quo die ante annos 134. natus eſt potentiſſimus & fortiſſimus Heros CASIMIRVS Iagellonis filius rex Poloniae, Celſitudinis veſtrae proavus maternus, qui cum fratri Vladislao interfecto in funeſta pugna commiſſa ad Varnam ſucceſſiſſet, Regnum Poloniae ampliavit, & res magnas geſſit.

C. V.

humiles miniſtri

Decanus & Collegae profeſſionis Theologicae in Academia Wittebergenſi

Paulus Crellius, D.
Georgius Maior, D.
Paulus Eberus, Paſtor eccleſiae Witteb. D.

XXI.

FLACIVS EBERHARDO A THANN, Ducum Saxoniae Conſiliario.

QVantopere abhorream ab inimicitiis, contentionibus ac litibus, praeſertim cum collegis, credo abunde oſtendiſſe meas cum Victorino actiones, qui cum integro biennio contra me atrociter declamitaverit, hic, & porro per totam Germaniam me infamaverit, ut architectum novae Theologiae, omnes ſtudioſos & Cives in me inflammaverit, & tandem pene ſeditionem contra me excitaverit: Tamen nunquam eius poenam, ſed tantum finem iniuriarum quaeſierim. Novit Dominus Cancellarius, quid cum eo in eius aedibus paulo ante litem in arce Ienenſi ſim locutus, me nempe tantum finem iniuriarum & veritatis conſervationem requi-

quirere, non poenas pro iniuriis flagitare. Eadem vero patientia, qua ipſius atroces calumnias publici boni cauſa tuli, toleravi etiam Doctoris Schröteri intolerabiles iniurias. Quas non volo ſingulas commemorare, tantum quasdam paucas & praecipuas recenſebo.

Statim initio ferme ſparſit de me in aula, quod invehar in alios Theologos, Schnepffium & Victorinum in publicis lectionibus, cum ego eos toto eo anno publicis laudibus celebraverim. Bis hic in ſolennibus conviviis, ubi plures menſae convivarum fuerunt, dixit clara voce, quod Illyricus ſit Schelm und Böſzwicht, & inſuper iuſſit duos Lectores mihi amicos, in Convivio ſedentes, ut irent, ac mihi indicarent, ſe id & dixiſſe & probaturum eſſe. Obſecro an non haec horrenda & non ferenda ſunt? Porro etiam innumeris vicibus paſſim iactavit, quod mea ſcripta ſint plena mendaciis & calumniis, e contra adverſarios veritatis praedicavit & celebravit. Quoties in Auſtria, Bohemia, Bavaria & Svevia peregrinatus eſt, ubicunque occaſio oblata eſt, cum magnatibus agere, foeda de me blateravit, quod ex fide digniſſimorum hominum litteris accepi.

Aliquoties aliquas epiſtolas Galli, & quorundam Auſtriacorum concionatorum, & aliorum de hiſce rebus miſi d. D. Petro, ac oravi, ut eas D. Cancellario monſtraret, credo eum aliquando feciſſe. Haec omnia prorſus horrenda maledicta & infamationes patienter toleravi, parcens Principi & publicae tranquillitati, conſulens etiam cauſae religionis, quam unam mihi ſemper apud Principes urgendam & promovendam eſſe ſtatui, ſperavi denique fore, ut aliquando tandem, illuſtratis religionis controverſiis, quas ago, conquieſceret. Verum nunc quoque in hac ſua praeſenti oberratione ſua ſolita maledicentia paſſim virulenter in me eſt debacchatus, nec in me tantum, ſed & in alios Theologos. Contra adverſarios veritatis, qui hic ſunt, magnifice extulit & depraeiudicavit. Plures fide dignorum epiſtolas hac de re habemus. Saepius cum nos pro ſuo more collaudavit, adiecit, ſe velle brevi diſputationem Aſtrologicam inſtituere, & Theologos Ienenſes, ut indoctos aſinos, & bonarum literarum hoſtes pro dignitate tractare & confundere. Quod etiam reipſa iam in aula fraudulenter imponendo Principi, & propoſitionum editionem impetrando facere eſt conatus.

Vnde apparet, quanti huius ſcholae concordiam & tranquillitatem faciat. Veriſimile quoque eſt, eum cum Peucero coniurationem aliquam habere, & in eius gratiam ſcholam hanc noſtram Aſtrologica diſputatione voluiſſe turbare. Nam hic nec gnarus eius ſcientiae aut impoſturae eſt, nec eius eſt profeſſionis, ſed ille Aſtrologiae artificem ſe eſſe profitetur. Iam quanta hinc mala ſequantur, tua humanitas diligenter expendat. Primum unius etiam infimae conditionis homuncionis infamatio horribile ſcelus eſt, & graviter etiam legibus punitur. Quid vero exiſtimandum eſt, de falſa infamatione docentis, idque ſacras litteras, quos imprimis, teſte Auguſtino, bonam famam habere propter alios eſt neceſſe? Secundo cogitate veſtram etiam, qui Conſiliarii atque Gubernatores eſtis, atque adeo etiam ipſius Principis infamiam. Si enim ipſius Celſitudo & vos adeo ſceleratos & facinoroſos homines pro Theologis in veſtra regione & academia habetis, & alitis, facile quisvis ratiocinatur, quid de vobis ſentiendum ſit. Huc accedit, quod ipſe diſerte ſaepe dictitavit, praeſertim in Auſtria, me impuliſſe Principem ad iniuſtam tyrannidem contra Victorinum, meque eius C. & ad alias multas iniurias impellere. Denique expendite triſtiſſima ſcandala: expendite veritatis labefactionem, & contumeliam nominis divini. Impoſſibile enim omnium iudicio videtur, eas cauſas eſſe bonas ac ſanctas, quas ſceleratus ac nefarius homo, ut ego ab iſto depingor, contra diverſas ſectas agit ac tuetur.

Creditur vero eius mendaciis tanto magis, quam Wittenbergenſibus, quia cogitant homines, cum ſit noſtri Principis medicus, meus collega, & nullas celebres & notas inimicitias mecum habeat, nihil tale eum dicturum fuiſſe, niſi nimis vera, certa ac plane notoria eſſent mea ſcelera.

Quare ne ego tantorum criminum ac ſcandalorum, quae iſte me infamando patrat, tacendo, & veluti ſilentio meo comprobando particeps fiam, volui ad tuam humanitatem, & Dominum Cancellarium, cui ea hanc epiſtolam monſtrabit, ſcribere ac orare, ut hominem cohibeatis. Sicut enim ſemper ab altero id tantum quaeſivi, ut modo deſinat me & veritatem laedere, ita peto, ut ab iſto ſacroſanctam promiſſionem iuramento confirmatam extorqueatis, quod

in

in poſterum me aliosque Theologos huius ſcholae penitus miſſos facere, & nulla in re laedere velit. Si promiſerit, nihil ulterius contra eum agam, niſi ut Deo iuſto iudici ac vindici iniurias mihi illatas commendem, qui eum procul dubio impunitum non relinquet.

Sin promittere ſancte non volet, neceſſe erit me, & ad illuſtriſſimum Principem meas querelas deferre, & tandem etiam publico ſcripto eius horrendas calumnias confutare. Si tamen quae notoria mea crimina novit, non deprecor, quo minus me coram Illuſtriſſimo Principe accuſet, modo aperte & legitime.

Non immerito Pſaltes queritur de lingua doloſa. Si quisquam alius eſt, qui fovet, animat & incitat, conſiliis & omnibus rationibus inſtruit & armat hic adverſarios veritatis, ipſe is eſt. Quoties hic agit, ſubinde aut Victorinus apud ipſum eſt, aut ille apud Victorinum. Nuper cum iam erat ei currus conſcendendus, ut Vinariam iret ad diſputationem, adhuc prius Schröterum adiit, procul dubio conſultaturus de rebus ſuis. Poteſt vero eum plurimum iuvare, ut qui totam aulam, & ipſos Principes perſcrutetur & exploret. Sin haec tantum inanis divinatio, ſi non ubique, quocunque venit, eius cauſam omnibus modis iuvat, eiusque innocentiam tuetur, & nos praegravat: ut dubium non ſit, quin ſicut eum alibi excuſat, ita rediens eum animet, illi applauſum multorum narret, & ne vobis aut veritati cedat hortetur. Quo iſta omnia commodo Eccleſiae ac ſcholae Illuſtriſſimi Principis & totius regionis ac veritatis fiant, non eſt difficile ſtatuere veſtrae prudentiae.

Atque haec iam tuae praeſtantiae de hiſce difficultatibus, & meis quoque calamitatibus ſcribere volui, non tantum meas miſerias dolens, ſed & publica damna lugens, ſi forte aliqua ratione hiſce malis proſpici queat, ne aeternas turbas ac ſeditiones hic habeamus. Satis, opinor, haec & priora mea facta eſſe magna exempla patientiae plus quam ſervilis aut etiam aſininae: nec tamen deerunt, qui me rixoſitatis ac contentioſitatis etiam iſtic accuſent, ac putent, ſeductores nobis hic, non tantum cum noſtra infamia, ſed etiam cum veritatis damno, tolerandos atque colendos eſſe. Paulus ſuo Tito praecipit, ne ſe contemni patiatur: ſed nos Satan ambigua cura circumvenit. Si non ferimus omnes falſorum fratrum contumelias &

maledicta, dicimur non tantum impatientes, ſed & rixoſi eſſe. Sin ferimus tacentes, creſcit noſtra infamia, & doctrina quoque, propter noſtra horrenda ſcelera, quae de nobis falſi fratres ſpargunt per orbem terrarum, male audit & contemnitur.

Dominus Ieſus adſit ſuae miſerae eccleſiae & pereunti veritati, Amen. Ienae 7. Septembr. Anno 1560.

XXII.
SIMON SCHARDIVS
WOLFFGANGO A KÖTERITZ,
Cancellario Vinarienſi. *

BInas tuas eodem die accepi, diverſis tamen temporibus ſcriptas, alteras nimirum VI. alteras XVI. ad earum utrasque breviter iam reſpondebo. Atque initio quidem ad Petrum quod attinet, quam ille contemtim pertinaciter & obſtinate erga Illuſtriſſimum Principem ſe geſſerit, de eo vel ex Illuſtriſſimi Principis, vel amicorum Petri litteris, hic pro proceſſibus ſollicitantium, nihil hactenus cognoſcere potui. Niſi id forte delictum ſit, quod, contra privilegium Saxonicum, ad Caeſaream Maieſtatem appellarit, & promotoriales hic in Camera impetrarit, quorum utrumque nullatenus iſtam diuturnam confinitionem, & raptationem in loca diverſa meruiſſe videtur. Nam violatio privilegii poenam continet, cuius iudicium ad Cameram ſpectat, & promotoriales iuxta ordinationem imperii decretae: quibus inſinuatis intra terminum praefixum iudices nominandi fuiſſent. Id vero cum omiſſum fuerit, non video, an amici Petri ſuper denegata iuſtitia conquerentes, ac pro ulterioribus proceſſibus ſollicitantes culpari queant. Cuperem vero ex animo cum cauſa Illuſtriſſimi Principis, tum tua & aliorum rem eo deduci, ne huc cauſae cognitio perveniret: id quod futurum vereor. Id vero non cavebitis, ſcribendo ad iudicem, ut hactenus feciſtis; ſed cogitando de mediis, quibus irritatum Petrum placetis. Factum id fuit antea ſub Iohanne Friderico captivo, intercedentibus Hennebergico & medio Rutheno Plavvenſi: idem forte fieri poſſet & hoc tempore, iis adhibitis, qui utrique parti grati eſſent. Cauſa ad Cameram veniente,

* *Conf. catalogum MSS. cap. II. num. 43.*

niente, amici Petri, qui iniurias illi illatas perſequi cogitant, ea revelabunt, quae non quidem ulla Principis ignominia, ſed multorum aliorum coniuncta erunt. A qua inter alios Te eximi cuperem, de quo nonnulli minime dicere ac ſcribere verentur, Pontanum Cancellarium, iudicio totius provinciae ſanctum prae te, ac aliis quibusdam fuiſſe. Haec ego cum audio, lego atque cognoſco, cor meum intra me coaceſcit, & renes mei compunguntur, ut cum Davide loquar. Nec vero hiſce diffamationibus commoverer, quod ſciam in plerisque te culpa vacare, niſi & aliorum ſermones & praeſtigiae accederent. Fuere etenim hic ante menſes duos conſiliarii quorundam Principum, neſcio ad quas cauſas tranſigendas ablegati, qui tui mentione facta, de provincialium querelis contra te, ea retulere, ut affirmarent, te diviſione facta eo in loco fore, quo iam Petrus eſſet, te iniurias Petro illatas luituro, ut ipſe hactenus Victorino factas Leuchtenbergi dependeret. Hiſce ſimilia adiungere poſſem, niſi ab affinibus meis Auguſta ſcripta, & aliunde, qui, cum ſciant inter nos amicitiam eſſe, me hortati fuere, vel ut ei renuntiarem, vel te calamitatis futurae, niſi a violentis & polypragmonicis (ut ipſi vocarunt) actionibus in poſterum, & oppreſſione provincialium abſtineres. Non feciſſem haec, niſi, id ut facerem, rogaſſes, atque te oro, ut haec ita accipias, non, quod te pro tali homine habeam, ſed ut vulgi & iniquorum diffamationes, quoad fieri poteſt, declinare cogites, nec malignis tui ſuggillandi nominis occaſionem praebeas. Ego pro veteri noſtra neceſſitudine ex animo tibi faveo, atque, ut haec non alio, quam ex amico animo profecta in meliorem partem accipias, rogo. Petrum eius fortunae cum hic eſſet admonui, praedicens ei, quae poſtea propter rixas cum Theologis ei accidere, in praeſentia Doctoris Ionae: uterque me ei vatem fuiſſe teſtatur: Quaeſo & tu antequam iſtus ſis, recta monenti obtemperes: Petri confeſſionem, lite procedente, ſi nondum cognoviſti, cognoſces. De Mordero nihil eſt, quod tibi reſcribere queam: nam vix de Aſſeſſoratu eum cogitare exiſtimo: nec a toto tempore, quo nobiſcum fuit, vel γρῦ litterarum ab illo habui, ſed quae mihi conſtant, ex aliis intellexi. Quod etiam oblata auctione ſtipendii amplius inſervire noluerit, in cauſa eſſe credo ignominiam, illi a Veſtris Theologis

logis in publica concione factam; quam nemo famae ſtudioſus aequo animo feret. Habent illi ſtatuta publica, Vniverſitatis autoritate condita, in quae iuraverunt, a Petro conſcripta, horum interpretandorum poteſtas non ab ipſis, ut velle dicuntur, ſed a Principe dependet, & maxime iis, qui ipſis conſcribendis interfuere. Contra haec bonos in publico ſuggeſtu diffamari dolendum eſt. Totius negotii fatum ac ſeriem ignoro, ideo merito a iudicando ſuperſedere deberem, ſed cum illis ex unius litteris iudicare liceat, & mihi, aliisque idem facientibus condonabunt. Verum de hiſce iam ſatis libere. In locum abeuntis Morderi libenter de alio proſpicerem Illuſtriſſimo Principi & Academiae veſtrae, ſed illae crebrae confinitiones, excommunicationes & proſcriptiones, quae olim ſub Iohanne Friderico captivo cepere, & nunc ad inſtantiam Theologorum recrudeſcere dicuntur, omnes deterrent, quo minus ſeſe ludibrio exponere velint. Doleo rem eo veniſſe, verum in tuum ſinum effundere haec volo, ut videas, quid aſperitate ſua noſtri efficiant. Miſi vobis Brothagium, id nuper quidam meorum cum cognoviſſent, poſt lectam tragoediam, cum Petro habitam, acerrime mecum expoſtulare non dubitarunt, qui virum bonum & doctum eo promovere non veritus fuerim, quo ipſe in tanta licentia Theologorum ire minime vellem. Et ſane gratia, quam a Mordero retuli, exigua eſt, ita, ut niſi quis ſponte ſe offerat, ego nulli hortator, in hoc rerum ſtatu iſthuc eundi, eſſe in poſterum velim. Noviſti animum meum ſemper familiae Saxonicae addictiſſimum fuiſſe, & is idem, quoad vixero, erit, ſimulque, qua ratione potero, operam ac ſtudium meum ei declarabo. Caeterum cum hi, qui bene ei volunt, ab hoc hominum genere, cui ipſi propenſiſſimi fuere, tam ignominioſe & inhumane habentur, ut, quam habuere propenſionem, in alienationem commutare cogantur, dabis mihi veniam, ut, quod vellem, non praeſtem, nec etenim ego aliis ſuadere id poſſum, quod mihi ipſimet diſplicet. Deſiſtant Theologi ab acerbitate hactenus longo tempore uſurpata, & de ſanandis potius vulneribus Eccleſiae, quam adaugendis cogitent, erunt boni viri, qui illis ſeſe libenter ſint aggregaturi, aſperitate & vehementia neminem ad ſe allicient. Fateor me cauſam diviſionis rixis iſtorum tribuiſſe, in quo ſi erravi, erratum deprecabor.

bor. Etſi enim forte quid interceſſio Principum in ea effecerit, hoc tamen ſcio, cum publice in ſenatu imperii haec cauſa propoſita, & multis vehementiſſimis ſcriptis hinc inde ventilata fuit, (quorum conceptione Petrus non paruam invidiam in ſe tranſtulit,) plerosque Confeſſionis Auguſtanae eo reſpexiſſe, ut diviſione ducatus facta, & potentia Iohannis Wilhelmi imminuta, huic ſuſtentandi Theologos facultas adimeretur: maxime cum omnes indigniſſime ferrent, iniuriam Iacobo Andreae Vinariae, contra Principis voluntatem, ut fertur, illatam. Haec aliquoties a me Petro dicta, recordabitur haud dubie Thannus, multis legatis mihi dicentibus ſaepius ea, ob quae contra promiſſionem a Caeſare Iohanni Wilhelmo factam, liberis captivi proſpicere, quam Caeſareanae promiſſioni inſiſtere mallent. Favi hactenus veſtris Theologis, nec adhuc ab ipſis alienus ſum, ſed doctrinam eorum in omnibus amplector: aſperitatem vero, quae cum ipſis, tum Principi & aliis pernicioſa eſt, deteſtor, & manſuetudinem ac lenitatem Chriſtianam in ipſis deſidero. Non haec ſunt Theologis digna, quae cum Petro egere: bene de iſtis meritum, errantem amice potius corrigere, quam publice accuſare coram Conſiſtorio debuiſſent. Ipſe poſt Deum ſolus autor eorum revocationis extitit, ſcholam collapſam in melius reſtituit, Principi difficilimo tempore in gravisſimis cauſis affuit, eique magno multorum odio fideliter inſervivit. Nunc cum eo prolabantur, ut & eum, & alios loco moveant, & in necesſitates coniiciant, doctrinae eorum amicus, actionum autem improbator ero: donec quod cognovero, eos meliores, placidiores, manſuetiores, & erga bene meritos gratiores eſſe. Nam quod praetendunt, ob Manichaeiſmum a Petro ſe alienatos, iniuriam ei fieri ſcio, cum hic Illyrici ſententiam cum Iona damnaverit, non tamen in omnibus ſententiae Wigandi ſubſcribere voluerit. Invitus haec ſcribo, ſed quia tuis ſignificas litteris, aegre id te ferre, me fere in totum a Veſtris alienatum eſſe, breviter tibi animum meum aperire volui, ut non temere me quaedam in ipſis improbare intelligeres. Habeo eos pro bonis ac doctis: ſed una cum aliis pacis ſtudium, ac lenitatis amorem in iis deſidero, quae praecipit Paulus ad Galatas V. A te ut priorem voluntatem expecto, ſic tu vicisſim a me quolibet tempore

feres. Haec breviter ad tuas reſcribere volui, ſi quae forte liberiora inſunt, ne offendaris rogo, me ea ſcribente, quae deſideriis tuis congrua, & meae apertitudini conſona ſunt. Idque ubi factum eſſe intellexero, dabis mihi animum proinde ſignificandi ea, quae e re tua & aliorum eſſe videbuntur. De motibus Belgicis hic mira, quibus utinam ne Principes Germaniae implicentur. Copiae pedeſtres pro Albano conſcriptae huc indies tranſeunt, de equitatu vero nihil inauditur, niſi ab Ottingenſi Comite ac Lovvenſteinio colligatur: Papiſtis aſſerentibus, mox Evangelicum Principem fore, qui in veſtris partibus equitatum collecturus, Albano adducturus ſit: qui tamen is futurus ſit, ſuſpicari vel augurari non poſſumus. Quicunque tamen is ſit, non tam Evangelium ab ipſo quaeri, quam eius oppresſionem exiſtimamus: & det ei Deus praemium militiae ſecundum merita ſua. Alia quae hoc tempore ſignificem non habeo, niſi ut & d. a Thanna meis verbis ſalutes, & tuae honeſtisſimae coniugi fertilisſima quaeque preceris, ac una cum ipſis diutisſime rectisſimeque valeas. Datae raptim Spirae, in die Iohannis Baptiſtae 1572.

Poſt ſcripta.

Pro ſcriptis editis contra Illyricum, gratias tibi ago, eaque ubi perlegero, una cum litteris, d. Marbachio transmittam, die ab hinc tertio. Exercetur & concutitur ea ſchola non minoribus motibus, quam veſtra, Sturmio ipſum oppugnante, & diſceſſum minitante, illo vero ſe de omnibus purgare conante. Ita diabolus inteſtinis diſſenſionibus omnes ſcholas labefactare, & hoſpitia earum externa vi avertere conatur. Deus omnibus magiſtratibus oculos aperiat, ac inſidias Diaboli graſſantis reprimat.

XXIII.
KÖTERITZIVS
SIMONI SCHARDIO, Iurisconſulto & Aſſeſſori Spirenſi.

SAlutem a Filio Dei, cuius pasſionis omnes fideles oportet conformes fieri, non ſolum in perferendis calumniis, ſed denique in ipſa cruce baiulanda, crucifigimur autem cum Domino, ne cum

hoc

hoc mundo damnemur. Literae tuae, datae XXIV. Iunii acres ſane & acerbae videbantur prima fronte, propter clandeſtinas accuſationes ad te perlatas, ſed poſtquam intellexi, a te, noſtri amantiſſimo eſſe profectas, non modo eas non aegre tuli, ſed etiam gratiſſimae fuerunt. In cauſa haec ſunt: Petrus * movit litem Domino Gervaſio, Medico, de tigno iniuncto, ſtillicidio, feneſtris & latrina. Cum vero cauſa per Commiſſarios expediri non poſſet, audita eſt ab ipſo Principe, & Petro contumace, & praecedenti inſpectione locorum, & ſufficiente inquiſitione, decretum eſt contra Petrum, ut a praetenſis ſervitutibus abſtineret. Cum vero id facere recuſaret, & quidem ſcriptis contumelioſis renueret, cepit cauſam ſuam bombardis, & iactu lapidum agere, & opifices vicini arcere: quare pacem, a Principe utrique parti demandatam, petulanter violavit. Hanc comoediam praeceſſit contentio, quam habuit cum Theologis, quibus inſcio Principe poteſtatem ſcribendi & imprimendi adimere voluit, ſub praetextu Vice-Rectoratus. Cum autem aula hoc factum Petri non potuit probare, quippe quod aperte pugnaret cum ſtatutis Univerſitatis, coepit Petrus & aulam contumelioſe tractare, & invectivas ſpargere, praeſertim in Theologos, ut ex exemplo adiecto videre licet: Theologi vero placide cum eo egerunt, & ſua lenitate eum inſolentiorem reddiderunt, quod eventus poſtea teſtatus eſt, non tantum enim amicam collationem recuſavit, ſed etiam Conſiſtorio, ſcholae & eccleſiae eorum cauſa renunciavit, nec ad iuſſum Principis intereſſe amplius voluit, & vicinos Paſtores, & quosdam Magiſtros in Theologos concitavit, dimiſſionem ſui petens, aut illa negata, ſe tamen abiturum eſſe minatus eſt, mit dieſen trutzigen Worten, wolte man ihn nicht urleuben, mit ſeiner Greten im Hembde davon ziehen. Hac re intellecta Illuſtriſſimus Princeps noſter non parum contriſtatus eſt, videbat enim, quod eventurum eſſet, ſi Petrus cum multis ſecretis fugam faceret, corruptus fortasſis; aut ſi cauſa diviſionis, ab eo cepta & agitata, deſeretur, & alteri committenda

* *Petrus Prehm, Io. Guilielmi Vinarienſis cancellarius, cuius fata nimis parce memorant, qui de vitis Profeſſorum Ienenſium expoſuere. Non ignoramus, externis has Schardii Köteriziique epiſtolas nihil profuturas. Sed hiſtoriam ac iura domus Saxonicae tractantibus ſperamus non ingratas fore.*

tenda eſſet. Statuit igitur Princeps, Petrum in ſuum muſeum confiniendum eſſe, concesſa tamen licentia familiae eius, cum eo agendi pro necesſitate. Cum autem cautio in ſcriptis ab eo peteretur, ne inſcio Principe diſcederet, literas acciperet aut ablegaret, miſit talem, in qua vix nomine proprio dignatus eſt Principem nominare, adiectis praeterea falſis cauſis ſuae confinitionis, tandem in correctam formulam conſenſit. Verum immemor datae fidei, & cautionis, literas ſpargere, ſuos falſis narrationibus informare coepit, ut Principem, Conſiliarios & Theologos apud Caeſaream Maieſtatem, & Iudicium Camerae deformarent, quod ab ipſis incogitanter factum, minime autem probatum eſt. Poſtea accepta verisſima refutatione, a noſtro Principe transmiſſa Caeſari, amicis apologiam contumelioſam remiſit, ac in vulgus ſparſit, in qua Theologos, & me miris modis, ſed mendaciter diffamavit, poſſet autem ſi neceſſitas poſtularet, aut ille dignus eſſet, ad omnia obiecta facile reſponderi, ſed reſervantur haec ad proceſſum. Cum autem hoc famoſum ſcriptum ad Principem eſſet perlatum, & a Petro confeſſatum, Princeps non immerito coepit illud aegre moleſteque ferre, praeſertim propter ſecreta, quae immiſcuerat Petrus. Statuit Princeps, Petrum arctius & ſecretius confiniendum eſſe, ſed tamen in loco commodo & vicino, quod & factum eſt. Cum autem inciperet male valere, & medicis animae & corporis opus eſſe videretur, rurſus Ienam in arcem translatus, & a noſtro aulico Eccleſiaſte & Medico viſitatus, ſed non converſus, mediocriter vero curatus eſt, & nihil niſi minas, & iura ſua ſpirans & minitans, contemnens vero media pia & aequa ab Eberhardo Vicario propoſita, haeret igitur in eodem loco, & paſcitur ex ſua culina, & cuſtoditur in hypocauſto. Reverſo igitur Principe experietur pertinax Petrus ius & iuſtitiam, ex facto enim Petri ius orietur, non ex eius heteroclito capite & calumnioſo. Quod Petrus nobis minatur iudicium Camerae, non terret nos, ſcimus enim Petrum impiam cauſam acturum eſſe, nec nos obligatos eſſe, tam cito comparere: competunt enim nobis alia remedia, praeſertim cum privilegii, de non deferendo appellationi, interpretatio, (ſi qua opus eſſet,) ad ſolum Caeſarem pertineat, & poena violationis ad noſtrum Principem. Videat igitur Petrus, ne in-

incidat Scyllam, volens vitare Charybdin. Ambitio & vindicta eius coniuncta cum πολυπραγμοσύνῃ, tam notoria ſunt, quod nec Hennebergius, nec medius Ruthenus eius patrocinium ſuſcepturi videntur. Intelligunt enim eum datum eſſe in ſenſum reprobum, & factum contemptorem miniſterii, magiſtratus & bonorum virorum; & conari eum omnia pro lubitu agere, etiamſi coelum ruat. Vt autem hunc ſuum conceptum primatus eo maturius parturire, ac educare poſſet, ita temperavit ſtatuta ſcabinatus, ut ipſe ſemper teneret primas, & perciperet mediam partem ſportularum, & ut ea creſceret, tantum duos ſocios, nomine Lazarum Kolerum & Morderum admiſit, plures vero, niſi certis conditionibus, & quidem, ut uno atque altero anno gratuito praeſto eſſent, ferre noluit, quos rurſus pro ſuo favore retinere, aut ex malevolentia repudiare poſſet, & hac ratione effecit, quod iuſtitia totius Ducatus, tam in criminalibus, quam civilibus cauſis in ipſius & ſociorum duorum poteſtate ſita fuit, cum tamen ſaepius accidit, quod vix unus praeſens fuit, qui tamen nomine Scabinatus de iure reſpondit, aliis abſentibus & inconſultis, & habita eſt inter eos fides relationi unius: quam intolerabile vero, ac periculoſum onus hoc ſit territorio noſtro, & aliis Profeſſoribus iuris excluſis permoleſtum, & quam iniquum viſum ſit Principi, diutius Petri hunc dominatum ferre, facile intelligi poteſt. Reformata igitur ſunt ſtatuta Scabinatus, & decretum eſt, ut in poſterum omnes Profeſſores Iuris ſint Aſſeſſores Scabinatus, & participes laborum & ſportularum, & ut Ordinario inpoſterum cedat tantum una pars & dimidia, reliquae partes vero inter alios ex aequo dividerentur. Quam vero Petrus mirabilis, ambitioſus, avarus, & vindictae ſtudioſus, hanc neceſſariam & iuſtam reformationem aegre tulit, vix verbis efferri poteſt. Capita reformationis hiſce litteris adieci, ut iudicium de iis facias & mihi ſcribas. Quod Petrus gloriatur, ſe Principi in ſummis negotiis praeſto fuiſſe, ſcholam reformaſſe, &, neſcio quae, magnifica de ſe praedicat, in eo errat toto coelo. Nam haec omnia peracta fuerunt, priusquam Petrus Ienam venit. Reformatio vero eccleſiae, ſcholae & aulae ex conſilio Domini Vicarii noſtri Thanni profecta & facta eſt: cuius ſuaſu Theologi, Iuriſconſulti & Nobiles ad functiones publicas a Principe accerſiti ſunt, inter quos

&

& Petrus fuit, qui falſo nunc hanc praeclaram laudem ſibi vendicat, immemor dicti Iaſonis, quod occultator alienae laudis furi par ſit. Sic regnat peccatum originis in Petro illo, ut non tantum accidens in eo eſſe videatur, ſed ipſemet totus Petrus, ſeu ut ipſe perperam loquitur, ſubſtantia eius ſit illud peccatum, quia in eo manebit ſine fine, niſi poenitentiam egerit. Si aliquando diu fideliter inſervivit Principi noſtro, id quidem propter pactum & iuramentum aſſecurationis, (ut Iacobinus vocat,) factum eſt, ſed non ſemper voluntarie, & vix rogatus, & tamen amplum ſtipendium, largitionem IIIM. florenorum accepit, novit enim ſua magna facere, & alios emungere argento. Communiter correxit aliorum ſcripta, quaſi vero tam ingenioſum ſit, inventis aliquid addere, & ſua tantum praedicare, ſed tranſeant haec. Quod Pontanum diſſectum in quatuor partes provincia noſtra ſanctum pronuntiat, & mihi, & aliis quibusdam praefert, ac in publicum ſpargit, nihil magis cuperem, quam auctores ſcire, & coram audire, ut illis innocentiam meam demonſtrarem, & pudefacerem eos. Si quid adverſus me habent, cur non aperte mihi ſcribunt, dicuntve, aut ad Principem deferunt? Praeſertim cum ante triennium in conventu territorii iuſſi ſunt, ut aliquid in ſpecie contra me adferrent, aut a generali diffamatione abſtinerent, ſed conticuerunt omnes, & poſt concluſionem cauſae compellabant me praeſente Principe, Cancellarium laudabilem. Si conniverem ad quorundam iniquitates, laudarer fortasſis ab ipſis, ſed quid conſcientia mea, quid iuramentum valerent, ſi impiis vellem connivere, malo autem ab uno laudato viro laudari, quam a multis Cyclopibus & Harpyiis illis illaudatis praedicari. Abeant hi in malam crucem, ſi maledicere perrexerint, ego faciam opera meae vocationis, etiamſi calumniari non deſinant, erit tamen aliquando finis. Quinam Legati Principum affirmarunt, me, diviſione facta, iniurias Petro illatas in eodem loco luiturum eſſe? fac quaeſo, ut ſciam, ut intelligam, quinam tam fideles amici fuerint de mea ſalute ſolliciti, ut illis gratias agerem. Falſo me accuſant violentarum & polypragmonicarum actionum, & compresſionis provincialium, nihil enim in functione mea ago inſciis Principe, & Conſiliariis, aut quod pugnare videtur contra ius & aequitatem, cum propter mandatum

Dei,

Dei, tum propter iuramentum & conſcientiam meam. Ideoque non vereor omnium mearum actionum reddere rationem toties, quoties neceſſitas poſtulaverit, prodeant modo mei diffamatores in publicum, ſi illis libet, per me ſane licet, ita ut rem gratam mihi facturi ſint. Sed haec nova non ſunt, accidit enim mihi, quod Cicero omnibus, ſedentibus ad gubernacula rerumpublicarum, fore praedixit, quod nemo unquam ſine periculo, & capitis diſcrimine de rep. libere & recte ſentire potuit. Conſolatur autem me ordinaria vocatio, & quod ſciam, Deum hiſce preſſuris aliquando finem daturum eſſe, quae in hoc mundo ferendae ſunt. Ad Theologos quod attinet, diſplicet mihi culpatio tua, reprehendis enim eos, quos potius laudare debebas. Quis enim unquam in eccleſia Dei militavit fideliter, qui hoſtes eius non gladio verbi divini viriliter aggreſſus ſit, ac profligarit? ut videre licet ex ſacris litteris & hiſtoriis. Quod noſter D. Heshuſius Iacobum Andream publice refutavit, id propter graviſſimas cauſas factum eſt, nec amatur amplius ille Iacobellus, ne quidem ab iis, qui tamen putabant, eum circumgeſtare Angelum lucis. Inter caetera ſcribis, te ſcire, me in plerisque culpa vacare, quaeſo addas ea, quae mihi iure exprobrari queant, nam certe mihi ignota ſunt. Morderus ita cogitat de Aſſeſſoratu adipiſcendo, ut nullam aliam cauſam ſuae abitionis, quam illam allegare voluerit, ac ſaepius repetere: quod autem a Theologis publice e ſuggeſtu tactus ſit, de eo nobis plane nihil conſtat. Dominus Brothagen teſtabitur contrarium, quam tibi relatum eſt. Nam a Principe liberaliter, & a Theologis humaniter tractatur, praeſertim cum faciat officium ſuum, legendo fideliter. Noli igitur diffamatione falſa deterreri, ne alios bonos viros nobis accerſas & adiungas. Etſi enim res noſtrae non per omnia felices eſſe videntur, tamen certum eſt, veram confeſſionem religionis apud nos ſonare, lucere & multos alios illuſtres locos antecellere. Quam vero pium ſit, ſervire in tabernaculo Domini, & eſſe cuſtodem oſtii, pſalmiſta praeclare teſtatur. Scimus conatum quorundam, qui dum religionem noſtram puriſſimam infringere, & viros bonos in exilium extrudere non poſſent, auctores fuiſſe, quod id diviſione ducatus, & ſic diminutione patrimonii efficeretur. Sed Deus hoc conſilium non probavit, & tantum conceſ-

ſit nobis, ut etiam facta diviſione Theologos noſtros ſuſtentare facile poſſimus, fortaſſis Deus dabit, ut aliquando luceant nobis ſoles candidiores. Haec libere ad te reſcribere libuit, ut intelligeres, non ſolum commonefactiones tuas fuiſſe mihi gratas, ſed etiam ea, quae tibi relata ſunt de noſtra aula, & ſchola, & me, eſſe falſa, & me carere culpa. Rogo igitur te etiam atque etiam, ut me excuſatum habeas, & apud alios bonos viros excuſare velis, tibique certo certius perſuadere de me velis, me divina cooperante gratia nihil facturum, aut praetermiſſurum eſſe, quod non ad utilitatem eccleſiae, & tranquillitatem reip. maxime pertinere, & officium meum requirere videbitur.

Nova bellica tot ſparguntur apud nos, ut neſciatur, quaenam certa vel incerta haberi debeant, de eo vero conſtat, quod utrique parti exercitus conſcribuntur in Germania, idque veteri & diabolico more: apud multos enim non amplius in conſideratione ſunt nec cauſae, nec duces bellorum, ſed tantum habetur ratio ſtipendiorum & rapinarum. Quis tandem finis ſecuturus ſit, facile eſt divinare, ſed poſtrema tempora non ferunt meliora. Precabimur igitur ardentibus votis, ut Filius Dei ſuo celerrimo adventu liberet ſuos fideles a praeſentibus, & impendentibus malis, & nos in aeternam vitam collocare dignetur, Amen. Bene vale, & veterem amicitiam noſtram conſtanter ut retineas ac defendas rogo, nec ſinas te falſis delationibus a me tui amantiſſimo alienari. Ego viciſſim omni genere officiorum fatisfacere tibi cupio, & operam dabo, ut in me nihil deſiderare queas, quod ad implendum munus amicitiae pium ac neceſſarium eſſe videbitur. Mitto ea, quae apud nos recens edita ſunt. Rediit ad nos D. Marſtallerus, referens multa, quae tecum de Petro contulit. Iterum vale, & de omnibus, quantum per negotia licet, ad me liberrime reſcribe, ac in ſinum meum effunde. Hoc mihi tam iucundum & gratum erit, quam quod gratiſſimum. Datae Vinariae XXII. Iulii, A. M. D. LXXII.

XXIV.

XXIV.

BEZA IO. PISCATORI.

S. Quanto magis de tua ſalute fui ſolicitus, mi frater, tanto maiore cum laetitia cognovi non modo ſalvum te ex tantis periculis evaſiſſe, ſed etiam in ea ſtatione rurſus eſſe collocatum, in qua maximo cum Eccleſiae fructu verſari poſſis. Meas autem literas intercidiſſe moleſte fero: quibus tibi de tuis illis accuratiſſimis, & mihi longe gratiſſimis in meas annotationes animadverſionibus gratias agebam, hoc etiam a te petens, ut ſi modo tibi commodum eſſet, eadem diligentia in caeteris, quam ſeveriſſime expendendis, & eodem candore emaculandis uti pergeres. Neque enim quicquam eſt, in quo mihi magis gratificari poſſis, & ita ſum ego affectus, ut mea longe malim emendari quam laudari, in hoc unum videlicet intentus, ut magis ac magis ſplendens ille veritatis vultus eniteſcat. Tua igitur cum noſtris diligenter contuli, plurima ex tuis partim correxi, partim illuſtravi, quorum nihil ſum, ſi Deus ita volet, in editione ſequutura diſſimulaturus, ut qui tibi hoc nomine plura, quam caeteris amicis omnibus, debere me, non invitus profitear. Quod igitur prioribus illis meis feceram, iterum faciam, id eſt, pro hoc tuo maximo, & in Eccleſiam omnem, & in me privatim collato beneficio maximas tibi gratias ago, teque vehementer rogo, ut quamvis multum tibi iam debeam, plura etiam debere me patiaris. Bene vale, vir eximie & chariſſime frater: Dominus Ieſus Servator ille noſter tibi, ſanctisque laboribus tuis magis ac magis benedicat. Genevae 17. Decemb. 1584.

XXV.

BEZA PISCATORI.

S. Omnia tua, mi chariſſime frater, accepi, exceptis, quae παραλειπόμενα vocas, & quae minime velim vel intercepta fuiſſe, vel mihi periiſſe. Quantum vero tibi debeam, quod mea non tantum inſpicere, verum etiam tam accurate, ſimul & tam candide expendere ſuſtinueris, poſtrema, quae mox inchoabitur, editio cunctis teſtabitur, in qua plurimos locos abs te admonitus detraxi, adieci, illuſtravi. Nonnulla vero alicuius momenti, de quibus amplius in-

ter nos quaeri poſſe arbitror, ubi plane fuero ſtudiis meis reconciliatus, ad te perſcribere non gravabor. Nam toto ſuperiore & iſto pene menſe ex medicorum conſilio ab omni graviore commentatione abſtinui, ut valetudinis rationem haberem. Et tamen quid hodie videmus, quid audimus, quid expectare inpoſterum poſſumus, cur necem nobis producendam arbitremur? Omnes cis Ligerim Eccleſiae Gallicae iacent diſſipatae; caeterae valde laborant, ipſum Gallicum regnum malis perfidorum conſiliis ruit; plurimi tempeſtati cedunt, reliqui palantes, huc illuc diffugiunt. Quae ſit Belgicarum reliquiarum conditio, vides. In Scotia bellum aperte geritur. Angliam utinam ſervet Dominus. In his regionibus nutat civitatum concordia. Nos iam premit annonae caritas, &, niſi Dominus furentis Antichriſti & vicini principis conatus infregerit, aperto bello, proximo vere, petemur. Ego me ad extrema quoque perferenda comparo, & caeteros pro viribus adhortor. Tu preces tuas cum noſtris coniungito. Bene vale, Vir eximie & ſumme obſervande frater. D. Jeſus noſtri miſertus, idque propter nomen ſanctum ſuum faxit, ut per has medias tempeſtates ſuperatis ipſius virtute procellis omnibus in portum illum optatiſſimum brevi provehamur. Genevae 19. Decembris, 1585.

XXVI.
BEZA PISCATORI.

S. Tandem ad nos uſque pervenerunt illa tua, quae vocas, παραλειπόμενα, quae minime vellem, intercepta, & in quibus omnia vere tua perſpexi, id eſt pietatis, doctrinae, & candoris plena. His nominibus, quantum tibi debeam, teſtari, atque adeo praedicare nunquam deſinam. Subiicietur autem iſtud non tam meum, ſed noſtrum opus typographico praelo reverſis ex noſtris nundinis mercatoribus, & quo minus iam aliquatenus ſit excuſum, tum alia non pauca obſtiterunt, tum illud vel maxime, quod inter pacis vel belli expectationem anxii diu pependimus, ac ne nunc quidem ab hac cura & ſollicitudine prorſus liberi ſumus, uſque adeo nobis iratus merito Dominus longe lateque Satanae habenas laxavit. Sperare tamen paulatim audeo meliora. Sin minus, chartas, id eſt meam

novam

novam hanc ſupellectilem, iſtuc vel in viciniam mittere cogito, ut obſidionis incommodis, ſi Deus ſic volet, eximantur. De illis Hebraicis tuis, quae cuiusmodi, & quorſum eſſent ad me miſſa, initio non cognovi, tibi non ita pridem reſpondi. Ego is non ſum, qui poſſim de iſtis ita, ut fortaſſis exiſtimas, iudicare. Omnino vero mihi perſvaſi, valde depravatam eſſe Hebraearum literarum pronunciationem, praeſertim in eo, quod omnes illas 22 literas ſtatuant eſſe conſonantes, & gutturales, id eſt vocales, ſtatuant eſſe aſpiratas totidem, errore, auſim dicere, manifeſto, & certiſſimis rationibus refutato, huius etiam erroris poſt uſurpata puncta occaſione oſtenſa. Cuperem praeterea grammaticen aliquam Hebraeam ſcribi, quae paulo propius ad Latinae & Graecae linguae praecepta grammatica accederet, quod Hebraei grammatici ſtudio videntur evitaſſe, ut ſua Chriſtianos pro viribus celarent. Sed de his plura, quam voles, & ſi volet Dominus eam nobis quietis ſpeciem concedere, quae ad iſtas commentationes requiritur. In epiſtolae ad Romanos methodo, quatenus abs te diſſentiam, (praeſertim autem in eo diſſentio, quod quatuor iuſtificationis gratuitae partes conſtituam ſigillatim, ut mihi quidem videtur, a Paulo explicatas) velim, ut ex meis illis minore forma excuſis annotationibus cognoſcas; ſi quidem haec etiam noſtra digna exiſtimabis, quae amplius inſpicias. Nam ego quidem adhuc perſto in ſententia. Mihi vero nihil gratius accidere poſſit mutua & libera illa noſtra *συζητήσει*, quod ut tibi perſuadeas etiam atque etiam rogo. Bene vale, Vir eximie & chariſſime frater: D. Ieſus faxit, ut per has tempeſtates recto ſemper ſervato curſu in portum provehamur, tibi, tuisque laboribus cumulatiſſime benedicat. Genevae, 8. Martii, 1586.

Tuus Beza.

XXVII.

BEZA PISCATORI.

MI chariſſime frater, nihil mihi potuit gratius literis tuis accidere, quas Mompelgardo reverſus accepi. Paralipomena illa tua tandem accepi, de quibus, ut & de caeteris tuis ingentes tibi gratias ago. Totus in eo ſum, ut Stephanus noſter ſeſe ad hanc an-

notationum noſtrarum editionem tandem aliquando accingat, ex quibus faxo, ut quantum a te ſim adiutus, omnes intelligant. Si propius abeſſemus, non deſunt de quibus tecum libentisſime contulerim. Sed occaſionem tamen nullam iſtius συζητήσεως praetermittam. Totam noſtrae illius Mompelgardicae ludicrae potius collocutionis, quam ſeriae diſputationis ſummam, itidemque de rerum noſtrarum & Gallicarum ſtatu ex noſtris ad D. Olevianum noſtrum literis plenisſime cognoſces. Bene vale, mi frater, & nos vicisſim ἀγαπῶν κατέχε. Genevae, 28. Aprilis, 1586.

Tuus Beza.

XXVIII.

BEZA PISCATORI.

S. Gerardus ille Lobbectius ad nos usque non pervenit, ſed mihi literas tuas & Oliviani noſtri miſit, una cum iis, quae ipſi commiſeratis. Addidit illud etiam cuiusdam ſcriptum apocalypſin, de quibus idem mihi atque Oliviano noſtro videtur. Ad illud autem tuum examen quod attinet, etſi tibi non poſſum aſſentiri, & in priſtina mea ſententia magis ac magis confirmor, velim tamen tibi perſuadeas, nihil mihi gratius hoc tuo Chriſtiano candore & hac tua ſincera παῤῥησίᾳ accidere poſſe. Cur autem a te diſſentiam, & ad ſingulas tuas obiectiones quid reſpondendum mihi videatur, nunc quidem perſcribere mihi per occupationes plurimas, & maxime ſerias non licet: ſed Deo favente brevi curabo ut plenisſime cognoſcas. Interea vero meas quasdam theſes ad te mitto, quibus totum hoc argumentum ante biennium ſum complexus, & quibus fortaſſe perlectis in meam ſententiam tranſibis. De tuis illis Hebraicis eadem opera Cornelii noſtri iudicium ad te perſcribam, qui multo melius, quam ego de his rebus ſtatuere poteſt: Mihi quidem duo placent inprimis in praecipiendo, methodus videlicet, & brevitas, ſed ita, ut ſumme vitetur obſcuritas, quae plerunque ex nimis accurata & ſubtili ἀκριβείᾳ naſcitur. De pronuntiatione autem Hebraica quid ſentias, ſcire percupio, ac praeſertim an plures, quam gentes reliquae literas ab Hebreis mutuatae, habuerint conſonantes; ac non potius gutturales, perperam maximoque errore pro aſpiratis habitae, illis fue-

fuerint, ante repertum punctorum uſum, eae ipſae, quas vocales dicimus. Et de his quidem hactenus. De rebus autem Gallicis & noſtris velim ex meis ad D. Olivianum noſtrum cognoſcas. Bene vale, Vir eximie, & charisſime in Chriſto frater: Dominus Ieſus Servator ille noſter, vos iſtic ab Hiſpanica praeſertim tam vicina vobis rabie tueatur, & tibi, ac tuis laboribus magis ac magis benedicat. Genevae XXII. Auguſti 1586.

Tuus Beza manu, ſicuti vides, vacillante.

XXIX.

BEZA PISCATORI.

S. Quae nunc ad te mitto, Vir eximie, iam pridem & paulo poſt poſtremas tuas acceptas deſcripſeram, ſed ſaepius legi & relegi, ne forte me ipſum fallerem. Eſt enim haec quaeſtio maximi momenti, & tuo ac Domini Oleviani noſtri iudicio plurimum tribuo. Expenſis autem quam diligentiſſime & quam religioſiſſime fieri a nobis potuit veſtris argumentis omnibus, non modo tranſire in veſtram ſententiam non potui, ſed etiam in mea ſum ita confirmatus, ut in ea prorſus mihi perſeverandum eſſe exiſtimem & divinam illam ac abſolutiſſimam Pauli hac de re, ut & de praecipuis aliis Chriſtianae Religionis capitibus diſceptationem in epiſtola ad Romanos comprehenſam, penitus perturbari cenſeam, niſi in quatuor illas partes noſtrae in Chriſto iuſtificationis diſtribuatur. Si hac in re hallucinor, Deus novit, qui mihi ſuo tempore oculos aperiet. Te vero, mi frater, confido hac noſtra συζητήσει ſic uſurum, ut inde nihil emanet, quod offendiculi occaſionem cuiquam praebeat: neque dubito, quin ad haec mea conſideranda eundem Chriſtianum candorem ſis allaturus, quem in aliis adhibere conſvevisti, nec in me, uti ſpero, deſiderabis. Caeterum a Stephano noſtro tandem eſt impetratum, ut intra paucas ſeptimanas Annotationes illae meae maiores praelo ſubiiciantur, in quibus quantum animadverſionibus tuis debeam, minime diſſimulabo. Quod ad ſtatum huius civitatis & Eccleſiae attinet, praeterquam quod fames & vicini Principis inclementia & ambitio, Magiſtratum noſtrum invitiſſimum coëgit publicos in hac ſcho-

ſchola Profeſſores quinque ad tempus dimittere, unde ſecuta eſt ſcholae miſerabilis disſipatio, huc manifeſte tendunt & re ipſa comparantur omnia, ut Helvetia quoque mutuis vulneribus concidat, ſtrenuam hac in re operam navantibus quos inexplebilis avaritia & ambitio penitus excaecavit. Quae vero noſtra ſors in hac calamitate ſit futura, quum praecipue inter caeteros impetamur, qui tamen ſumus omnium infirmisſimi, novit ille a cuius providentia toti pendemus. Tu vero nos cum omnibus bonis perge precibus tuis adiuvare. Bene vale, Vir eximie & obſervande frater. Genevae 23. Martii, 1587.

XXX.

BEZA PISCATORI.

S. Vtinam, Vir eximie & obſervande frater, noſtrae illae copiae, ſi forte per viciniam veſtram tranſierunt, beatam veſtram quietem non interturbarint. Nos quod ad annonae caritatem attinet paulatim melius habemus. Peſtis quoque licet per noſtri Lacus oram univerſam deſaeviens, & in Sabaudiam uſque ac Pedemontem pervagata, levisſime nos adhuc perſtrinxit. Vicinus etſi neque praeſidia ex vicinis oppidis detraxit, neque transvehendi ad nos tritici interdictum palam abrogavit, mitius tamen nobiſcum agit quam ſolebat, qui niſi novi quippiam in nos re ipſa moliatur, decrevit noſter Senatus totam noſtram publicam ſcholam intra Kalendas Octobris inſtaurare. Ea res ut ſuccedat ex animi noſtri ſententia, velim ut nobiſcum etiam atque etiam Deum Opt. Max. preceris. In Gallia magni utrinque ſunt bellici apparatus, Navarreno ſeſe ad recipiendas auxiliares ſuas copias comparante: Rege vero, ut plerique magis ac magis affirmant, ſic noſtris partibus inimico, ut coniuratos minime velit eſſe ſuperiores. Hoc ipſo menſe duodecim nothorum Helvetiorum ſigna, quae tranſitum in Delphinatum, indeque in Occitaniam parabant, proxime Gratianopolim, vix tamen quadringentis caeſis, fuerunt ab hoſte profligata: Sed eo ipſe die Auguſti vero nona, & quod pene prodigii loco eſt, iis ipſis horis noſtri in interiore Delphinatu validisſimum oppidum Montelimardum non procul a Rhodani ripa, tribus ante diebus per proditionem ab hoſtibus interceptum

ceptum maxima cum ſtrage receperunt, caeſis vero ex acerrimo peditatu mille ducentis, ex equitatu vero praecipuae, tum Delphinatus, tum Provinciae, quam vocant, nobilitatis equitibus minimum trecentis, partim interfectis, partim captivis factis, Deo ſtragem illam Helveticam magno cum foenore compenſante. Quod utinam potius ſero ſaltem ſaperent Phryges. Sed quis hoc illis praeſtabit? Caeterum, mi frater, mitto ad te noſtrae ad Iacobum Andream reſponſionis exemplar, quod per ſummam temporis anguſtiam, ſimul a me αὐτοσχεδίως dictatum & typographo traditum, & ab eodem negligentiſſime excuſum, vix fore puto ut attingas ſine nauſea. Ego quidem certe nihil unquam magis invitus feci, quam ut hanc millies recoctam cramben tractarem, quod facile ex ipſo, quo ſum uſus, ſcribendi ſtylo, multis hyperbatis & interiectis parentheſibus, & iisdem millies inculcatis facile cognoſces. Sed quid agas? Hac moleſtia ſemel defungi me oportuit. Tu vero, ſat ſcio, pro tuo candore mihi facile haec omnia condonabis. Ad noſtram illam συζήτησιν quod attinet, ſpero futurum, ut ubi reſponſum meum ad te miſſum expenderis, comperias minime fuiſſe a me praetermiſſum, quod in poſtremis ad me tuis mihi ſignificaſti. *Sive autem in priſtina ſententia perſtes, ſive ſis in meam tranſiturus, quum in ipſius rei ſumma minime diſſentiamus, & neutra ſententia ab illo unico ſcopo noſtrae ſalutis vel tantillum aberret, nihil quicquam ea res de mutua illa noſtra ſumma coniunctione detrahet.* Proſtabunt in his nundinis amiciſſimi cuiusdam mei orationes apodeicticae ſex in epiſtolam ad Romanos, de quibus quid ſentias, ſcire prorſus exopto. Mihi quidem illae & propter infinitas καινοφωνίας, & propter tenebricoſiſſimam obſcuritatem valde diſplicuerunt, ac multo etiam magis quod veram ipſam doctrinam iuſtitia in nobis ipſis formaliter conſtituta pervertere & a fundamentis convellere videatur. Quod ego apud illum minime diſſimulavi, ſed hic quoque nimis illud eſſe verum comperi, ſuum cuique pulchrum, & illud, qui velit ingenio cedere, rarus erit. Certe plus ſatis eſt in Eccleſia contentionum, quibus ſedandis utinam omnes potius, quam novarum occaſionibus ſerendis ſtuderemus. Expecto fortaſſe, quid Annotationibus illis noſtris fiat, quarum emendationem maxima ex parte tibi debeo. Tandem a Stephano impetravi, ut praelo ſubiiceren-

cerentur: ſed lento progreſſu: quam tarditatem accelero quantum poſſum. Biblia noſtra Gallica magnum & laborioſiſſimum opus, hac, ut ſpero, hebdomade abſolvetur: ſed exemplarium diſtractionem licet magno cum noſtro damno (ſunt enim noſtri collegii in pauperum gratiam ſumptu excuſa) differre nos cogit quorundam librariorum improbitas. Quod ſupereſt, Vir eximie & obſervande frater, Deum Opt. Max. precor, ut te ſalvum conſervet, tibique & ſcholae tuae univerſae magis ac magis benedicat. Genevae 30. Auguſti 1587.

XXXI.
BEZA PISCATORI.

MI obſervande frater, cogit me quoque λακωνίζειν iſtius ad vos redeuntis tanta feſtinatio, ut vix mihi licuerit haec pauca dictare, nedum ut potuerim, ſicuti par erat, Illuſtris Domini Comitis Ludovici a Witgenſtein poſtremis literis reſpondere. Libros noſtros iſthic bona fide fuiſſe redditos gaudeo. Quod autem libellum carminum noſtrorum non accepiſti, factum eſt librarii noſtri culpa: Eorum unum exemplar iſtis adiunxi. Noſtras in Iobum commentationes coactus ſum abrumpere, quas tantiſper dum poſſim repetere, edam his nundinis meam amplam & operoſam in Eccleſiaſtem paraphraſin, abſoluturus poſtea, ſi Deus dederit, in Canticum Canticorum conciones, quibus duobus libris nullos arbitror eſſe in Bibliis obſcuriores, proſtabunt iisdem nundinis maiores illae noſtrae annotationes, in quibus quantum fuerim a te adiutus minime reticebo. De tuis in priorem illam partem reſponſionis meae obſervationibus, gratias ago, & idem a te in altera parte mihi abs te praeſtari velim, ſi potes, Tuas vero de contradictione theſes, logicus noſter negat Ariſtoteleis, quae ſola hic probantur, reſpondere. Generoſi Domini Comites ſalvi ad nos venerunt, Dei beneficio, quam commendatiſſimi tum magiſtratui noſtro, tum univerſo huius ſcholae collegio futuri. Bene vale, mi chariſſime frater; Dominus Ieſus tibi, tuisque laboribus magis ac magis benedicat. Genevae XXV. * Iulii, ** qui primus dies anni vitae meae ſeptuageſimi mihi illu-

* *In praefatione in Confeſſ. eſt 24. Iunii.*
** *An. 1588.*

illuxit. Tegat utinam Deus meus quod fuit, & quod futurum ſupereſt regat, pro ſingulari miſericordia ſua.

Tuus Beza, tremula, ſicuti vides, manu.

Huic epiſtolae haec ſubſcripſit Piſcator:

Ad D. Th. Bezam de menſe datarum ad ſe literarum falſo notato.

Sive error ſcribae eſt, ſive eſt dictantis: uterque
Rem praeſtitit gratam mihi.
Dictaſti, aut certe ſcripſit librarius errans,
Te menſe natum Iulio.
At quondam iuvenis ſcripſiſti (quod mage credo)
Te menſe natum (a.) Iunio.
Ergo error felix te nunc iuveneſcere monſtrat,
Qui menſe nunc ſis iunior.
Et quanquam (ut credo (b.) ſcribenti) ad iubila coeli
Magnis anhelas paſſibus:
Te tamen optarim iuveneſcere, dum tibi libri
Quas parturis, nati ſient.

XXXII.
BEZA PISCATORI.

SEditae ſunt tandem annotationes meae in novum Teſtamentum, ſed neque nitide, neque emendate, ſicuti oportuit; ſic ferente typographorum mala fide, cui obſiſtere nullo modo potui. Quantum autem hic me adiuveris praeter quam quod in epiſtolio ſum teſtatus, ſicuti gratum hominem decuit, praedicare nunquam deſino. Ago etiam tibi gratias de iis, quae ad me miſiſti, quamvis mihi non in omnibus probentur: Vt enim tecum agam eo ipſo ingenuo & Chriſtiano candore, quo tu apud me conſvevisti, ſicut exactam diligentiam vehementer laudo, ita vitandam arbitror nimium ſubtilem *ἀκρίβειαν*, quae in lectorum animis difficultates ſaepe gignit potius quam tollit. Expendam tamen illa preſſius, quod mihi facere ex animi ſententia nondum licuit, partim variis ac pene infini-

(a.) *Praefat. in Confeſſ.* (b.) *in epitaphio Oleviani.*

tis curis occupato, quas differre in aliud tempus nec potui, nec debui; partim perpetuo in illa mea orbitate moerore, ita me, quantumvis repugnantem, opprimente, ut pene nullus fuerim, ac tandem amicorum conſilio, & cohortationibus victus, de altero matrimonio ad vitandam ſolitudinem, & ſublevanda meae ſenectutis incommoda, cogitare fuerim coactus : Interea tamen excidit mihi ſcriptiuncula, brevis quidem illa, ſed graviſſimis de rebus; paraphraſis videlicet in Solomonis Eccleſiaſtem, quo libro nihil Chriſtianis omnibus magis neceſſarium, ſive proſperis, ſive adverſis in rebus, extare arbitror. Quid autem hic praeſtiterim meum, non eſt aeſtimare. Tu vero, pro tuo illo candore iudicabis. Bene vale, Vir eximie, & mihi multis nominibus obſervande frater. Genevae. 27. Auguſti 1588.

Carmina illa mea, quae tibi ſuperioribus nundinis reddita oportuit, confido fore, ut cum his literis itidemque mearum illarum annotationum & meae illius paraphraſis exemplari, accipias.

XXXIII.
BEZA PISCATORI.

S. Dum curo deſcribendas meas reſponſiones ad illa quae in utramque partem meae ad acta Mombergardenſis collationis annotaſti, mi frater, tria mihi occurrunt, de quibus pro mutuo amore noſtro & ea, qua inter nos uti ſolemus, ſyncera παῤῥησίᾳ te commonefactum volui. Vnum, quod manducandi & bibendi voces in Coenae Domini inſtitutione ad ſola ſymbola reſtringenda quaſi pro certo aſſeveras. Alterum, quod videris ipſum Chriſtum a communicatione excludere, quaſi ſola merita & beneficia Chriſti in verbo & ſacramentis percipiantur. Tertium, quod quaeſtionem de corporis & ſanguinis Chriſti praeſentia negas ad coenam Domini pertinere. “In his tribus, mi frater, omnes omnium Eccleſiarum “confeſſiones habebis adverſarias, & omnes orthodoxos habitos “ſcriptores poſt prima illa inter Lutherum & Zvvinglium certami“na, in quibus multa ſunt tenuiter & non ſatis recte dicta & ſcripta, “donec veritas apertius patefieret.„ Certe ſi omnino Vbiquitariorum

riorum craſſiorum Lutheranorum calumniae, quibus nos onerare non deſinunt, confirmarentur. Et non ignoras, quas iam controverſias in Eccleſia Bremenſi Naſo quidam excitarit. Liceat igitur dubitare, quaerere, rationes expendere: at iſta ſpargi ut vera, nec poſſunt profecto ſine gravisſimis motibus, nec, ut arbitror, debent. Itaque etſi non dubito, quin nihil minus cogites, quam dicere vel ſcribere, quo vel turbae novae exoriantur, vel veteribus fomentum iniiciatur, tamen officii mei eſſe duxi, mi optime frater, te obteſtari, ut pro tua prudentia tibi & aliis ab iſtis paradoxis diligenter caveas, & Eccleſiae pacis in his omnibus tractandis ſummam habeas rationem. Quae vero inter nos de his & aliis quaeſtionibus acta ſunt & agentur, cavebo diligenter, ne eliminentur, & cuiquam innoteſcant iſtorum, qui huiusmodi occaſiones altercationum venantur. Caetera curabo, ut proximis Argentinenſibus nundinis tuto ad te perferantur. Vides, quam ego tecum omnia familiariter. Idem a te expecto. Bene vale. D. Ieſus tibi tuisque laboribus magis ac magis benedicat. *

Vide, ſi placet, & expende Epiſtolam meam quintam, & ſexageſimam quintam.

XXXIV.

BEZA PISCATORI.

Spero meas poſtremas ante menſem circiter datas bona fide tibi fuiſſe redditas, nec tibi fuiſſe ingratas pro mutua illa, qua inter nos utimur, παῤῥησίᾳ. Mitto nunc autem ad te δευτέρας meas φροντίδας in ea, quae ad utramque partem meae ad Acta Colloquii Mompelgardenſis reſponſionis annotaras, quae tibi probatum iri confido, ſicut pergratum mihi fuit tuum iſtud in me ſtudium, ex quo ſaltem illud intelligo, quam caute & circumſpecte ſit de tantis rebus loquendum & ſcribendum. De utroque altero tuo ſcripto ad me miſſo, & tuis de Sacramentis theſibus brevi pluſculum otii nactus ad te perſcribam quid mihi videatur. Tantum nunc iſta mihi in mentem venerunt.

Chriſtum pro materia ſalutis noſtrae conſtituo, propterea quod &

* *Haec epiſtola an. 1588. ſcripta eſt.*

& in ipſo ut ſubiecto inhaerent & iuſtitia, cuius imputatione ſervamur, & vis illa nos ſanctificans: & ab ipſo nobis vere communicato & myſtice unito vita omnis ſpiritualis emanat, &glorioſa tandem illa immortalitas emanabit, ſicut in ipſo ab aeterno ad ſalutem praedeſtinati ſumus, ut non dubitem, quin ſine multorum offenſione non poſſit Chriſtus etiam ut Mediator, & in iis quae pro noſtra ſalute peregit, atque adeo etiam quatenus Homo eſt per ſe, inter cauſas duntaxat inſtrumentales numerari.

Nec illud etiam facile feretur niſi commoda interpretatione declaretur, quod in quaeſtione caeteroquin a te diligenter explicata *περὶ τοῦ ῥητοῦ* in verbis Coenae Domini dicis ipſum Chriſti corpus (quod etſi pro nobis in mortem traditum, tamen nunc non eſt nobis ſeorſim ab anima ſua conſiderandum, quum de ipſius efficacia quaeritur) in nos nihil agere nec in animas, nec in corpora noſtra: quod manifeſte videtur illa vitis parabola refelli, & eo quod caput noſtrum ſecundum eam certe naturam, qua nos contingit, particeps noſtrae carnis & ſangvinis factus, vocatur & eſt: unde ſpiritualis ille omnis ſenſus & motus in membra corporis eius, ex carne eius, & ex oſſibus eius facta myſterio illo magno myſticae concorporationis, cuius *σφραγὶς* eſt Coena Domini, derivatur.

Praeterea etſi verum eſt quaeſtionem de praeſentia corporis Chriſti in terris, directe ad inſtitutionem Coenae Domini non pertinere, & illa prorſus perſpicue per articulum Aſcenſionis in coelos, & Reverſionis e coelis definitur, illa tamen neceſſario incurrit in verborum Coenae Domini explicationem; non modo propter patrum etiam antiquiſſimorum hyperbolas, ex quibus male intellectis pro-“fluxit Conſubſtantiationis & Transſubſtantiationis dogma, ac tan-“dem quoque horrendum illud *βδέλυγμα*, verum etiam quod vix “fieri posſit, quin verba coenae legentibus, quibus iubemur ipſum “Chriſti corpus accipere & ſangvinem bibere, ſtatim illa quaeſtio “occurrat, aliquo hic opus eſſe praeſentiae modo, quum neque manu “accipi res posſit ſitu corporis abſens, nec fide prehendi, quod ſit “mentaliter, ut ita loquar, abſens.„ Huic autem decidendae quaeſtioni non omnis inficiatio praeſentiae ſatis appoſita eſt, quam qui initio huius controverſiae adverſariis oppoſuerunt, nihil ad eam ſe-

dandam

dandam promoverunt, ſed perſpicue ſimul & ſolide poſtea reſponſum eſt, explicata vocis praeſentiae homonymia. Duplicem enim eſſe modum, quo res omnes corporeae ſive incorporeae, atque adeo Deus ipſe nobis praeſens dicatur. Vnum quo ſitus localis ſignificatur, ſolis externis ſenſibus expoſitis proprius, ac praeſertim corporeis, qui nullo nunc modo Chriſti corpori conveniat in terris, ut qui verè vero ſuo organico corpore ſupra coelos aſcenderit, nec inde ſit ante ultimum illum diem reverſurus: alterum mentalem, quo fit, ut mens fidelis res omnes etiam futuras, necdum exiſtentes, non falſa quapiam imaginatione, ſed in verbo Dei & Sacramentis, non nude ſignificatas, ſed vere quoque ſibi promiſſas & praebitas ex pacto foederis apprehendit. Huius autem praeſentiae obiectum, iam inde a veteris foederis initio, ſanctis patribus fuit, & nobis eſt ſub novo foedere, & erit ad conſummationem uſque ſeculi. Humanitas etiam illa Filii Dei, tum in verbo, tum in Sacramentis, per fidem ſpirituali modo, & per Spiritus Sancti virtutem, nobis ad vitam aeternam, cum omnibus ipſius beneficiis, inſinuanda. Duplicem igitur eſſe Sacramentorum materiam, duplici organo, ſigna videlicet, corpori, res vero ſignificatas menti, propoſitam: unde id quoque conſequitur, hic etiam duplicem eſſe ſtatuendam tum praeſentiam, tum rerum praebitarum apprehenſionem, unam, ſignorum videlicet, quae ſitum corporeum declaret: alteram, quae mentis fidelis in verbo & ſacramentis intuitum ſignificet: ut quam vere ſigna ſitu corporis praeſentia, corporali modo percipiuntur, tam vere a mentibus, verae fidei quaſi manum ad menſam Domini adferentibus, res ſignificatae, id eſt Chriſtus ipſe cum ſuis beneficiis omnibus ſalvificis, ad aeternam vitam ſumatur. Sed de iſtis profecto multo plura quam ſcribere inſtituiſſem, quum hanc epiſtolam exordirer, quae ſic a te velim accipi, mi frater, non quaſi a magiſtro dictata, ſed ut ab eo qui tui ſit amantisſimus, tuaeque exiſtimationis ſtudioſisſimus. Et quum haec ſint omnium Orthodoxarum Eccleſiarum editis confesſionibus teſtata, & ab eruditisſimis aetatis noſtrae Theologis ſummo conſenſu tradita, rogo te, mi frater, per omnem illam charitatem, qua nos Chriſtus devinxit, ut etiam atque etiam caveas, ne vel in iſto argumento, vel aliis ullis in rebus haec ingenii, qua polles, acrimonia

in

in nimiam ἀκρίβειαν te abducat: quae inſignis eſt fraus Satanae, a quo nobis nunquam magis ſolicite cavendum, quam quum donis ipſis nobis divinitus conceſsis ad nos fallendos abutitur. Vides, mi frater, quam libere & ingenue viciſsim tecum agam, eodem tibi conceſſo apud me ſanctae libertatis iure, ut ex mutua iſta συζητήσει quam ampliſsimum fructum percipiamus. Bene vale, Vir eximie, & ſumme mihi obſervande. Dominus Ieſus Sanctis tuis laboribus magis ac magis benedicat. Genevae. 17. Decembris, 1588.

XXXV.

BEZA PISCATORI.

S. Binas illas tuas, mi frater, iam pridem, poſtremas autem tuas ad III. Decembris datas nudius quartus demum accepi. Confido vero meas interea tibi fuiſſe redditas, quas ſuperioribus Argentoratenſibus nundinis D. Doctori Lobetio tradendas curavi, ut inde tuto ad te perferrentur. Eſt enim mutua haec noſtra συζήτησις eiuſmodi, ut haec omnia minime velim in cuiusvis manus pervenire. Et tu quidem de me bene mereri, mi frater, non deſinis, quod etiam pretioſiſſimo illo aphoriſmorum munere quum publice teſtatum eſſe volueris, nec alia mihi concedatur habendae tibi gratiae ratio, ego viciſsim, quantum tibi debeam, profiteri nunquam deſinam. Percurri autem illos e veſtigio, in quibus tum res ipſae, tum perſpicuitas, & copioſa brevitas mihi ſummopere placuerunt: ſed illud pro mutua noſtra παῤῥησίᾳ apud te diſsimulare nequeo, mihi in iis non probari, primum de Coena Domini aphoriſmum, quod nulla prorſus facta mentione (*) κοινωνίας ipſius corporis & ſangvinis Domini, plane videaris in eorum tranſire ſententiam, qui pro re ſacramenti, non ipſum Chriſtum, ſed eius duntaxat merita & beneficia conſtituunt: quod dogma ipſis profecto ſacrae inſtitutionis verbis, & veterum omnium patrum ſcriptis, & omnium aetatis noſtrae Eccleſiarum confesſionibus, ne tranſſubſtantiatoribus quidem, neque conſubſtantiatoribus exceptis, repugnans, quum nemo ſaepius clarius,

(*) *Conſidera Aphoris. V. & X. & videbis me iſtius κοινωνίας mentionem feciſſe.* Haec adſcripſit Piſcator.

rius, vehementius oppugnarit, quam magnus ille Calvinus noſter, mirari certe ſatis nequeo, quînam, non modo in contrariam ſententiam tranſieris (ſi modo quid hic ſentias, ſatis aſſequor) verum etiam Calvini nomen huic opinioni praetexueris. Quum autem hac de re iam antea ſcripſerim, & te plane confidam ſolo cognoſcendae & tuendae veritatis ſtudio duci, atque adeo planiora haec eſſe exiſtimem, quam ut tu praeclaro ingenio praeditus diutius hic haerere poſſis, pluribus hac de re mihi non puto tecum eſſe agendum. Tantum illud addam, ut in D. Calvini ſcriptis diligenter obſerves Chriſtum ipſum, & noſtram cum illo ipſo & eius ſubſtantia ſpiritualem quidem, ſed veram unitionem, a meritorum & beneficiorum ipſius participatione, ut nunquam ſeparari, ita ſemper diſtingui; atque adeo contrarium illud dogma, diſertis & perſpicuis verbis, in prioris ad Corinthios epiſtolae capite undecimo, in haec Apoſtoli verba: HOC EST CORPVS MEVM, refelli. Quod igitur a te, mi frater, poſtremis meis literis hac de re petii, nunc rurſum peto per illam mutuam, qua nos Chriſtus ſecum devinxit, charitatem, ut diligentius hac de re cogites. Et quum ſcias non deeſſe, qui quam prudentiſſime quoque ſcripta alio detorqueant, nec quicquam charius nobis eſſe debeat ſancta ὁμοφροσύνῃ, caveas etiam atque etiam, pro ea, qua te Deus ornavit, conſcientia & prudentia, ne quam inde novarum turbarum occaſionem Satan arripiat; quod te quoque ſedulo curaturum eſſe confido. De rebus Gallicis, ut paucis omnia, refert Gallia iuſtam tamdiu ſpreti Evangelii, & perpetuae in Chriſti membra ſevitiae mercedem, ut illo Rege & regno nihil ne fingi quidem posſit miſerabilius. Ad nos autem quod attinet, quo longius vicinus * noſter in illis ſuis incoeptis pergit, eo magis de pace deſpero in his regionibus ſervanda, quum nulla re magis ille quam noſtra, & vicinorum patientia, ad quidvis audendum abutatur. Quid ſit autem tandem ſequuturum, novit ille Dominus noſter Deus & Servator, à cuius bonitate & providentia toti pendemus. Bene vale, Vir eximie & frater ſumme obſervande, & mutuis nos precibus aſſidue iuva. Genevae 14. Februarii, 1589.

* *Sabaudus.*

XXXVI.

BEZA PISCATORI.

S. Paucis ante diebus, mi frater, ad ultimas tuas reſpondi, nec ab eo tempore quicquam nobis eſt e Gallia nuntiatum, quod noſtras quotidianas miſerias non augeat, de quibus ne cogitare quidem ſine maximo moerore poſſum. Ad haec accedunt illae nunquam ceſſantis vicini Principis machinationes tot & tantae, ut ne menſtruam quidem quietem auſim ſperare. Inde ſatis coniicere potes, quam deinceps ſcholam hic ſimus habituri. Ego in his turbis ſtationem meam pro viribus tueor. Meam in Iobum paraphraſin, non parvi certe laboris opus his nundinis abſolvere non potui. Meditor etiam aliquid accuratioris θεωρίας in prima Geneſeos capita: nec alibi ſolatium, quam in his noſtris literis, invenio. Tu vero, quaeſo, memineris me in hac ſenecta multo magis, quam unquam antea laborantem aſſiduis precibus adiuvare. Edidit noſter Sadeel hiſce nundinis duos de re ſacramentaria libellos, quos non dubito quin Francfurto accipias: & ſane velim eo abs te diligenter legi & expendi, propter illam praeſertim quaeſtionem, de qua poſtremis meis ad te binis ſcripſi. Vale, vir eximie, & mihi chariſſime frater. Dominus Ieſus tibi, ſanctisque tuis laboribus magis ac magis benedicat. Genevae. 4. Martii. 1589.

XXXVII.

BEZA PISCATORI.

S. Diu reſponſum iſtud diſtuli, frater plurimum obſervande, non quod deeſſet mihi iuſta & recta reſponſio, ſed veritus, ne forte literae meae oberrarent. De tuis ad me miſſis libellis magnam tibi gratiam habeo, & tuam in me benevolentiam in eo quoque agnoſco, quod aphoriſmos illos tuos mihi inſcribi voluiſti: quo beneficio abs te provocatus mitto ad te quale ego nunc quidem apud me habui ἀντίδωρον: meas videlicet qualescunque in Iobum commentationes: de quibus tantum abſum ab eo, ut παῤῥησίᾳ tua offenſus, quid tibi videatur intelligere recuſem, ut contra nihil mihi futurum

turum ſit gratius, quam mea recognoſci, ac, ſi ſit opus, a me ipſo corrigi ex doctiorum iudicio. Quod enim in extrema tua epiſtola ſcribis a Genevenſibus moleſte ferri noſtras illas συζητήσεις, unde tandem intellexeris ignoro; nec poſſum ipſe mihi vel leviſſima ſuſpicione verum id eſſe perſvadere, quod ſatis mihi ſit perſpectum collegarum meorum ingenium, neque hic cum quoquam de iſtis rebus contulerim. De D. vero Grynaei theſibus illis, teſtor tibi in Domino rem omnem ita ſe habere. "Scripſerat ad me familiariter, ſed ea, " qua uti ſolet magnus ille vir, modeſtia ac ſinceritate, nonnullis vi-" deri quaedam abs te a noſtris diverſa tradi in controverſia de iu-" ſtificatione, ideoque ſe diſputationem ea de re paucis perſpicuisque" theſibus explicatam editurum." Ego vero veritus, ne quid de te gravius ab aliquo accepiſſet, noſtra illa putavi cum illo communicanda, ex quibus rem totam intelligeret, ſed addita conditione, ut perlecta, & cum nemine prorſus communicata mox ad me remitteret: nec alio, ita me bene Deus amet, conſilio, quam ne quid hinc turbarum oriretur. Falleris igitur, mi frater, in eo quod exiſtimas meo inſtinctu quicquam a D. Grynaeo fuiſſe in iſta re factum aut ſcriptum, quum etiam illa diſputatio prius & habita & edita fuerit, quam illa noſtra D. Grynaeus a me accepiſſet, ut ipſe mihi poſtea reſcripſit, & dierum adſcriptio demonſtrat. De D. Tuſſani vero integritate, & animo abs te abalienato nihil mihi facile perſuaſerim, ſed illud quidem ſcio, tuam illam ἀκρίβειαν non quibusvis, ac ne mihi quidem" penitus probari, ut quae videatur iam nonnihil tum in rebus ipſis," tum in earum docendarum methodo & phraſibus nonnullis in ἰδιο-" γνωμοσύνην inclinare, tandem, niſi ſedulo caveris, in ἀυταρέσκειαν de-" generatura." Nec ignoras, opinor, D. Naſonem, hominem mihi alioqui non aliunde, quam ex magnis turbis in Eccleſia, in qua verſabatur, excitatis notum, errori illi ſuo graviſſimo nominis etiam tui auctoritatem, ſi ſatis vera ſunt, quae non obſcure feruntur, praetexuiſſe: Hanc opinionem non dubito, quin epitomes Calvinianae Inſtitutionis editio in nonnullorum animis confirmarit, in qua, ſicut aliis meis poſtremis tibi plenius ſignificavi, ipſiusmet Chriſti ſpiritualem illam κοινωνίαν parce admodum, ac ieiune attingis, quam tamen ipſe D. Calvinus urgere vehementer adverſus calumniatorum

iniurias conſuevit. "Deinde quis tibi facile conceſſerit quaeſtio-"nem de corporis Chriſti praeſentia nihil quicquam ad ſacrae coenae "inſtitutionis explicationem pertinere.„ Nec etiam facile omnes concoquent, niſi accurata explicatione addita, Chriſtum inſtrumentalibus cauſis annumerari, ut alia nonnulla λεπτολογήματα praeteream, quae, ut eſt aſtutus Satan, facile fuerit vel imperitis, vel improbis ſiniſtre accipere, & ad turbandas Eccleſias arripere. Neque vero mihi dubium eſt, quin mihi vere & recta conſcientia ſcripſeris nihil aliud abs te quaeri in hac ἀκριβέια, quam ut doctrinam coeleſtem, quam ſimpliciſſime, & quam maxime propriis verbis declares. Sed optime noſti in communi vitae uſu nobis non noſtrae tantum, ſed etiam alienae conſcientiae habendam rationem, & ad aedificationem eſſe omnia referenda. In ſingulorum igitur locorum ſcripturae expoſitione proferre ſane liceat iis, quorum munus eſt in Eccleſia docere, quod cuique loco maxime convenire exiſtimaverint, modo articulorum fidei analogia non violetur, Eccleſia vero diiudicet. At in ipſis dogmatibus, quum per Dei gratiam confeſſiones habeamus variarum gentium ab optimis & doctiſſimis Theologis editas de praecipuis Chriſtianae religionis capitibus, & tot eruditiſſimos ſcriptos libros habeamus, etſi in nullius verba iuravimus, ſit tamen nobis religio quidpiam facile in communiter receptis vel leviſſime innovare. Ne quid autem in alterutram partem, nempe vel tacendo, vel loquendo peccetur, velim quidem ego, ſicuti nunc per Dei gratiam "conſtitutas habemus Eccleſias, ſi quis rectius aliquid ſibi patefa-"ctum exiſtimaverit, cuius tamen novitas offendere nonnullos poſ-"ſit, priusquam in eo ſeſe vel alios plane confirmet, nedum ut pa-"lam iſtud non ut diiudicandum, ſed ut ab aliis approbandum pro-"ponat, collationem cum melioris notae Theologis in timore Do-"mini, & absque ulla αὐθαδέια inſtitui, tandem id ſequuturo quod "eſſe ex uſu Eccleſiae videbitur: quod ſi ante illius infelicis de Coena Domini controverſiae initia a magnis illis viris factum eſſet, aut inter illos iam tum fortaſſe conveniſſet, aut in hanc certe flammam hoc diſſidium non erupiſſet. Vt autem ita faciendum cenſeam, acuto praeſertim & ſubtili ingenio praeditis, ipſa facit experientia, quum hoc tibi ſancte poſſim affirmare, hoc meo qualicunque con-

conſilio non ſemel fuiſſe Eccleſiae paci conſultum: quod ſi abs te, mi chariſſime frater, impetraro, quoniam vel ſic ab aliis etiam erudiêris, vel alios quoque erudies, non modo ſiniſtras omnes iſtas ambitioſi vel contentioſi ingenii ſuſpiciones evitaris, (quibus maculis abſit, ut praeclara iſta dona contaminentur, quibus te Deus exornavit) verum etiam vere pacatam conſcientiam habebis, non tui ipſius duntaxat, ſed aliorum quoque iudicio innitentem. Et de his quidem hactenus, quae pro noſtra mutua παῤῥησίᾳ futurum confido, ut tam aequo animo accipias, quam illa ſincerus in te amor meus mihi ſuggeſſit. De rebus noſtris quartus iam agitur menſis & amplius, ex quo extorſit a nobis extrema neceſſitas, ut aperta vi tam diu nobis inſidiato Principi vicino, accedente quoque Regis Galli apud ſocios noſtros Bernenſes, & apud nos adverſus communem hoſtem ſollicitatione, obſiſteremus: in quo etſi nobis mirabiliter favit Dominus, illo non parva cum clade & ignominia a pauciſſimis noſtris quater repulſo: factum eſt tamen illius aſtu & malis quorundam conſiliis, quibus ſociorum noſtrorum copias eluſit, ut propter horrendam vicinae totius regionis vaſtationem, quae famem nobis in poſterum minatur, multo gravius nunc, quam unquam antea premamur, nec piorum fratrum aſſiduis precibus magis unquam indiguerit Geneva, quas ultro vos nobis impertituros non dubito, ut accuratiore nulla commendatione nobis ſit apud vos opus. Bene vale, vir eximie, & quod facis ſat ſcio, mutuo nos amare perge. Genevae 20. Auguſti. 1589.

XXXVIII.

BEZA PISCATORI.

S. Non dubito, mi frater, quin pro tua in nos benevolentia iſtic de rebus noſtris aſſidue cogites; & ſane veſtris & multorum ubique piorum hominum precibus acceptum ſecundum Deum ferimus, quod adhuc ſtat Geneva, ne nunc quidem ſub tanti annui iam belli onere fatiſcens, quantumvis per ſe penitus imbecilla, ſi cum hoſte tam potente conferatur, & a nonnullis, quos minime oportuit, veluti ſub cultro derelicta. Rerum autem tam admirabiliter hoc anno divinitus hic geſtarum narratio magnum pene volumen impleverit,

verit, & aliquando fortaſſis apparebit. Interea paucis hæc habeto. Hoſtem illa cum vicinis noſtris ſociis initae pacis ſpecies tam certa ſpe de nobis parvi temporis ſpatio vel expugnandis, vel ad quamvis deditionem compellendis impleverat, ut urbe validis hinc inde praeſidiis circumvallata quaſi triumphum iam canens trans ſuas Alpes ſeſe receperit. Sed aliter Deo & Servatori noſtro in coelis ſedenti viſum eſt, ita repente divinitus erectis & confirmatis paucisſimorum noſtrorum militum animis, ut hoſtem ſubinde ad ipſas urbis portas adventantem non modo magna cum caede aliquoties repulerint, verum etiam intra ſua munimenta, quae inexpugnabilia videri poterant, compulſum, partim ſumma vi captis etiam eorum tormentis, & aliquot adductis captivis trucidarint, partim ad deditionem arcibus illis mox penitus everſis adegerint. Immiſſis praeterea variis morbis Dominus illorum praedonum inaudita ſcelera tam acriter eſt ultus, ut abſumptis illorum plerisque, iampridem ſeſe, qui ſuperſunt, additis aliquot Italorum, qui ſupervenerunt, cohortibus, quam pertinaciſſime intra duo, quae illis ſuperſunt, propugnacula contineant. Interea nos nihilominus nulla dum ſpe conficiendi belli ſeſe offerente, vehementer excruciat totius circumiacentis regionis vaſtatio, & quod huius belli diuturnitas non modo civitatis aerarium, ſed etiam privatorum loculos ſic exhauſit funditus, ut, iſtis tolerandis ſumptibus, nedum maioribus colligendis copiis, quibus ad ſemel profligandum hoſtem nobis opus eſſet, pares nullo modo eſſe poſſimus. Hiſpanum autem quis ſibi merito perſuadeat genero ſuo defuturum? Pergimus tamen experta toties Dei providentia freti, & iuſtae noſtrae defenſionis bonitate, ac rectae conſcientiae teſtimonio; ad quae ſi ſeſe, quod ſperamus, adiungere perrexerint veſtrae & caeterorum piorum preces, nihil eſt quod ſperare non audeamus. Sed de his plus ſatis. Mitto autem ad te una cum iſtis, mi frater, alterius, quod iam pridem confectum credidi, rurſus autem malis quorundam conatibus renovati belli narrationem, quibus te aliquando ſpectatorem Heidelbergae fuiſſe opinor, ut iudex etiam in eo ſedere iam merito poſſis, reſponſum videlicet quoddam meum veteribus illis D. Eraſti theſibus, quae tunc manuſcriptae circumferebantur, iam tum oppoſitum, cuius editionem, quae & quanta neceſſi-

ceſſitas à me perinvito extorſerit, ex praefatione cognoſces. Quod ſi potuero abs te impetrare, ut meum etiam hoc ſcriptum qualecunque inſpicere paulo preſſius ac diligentius in re praeſertim tanti momenti ſuſtineas, pergratum mihi feceris, nedum ut tua illa παῤῥησία offendar. Et iſta quidem nunc habui, quae ad te perſcriberem, Deum precatus, ut te & vos iſtic omnes ſalvos tueri & conſervare in ſancta pace pergat, veſtrisque ſanctis laboribus magis ac magis benedicat. Bene vale. Genevae 23. Martii 1590.

XXXIX.
BEZA PISCATORI.

NOlui, mi frater, hanc ſalutandi tui occaſionem praetermittere, incertus, an meas Francfurto acceperis, una cum duplici ſcriptiuncula mea, prout noſtro typographo mandaram. Miram enim, ac pene incredibilem iſtorum hominum negligentiam, vel potius malam fidem, quotidie experior: & tu cognoſces certius quam velim, ſi legeris utrumque illud meum ſcriptum, cuius exemplar, una cum iſtis, ab hoc noſtro Goſvino accepiſſe te confido, homine quem ſcio nulla apud te commendatione indigere, ſed digno certe bonorum omnium amicitia. In noſtris autem illis diiudicandis, velim abs te eandem quam conſuevisti παῤῥησίαν praeſtari. Quid ſi vero, me, in hac veritate tuenda, velles ſublevare? Puto enim ad te quoque perveniſſe iſtorum gnathonum ſcripta. Operam certe bonam, & Eccleſiae paene neceſſariam praeſtares. Naſonem illum audio ad ingenium rediiſſe, quod falſum eſſe velim, & ipſius, & Eccleſiae, in primis, cauſa. De rebus noſtris pleniſſime poteris ex hoc noſtro cognoſcere, tantum hoc tibi nunc ſignifico, nos neque bonorum precibus magis indiguiſſe, neque apertius unquam expertos, & quotidie experiri, quae, & quanta ſit Dei Opt. Max. in ſuis conſervandis, & hoſtium conatibus infringendis, tum potentia, tum miſericordia & veritas. Bene vale, mi chariſſime frater, Dominus Ieſus tibi, tuisque ſanctis laboribus, totique veſtrae ſcholae, quam copioſiſſime benedicat. Genevae 16. Iunii 1593.

XL.

XL.

BEZA PISCATORI.

S. Tribus illis, quos tu mihi, mi frater, binis literis nuper commendaſti, nullo ſum officii genere defuturus. Hoc enim & ipſi merentur, & tua in me benevolentia poſtulat: qui tua mecum ſtudia tam benigne communicare pergas, & in mea quoque tam diligenter inquirere non graveris: quo utroque nomine plurimum debere me tibi profiteor. Quo minus autem paria tibi in tuis legendis referre potuerim, obſtitit, & adhuc obſtat, partim iſtud usque adeo laborioſum, & cum tot animi angoribus, hoc praeſertim calamitoſiſſimo tempore coniunctum munus, ut vix ipſe mihi, vel amicis vivam, nec certam ſtudiorum rationem ſervare poſſim: partim quod, etſi aliorum ſcripta ſic legere conſuevi, ut in nullius ſententiam iuratus, timide tamen ad cenſurae iudicium, niſi quum ſic neceſſario poſtulare mihi veritatis defenſio videtur, accedam, certae nimirum ſupellectilis mihi conſcius, & quod ſaepe videam nimiam & in ſuis aſſerendis, & in alienis arguendis ἀκρίβειαν in argutias parum ſolidas evadere: Ne tamen, vel tua contempſiſſe, vel amici officium neglexiſſe videri poſſim, tres illos tuos libellos eiusdem argumenti, quorum duos iam pridem, tertium vero cum tuis poſtremis accepi, diligenter & accurate, quandoquidem ita vis, favente Deo, legam & expendam, eadem qua tu apud me παῤῥησίᾳ uſurus. Ad tres autem locos illos quod attinet, in illo meo ad Saraviam reſponſo, abs te obſervatos, de primo ex pag. 95. ſic reſpondeo. Verum quidem eſt, quod ais fidem per ſe quoque, & in ſua ipſius natura conſideratam relate ad obiectum ad quod neceſſario fertur referri: ſed hoc nihil ad id de quo illic a me diſſeritur: ut qui nihil aliud ſignificare voluerim quam aliud eſſe fidem in ſeſe, & a ſuo cui inhaeret ſubiecto cogitatione abſtractam, quam quatenus ſuo ſubiecto inhaeret conſiderare; ſive de ipſa fide quam de fide praeditis agere, quod etiam mihi videor ſatis perſpicue ſignificaſſe. In altero autem loco pag. 132. non ſcripſi, ut tu putas, nullum Epiſcopum dici poſſe qui nullos habeat collegas quibus praeſit: ſed ſcripſi nullum Saraviae Epiſcopum (id eſt qualem Saravia vocat, & eſſe contendit Epiſcopum) dicendum eſſe qui nullos

nullos habeat collegas quibus praeſit, idque ea ipſa, qua me non intellectum, ratione, oppugnas: quoniam videlicet Epiſcopos vult Saravia dici, non tantum gregis, ſed etiam collegarum, ſive ſibi aſſidentium presbyterorum reſpectu. Tertio loco ex pag. 187. recte & merito me reprehendis qui articuli τοῖς ſitum non obſervarim, & pro τὸν Θεὸν ſim τȣ̃ Θεȣ̃ interpretatus, ſententia tamen ſcriptoris minime depravata. Et de his quidem hactenus. De rebus noſtris, etſi nos non proſtravit, nec de conſtantis animi gradu deiecit, tamen vehementer commovit illa tam repentina, & tam inexpectata Regis * illius mutatio, ſeu vera, quod Deus avertat, ſeu, quod adhuc arbitror, in ſpeciem, & ex carnis conſilio facta: utcunque tamen ſe res habeat, δύσφημος, & prorſus apud Deum & pios omnes ἀναπολόγητος. Nunc vero intentis in unius Dei potentiam, & εὐδοκίαν animis quid ſit tandem iſtas inducias, hac ipſa hebdomade, niſi prorogentur, deſituras, ſecuturum expectamus. Ego interea ſenſim ad metam contendo, a qua me non procul abeſſe quotidie ex multis indiciis coniicio. Tu vero me, mi frater, amare, cum hac tota Eccleſia, & ſchola, & aſſiduis precibus Optimo Maximo Deo noſtro commendare perge: ſicut viciſſim illum ex animo precor, ut illuſtriſſimam Naſſoviorum Principum gentem, & veſtram Eccleſiam, ac ſcholam, magis ac magis tueri, ornare, & inſignibus illis ſuis beneficiis omnibus amplificare, tibi denique, collegioque veſtro ſancto univerſo benedicere dignetur. Bene vale, vir eximie, & ſumme obſervande frater. Genevae 16. Octobris vetere calculo 1593.

XLI.
BEZA PISCATORI.

S. P. Is cui poſtremas tuas commendatitias literas commiſiſti, prius ad me non venit, quam ipſe ſibi & diſcipulis ſuis hoſpitem & hoſpitium eſſet nactus, & tertio demum poſt die illas mihi reddidit, commodiſſime tamen iſtud cecidit: ſunt enim apud collegam meum, qui & Gymnaſiarcha eſt, optime collocati; nec illos ego domi excipere ullo modo potuiſſem, paratus alioqui nihil non ipſis vel tuae unius commendationis cauſſa offerre & pro viribus praeſtare. De

I rebus

* *Henrici IV. in Gallia.*

rebus noſtris mirabiliter adhuc Dominus Genevam in his mediis tempeſtatibus, haud pene aliter in his induciis ſaepe iam repetitis, & rurſus brevi, ſicuti ſperamus, continuandis tuetur & fovet, quam ſi pax eſſet: in hoc tamen tam incerto ſtatu fieri non poteſt, quin ſingulis pene momentis occurrant, quae nos inter ſpem & metum ſuſpenſos, & anxios teneant, tantiſper dum Rex tandiu expectatus Lugdunum adveniat, omnia nobis ſerio pollicens, ſive pacem vicino noſtro conceſſurus, ſive illius iniurias bello ulturus. Tu vero, mi frater, & fratres iſtic omnes, pergite nos precibus asſiduis illi commendare, a cuius providentia & clementia toti profecto pendemus. In Gallia paulatim magis ac magis Regi ex animi ſententia res ſuccedunt, modo ne ipſius ad condonanda quaevis facilitate ſcelerati abutantur. Noſtri primum apud Montalbanum in Aquitania coacta nationali Eccleſiarum ſynodo, multo quam ſperabatur frequentiore, ac deinceps apud Santonum oppidum, quod a ſancta ſide nomen habet optimo, ut ſperatur, omine, repetito conventu in receptam confesſionem, & Eccleſiaſticae diſciplinae Canonas ſummo conſenſu rurſum iurarunt, misſisque ad Regem nonnullis teſtati de ſua perpetua in Regem ipſum debita ſubiectione, ſuoque in communi conſervanda pace ſtudio moderatam & aequam exercendae religionis libertatem ſibi concedi poſtularunt, quos a Rege & ipſius conſilio benigne auditos, & cum bona ſpe fuiſſe dimiſſos audio, quid ſit ſequuturum res ipſa oſtendit. Haec autem celare apud te nolui, ut rem hanc totam coniunctis precibus Optimo Maximo noſtro Deo, & Servatori noſtro magis ac magis commendemus. Bene vale, chariſsime frater, D. Ieſus tibi tuisque in ſancto ipſius opere laboribus quam cumulatisſime benedicat. Genevae decima quinta Decembris vetere calculo 1594.

XLII.

PISCATOR BEZAE.

Reverende & Clariſſ. Vir, frater plurimum obſervande. Literae tuae binae mihi redditae ſunt, & una cum poſterioribus etiam Reſponſio tua ad Obſervationes meas in Acta colloquii Mombel-

belgardenſis. Video pleraſque obſervationum iſtarum tibi non probari, & ἀκρίβειαν meam periculoſam tibi videri. Verum ut ὕστερον πρότερον reſpondeam, ἀκρίβεια illa mea non hoc agit, ut aliquid ſubtile & novum & ante hunc diem in Eccleſia Dei inauditum excogitem, atque ita ingenii laudem aut vanam eruditionis gloriolam captem: ſed ut doctrinam coeleſtem quam ſimplicisſime & quam maxime propriis verbis declarem atque explanem. In quibus vero quaeſtionibus a te diſſentio, itemque in quibus diſſentire tibi videor: earum explicationem quam breviſſimis verbis a me comprehenſam ad te mitto. Praeterea mitto exemplaria aliquot libellorum meorum, qui nuper apud nos excuſi ſunt: inter quos etiam eſt libellus Aphoriſmorum tibi inſcriptus, quia dubitabam, an exemplar illius, quod ante aliquot menſes cum literis ad te miſeram, tibi eſſet redditum. Verum enim vero duo miratus fui in literis tuis: unum, quod ſcribis, de utroque altero meo ſcripto (quorum ſcilicet unum directum eſt contra Gephyrandrum de Sacramentorum σχέσει, alterum contra Hofmannum de ſenſu verborum inſtitutionis coenae) de utroque inquam iſto ſcripto te pluſculum otii nactum ad me perſcripturum quid tibi videatur. Etenim his verbis innuere mihi videris, tibi iſta mea ſcripta non prorſus probari. Attamen ante annum literis hoc ipſo die ad me ſcriptis, tua manu haec verba inſcripſiſti: Scriptum illud tuum de quaeſtionibus inter Hofmannum & me controverſis valde probo. Miror igitur, ſi quod tunc valde tibi probatum fuit, nunc non item probetur. " Alterum quod miratus fui, eſt: quod " ſcribis, quae inter nos de huiusmodi quaeſtionibus acta ſunt & " agentur, te cauturum diligenter ne eliminentur, & cuiquam inno- " teſcant iſtorum, qui huiusmodi occaſiones altercationum venantur. " At nuper amicus quidam fide dignus certiorem me fecit, te eodem " tempore, quo diſputatio de imputatione obedientiae Chriſti Gry- " naeo propoſita fuit, literas meas una cum tua Reſponſione Geneva " illi miſiſſe: unde ei innotuerit, ſententiam illam mihi non probari. " Et certe res ipſa oſtendit, diſputationem illam Grynaei meis ſcriptis oppoſitam eſſe, quod ipſum quoque vir quidam praecipuae authoritatis Heidelberga ad me perſcripſit his verbis: Grynaeus, inquit, theſibus illis tuis alias Baſileae impreſſas, diſſimulato tamen nomine

tuo oppoſuit &c. Intelligit autem theſes, quas de hac quaeſtione ſcriptas communicavi cum Wolfgango Crellio, Paſtore Eccleſiae Sigenenſis. Vnde colligo, illarum exemplum Heidelbergam eſſe transmiſſum. Nam diſputationem illam Grynaeo a Toſſano fuiſſe propoſitam, idem ille amicus, cuius paulo ante mentionem feci, mihi ſignificavit. Grynaeus igitur inſtinctu Toſſani & ſuggeſtione tua diſputationem illam publice habuit. Nolim autem te ignorare, illuſtrem meum Dominum mihi dixiſſe, Wolfgangum Crellium iſtas meas theſes diſerte approbaſſe his verbis: "Des Piſcatoris Lehr iſt „richtig, id eſt, Piſcatoris doctrina eſt recta ſeu ſimplex & plana. „Praeterea ſignificatum mihi eſt, Genevenſes moleſte ferre, quod „virgulam cenſoriam mihi ſumam in ſcripta tua, cuius aetati & „eruditioni aliquid tribuendum cenſeant.„ Ego vero plurimum tibi tribuendum cenſeo, atque omnino tribuo: at virgulam cenſoriam in ſcripta tua mihi non ſumpſi: ſed quicquid de illis annotavi, tuo rogatu feci, ultro id minime facturus: ut qui natura minime πολυπράγμων ſim. Sed video, quid ſit: offendit illos ſimplicitas vel etiam ruſticitas orationis meae, vel certe ingenua illa παῤῥησία, qua uti conſuevi. Doleo ſiniſtre accipi, quod dextre a me prolatum eſt. Sed conſolatur me conſcientia recta: ut qui probe mihi conſcius ſum, me nihil aliud quaerere, quam gloriam Dei & aedificationem Eccleſiae. Deum oro, ut nos omnes regat ſuo Spiritu, ne quid vel contra ipſius veritatem, vel contra fraternam charitatem agamus; ſed ut in veritate coeleſti conſentientes, ſincera charitate nos mutuo ex animo complectamur. Amen. Herbornae 12. Martii 1589.

XLIII.

PISCATOR BEZAE.

S. Reverende & clariſſime Vir, ſcripſi hodie mane ad Dominum Anthonium Fayum: & ſignificavi ei, tempus non pati, ut ad tuas quoque literas ſimul reſpondeam. Sed quoniam hac veſpera iuvenis hic iuris ſtudioſus, qui haſce tibi reddit, me pro veteri notitia ſalutans, indicavit, ſe per vos in Galliam iturum, nolui hanc ad te ſcribendi occaſionem e manibus dimittere: quantumvis parum temporis mihi ad ſcribendum concedatur. Ac primum iucundum

mihi

mihi fuit cognoſcere ex literis tuis, duos illos adoleſcentes Danos, quos tibi commendaveram, ita ſe per hoc ſemeſtre apud vos geſſiſſe, ut honeſto teſtimonio abs te ſint ornati, atque inſuper alter eorum literas commendatitias ad illuſtrem meum Dominum a te impetrarit. Ad Rempublicam veſtram quod attinet, gratulor vobis hanc Magiſtratus veſtri benignitatem in ſchola veſtra conſervanda atque etiam, quantum poteſt, amplificanda. Nos quoque hic ſimili beneficentia Principis noſtri utimur, qui & ipſe non ita pridem novum profeſſorem, & quidem tum Mathematicarum diſciplinarum, tum hiſtoriarum caeteris adiecit. Inducias illas ab hoſte veſtro vel potius pacem vobis perpetuam exopto. Nos quidem hic pace adhuc fruimur: faxit Deus, ut id quam diutiſſime duret. Caeterum ut ad id, quod Epiſtolae tuae caput eſt accedam, videlicet ad ſententiam tuam de libellis Euchariſticis meis: ipſe quoque vehementer gaudeo te agnoſcere nos in doctrinae ſumma in Domino conſentire. Et quanquam non libenter diſquiſitionibus iſtis, quae ſpinoſae tibi videntur, moleſtiam tibi creo: tamen quoniam ſignificas te aequo animo pati poſſe, ut a me viciſſim admonearis: paucis ad ea, quae in meis tibi non probari ſignificas, reſpondebo: Si forte tibi hac reſponſione queat ſatisfieri. Inprimis autem perſuadeas tibi velim, me ea de quibus a te ſum admonitus, non alio animo accepiſſe, quam, quo ſentio, a te ſcripta eſſe, videlicet candido & veritatis amante. Interim tamen fateor nonnullas reprehenſiones nimis duras mihi viſas eſſe. “Qualis eſt illa ſtatim ab initio, cum ais: te ſemper to-“
tum ab illa Ramea tum in pervertendis logices regulis tum in ple-“
riſque ac fere omnibus ante hac uſitatis vocabulis innovandis au-“
dacia ſic abhorruiſſe, ut in eorum ſcriptis, qui ducem illum ſequun-“
tur, multa non ſatis intelligas, neque ſane de iis intelligendis ma-“
gnopere tibi laborandum putes. Ego vero de logica Ramea lon-“
ge aliter ſentio: & lucem veritatis, perſpicuitatis, ordinis & deni-“
que genuini diſſerendi uſus in illa agnoſco, ac proinde in meis qua-“
libuscunque ſcriptis ducem illam ſequi me non pudet nec poenitet:“
praeſertim cum intelligam hanc ſcribendi rationem non paucis, iisque doctis ac iudicio praeditis viris valde probari. Deinde improbas ſummam illam, ut ais, ſubtilitatem meam & *ἀκρίβειαν*. Ego vero

conſiderare te velim me illam ἀκρίϐειαν non ſponte conſectatum eſſe: ſed illius neceſſitatem ab adverſariis mihi eſſe allatam, quorum acute contorta ſophiſmata non niſi tali ἀκριϐείᾳ adhibita à me potuerunt diſſolvi. Atque hae ſunt reprehenſiones generales. Iam ad ſpeciales quod attinet, ais, te mirari fidem ad menſam Domini accedentium a me requiri ad ipſorum Sacramentorum integritatem, quae tuo quidem iudicio a Dei ordinatione & voluntate tota pendeat. Recte inquam: ſed hic conſiderandum tibi eſt, hac ipſa Dei ordinatione fidem communicantium ad perfectionem formae Sacramentorum requiri: quippe cum Deus ordinarit Sacramenta, ut de gratia ipſius teſtentur credentibus. Quare niſi quis credat, Sacramentum ei Sacramentum non erit: quippe cuius forma in illa relatione ad confirmandum communicantis fidem conſiſtit. Sed Sacramenta inquis ab uſu & fructu eorum diſtinguenda ſunt. Fateor. At interim nego uſum & fructum Sacramentorum eſſe ipſam fidem: & contra aio uſum & fructum Sacramentorum eſſe fidei confirmationem, qui tamen ipſe fructus, quatenus finis rationem ſuſcipit, ad quem Sacramenta ſunt ordinata, ad formam eorum pertinere mihi videtur: quippe cum Sacramenta eatenus Sacramenta ſint, quatenus ad finem, ad quem a Deo inſtituta ſunt, referuntur. Quod cum non faciant hypocritae: ſequitur Sacramenta illis Sacramenta non eſſe. At excipis: Niſi eſſent illis quoque integra praebita Sacramenta, rei non eſſent contempti & profanati corporis & ſanguinis Domini.

Hic non ſatis aſſequor, quid tu appelles integra Sacramenta, quantum tamen ex verbis ſequentibus poſſum coniicere, videris integra Sacramenta appellare ſigna ipſa & res ſignificatas cum illis ſuo modo coniunctas. Addis enim, ab hypocritis & ſigna & res ſignificatas per ἀπιςίαν reiici. Sed primum mihi non rectum videtur Sacramentum dicere, eſſe tale integrum ex ſignis & rebus ſignificatis, quomodocunque compoſitum, ſed Sacramenta ſunt ipſa ſigna: res autem ſignificatae non ſunt pars Sacramenti, ſed, ut Auguſtinus loquitur, res Sacramenti. Deinde ſi maxime concedatur integritatem Sacramentorum recte illa coniunctione ſignorum & rerum ſignificatarum tanquam partium ſive membrorum definiri: tamen cauſa profanati corporis & ſanguinis Domini in hypocritis non eſt,

quod

quod illi tam ſigna, quam res ſignificatas reiiciant, ſed quod ſigna non ut Sacramenta, id eſt teſtimonia gratiae Dei accipiant: quippe quae teſtimonia non niſi fide accipi poſſunt, qua illi deſtituuntur. Pergis & hoc ipſum confirmas exemplo Evangelii, quod non deſinat eſſe potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti etiamſi indigniſſimis & impiiſſimis annuntietur. At inquam ego etiamſi incredulis quoque audientibus Evangelium annunciatur, non tamen illis eſt potentia Dei ad ſalutem, quia id Apoſtolo teſte non eſt cuivis audienti, ſed cuivis credenti. Pari ergo ratione Sacramenta ſunt Sacramenta, id eſt teſtimonia gratiae Dei non cuivis accipienti, ſed tantum cuivis credenti. Iam ad metonymiam in praedicato a me conſtitutam quod attinet, ais, te mihi non aſſentiri. Nam inquis, quod panis dicitur eſſe ſignum hoc habet a metonymia: quod autem dicitur, eſſe ſignum corporis pro nobis traditi, hoc habet a praedicato. Ego vero non video, qua ratione iſta abs te inter ſe opponantur, metonymia inquam & praedicatum. Etenim quaeſtio eſt de ipſo praedicato, propriene an per metonymiam accipiendum ſit. Tu metonymiam eatenus concedis, quatenus panis ille euchariſticus dicitur eſſe ſignum. At inquam ego, cum panis euchariſticus dicitur eſſe corpus Chriſti, quod pro nobis eſt traditum, non intelligitur eſſe ſignum ἀορίςως cuiuscunque rei, ſed rei certae ac definitae, videlicet corporis Chriſti, quatenus illud pro nobis eſt traditum. His praeterea, appellationem ſigni & pani ut ſigno ſignificanti & ipſi corpori ut ſacramentaliter ſignificato ſimul & exhibito convenire. Quis vero tibi concedat ſigni appellationem convenire rei ſignificatae? Quis non hic videat manifeſtam relatorum confuſionem. Quod de copula tanquam σχέσεως inter ſubiectum & praedicatum moderatrice diſputas, addens illam hic ὑπαρκτικῶς & ἐσιωδῶς non accipi: mihi, quod pace tua dixerim, prorſus ἄλογα videntur. Etenim σχέσις, quae eſt inter ſubiectum & praedicatum cuiusvis enunciati non pendet a copula, ſed ab ipſamet rerum inter ſe comparatarum natura: copulae vero unicum officium eſt praedicatum cum ſubiecto copulare affirmando aut negando, quaecunque inter illa ſit σχέσις. Quare verbi EST quatenus quidem copulae vim habet non eſt fingenda varia ſignificatio, quaſi ſcilicet

ſnunc

nunc accipiatur ὑπαρκτικῶς & οὐσιωδῶς, nunc vero alio neſcio quo modo. Interim tamen conceſſero, verbum illud EST interdum accipi ὑπαρκτικῶς & οὐσιωδῶς, nempe in pronunciatis, quae reſpondentur ad quaeſtionem an ſit, ut Deus eſt, Angeli ſunt. Purgatorium non eſt, ſed tum verbum EST non habet vim copulae, ſed ipſum praedicati locum obtinet. Quare concluſio tua non procedet, cum infers, cum panis dicitur eſſe corpus, tunc verbum EST non aliter accipiendum, quam pro verbo SIGNIFICAT. Imo inquam ego, etiamſi illud pronunnciatum panis eſt corpus vere exponatur, per hoc panis ſignificat corpus; tamen hoc non inde fit, quod ipſa copula EST idem valeat, quod verbum SIGNIFICAT, ſed quod hoc enuntiatum aequipolleat illi, quo dicitur panis eſt ſignum corporis, id quod ex analyſi logica manifeſtum evadet conſideranti. Certum eſt enim in omni ſimplici ſeu categorico enunciato eſſe copulam verbi EST, ſive expreſſam, ſive in praedicato latentem. Quare cum latet Logice reſolvenda & exprimenda eſt. Quod ſi feceris in enunciato propoſito ſic erit dicendum: Panis ſignificat corpus, perinde eſt ac ſi diceretur: Panis eſt res ſignificans corpus: quod alias plane & uſitate dicitur, Eſt ſignum corporis. Quare vides opinor, ipſam copulam, Eſt non idem valere, quod ſignificat, ſed in illo verbo latere ſuamque vim retinere: ipſum autem illud verbum ad praedicatum enuntiati pertinere. Addis: viciſſim cum corpus dicitur eſſe panis ille (qua phraſi dicitur a Patribus comedi, conſumi, &c.) tum illud EST idem valere atque SIGNIFICATVR. At inquam ego phraſes illae patrum non recte ad illud enunciatum acommodari mihi videntur. Etenim patres illi dicunt de pane, quem per metonymiam corpus Chriſti appellant. Et vix puto quenquam ita locutum, ut diceret corpus Chriſti eſſe panem illum Euchariſticum, id eſt ab illo ſignificari. Praeterea admones diſcrimen eſſe ſervandum inter ſignificationem nudam & Sacramentalem, quarum hanc definis ſignificativam ſimul & exhibitivam. Sed quaero ego, quo ſenſu Sacramenta dicantur exhibitiva? Num quod aliquid exhibeant corpori, verbi gratia: manui aut ori? an vero quod exhibeant aliquid menti, idque ut teſtimonia divina: puto te affirmaturum hoc, non illud. Sed quid quaeſo exhibitio illa, quae mente fit, aliud eſt,

quam

quam ſignificatio? Denique cum eadem veritas manere tibi videatur ſive in praedicato ſive alibi metonymia ſtatuatur, putas non debuiſſe me hanc quaeſtionem cum adverſariis ita per minutias perſequi. Sed putavi ego ſtulto reſpondendum ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapere videretur. Alioquin ipſe quoque optarem, omnes in vera expoſitione illorum verborum, qua panis ille vel ſignum corporis eſſe vel ſignificare corpus dicitur, acquieſcere, ubicunque tandem metonymia illa ſedem ſuam habeat. Sed interim tamen, ſi res ita poſtulare videatur, non puto peccari a doctis, ſi docte & ex praeſcripto artis de talibus rebus diſſerant. Sequitur alia reprehenſio, qua ſignificas tibi diſplicere, quod exagitarim Bonaventuram, qui iſta enunciata, Deus eſt homo, Homo eſt Deus, inuſitata eſſe tradat. Reſpondeo breviter. Rem inuſitatam & ſingularem eſſe fateor: ipſum vero loquendi modum uſitatum mihi videri dico. Cum enim dicitur, Deus eſt homo, per vocabulum Deus intelligitur Chriſtus per Synecdochen generis, qui tropus uſitatus eſt. Porro cum de Chriſto affirmatur, quod ſit homo, praedicatur Species de individuo, qui modus praedicandi uſitatus eſt. In hac explicatione nihil Eutychianum eſt, ſed ſimplex & plana & orthodoxa eſt. Haec habui, quae pro temporis ad ſcribendum mihi conceſſi brevitate ad Epiſtolam tuam reſponderem. Oro te atque obteſtor, ut & ipſe eodem animo atque affectu ea excipias, quo ſunt a me tibi perſcripta, nimirum ſincero, candido & veritatis ac tui amantiſſimo. Interim facile patior, ut diſquiſitionibus iſtis, quae ſpinoſae tibi videntur, neglectis, ea, quae ex verbo Dei de ſacro hoc myſterio longo iam tempore ad veram conſolationem pertinentia & didiciſti & docuiſti, ea ad uſum emigrationis tuae, ut ſcribis, referas. Id quod inprimis conſecuturum te exiſtimo, ſi conſideres corpus Domini, quemadmodum ipſe ſcribis, ut coeleſtem alimoniam nobis proponi: ſique illud ſimul conſiderare non negliges, corpus Domini coeleſtem alimoniam effectum nobis eſſe, quatenus in cruce pro nobis datum atque fractum eſt: ſicut Calvinus noſter in ſua inſtitutione, ut meminiſſe potes, ex 6. capite Iohannis pulchre docet. Vale in Domino, reverende & Clariſſ. Vir, frater in Chriſto plurimum mihi obſervande, una cum ſymmyſtis tuis. Herbornae 25. Martii 1594.

XLIV.

Literae IO. PISCATORIS ad fratres de controverſia iuſtificationis. *

S. Reverende & clariſſime D. Beza. Certiorem me nuper fecit per per literas D. Doctor Toſſanus: redditas ſibi eſſe literas a te & D. Grynaeo, nec non ab amicis aliquot Argentinenſibus: quibus literis ſignificetur, non ſine offendiculo & piorum multorum dolore, fervida quaedam ingenia, inconſiderate & intempeſtive Tiguri & alibi lites movere de doctrina Iuſtificationis: & eo etiam nonnullos progredi, ut ipſas perſonas D. Bezae, D. Grynaei & aliorum multorum vellicent. Adhaec magno moerore vos affici narravit, quod non ſolum multos meo nomine & autoritate (neſcio qua) abutentes in hac controverſia, verum etiam ſchiſmata in Eccleſias invehere videatis. Nec parum vos mirari, quod foveamus hic & ad publicam profeſſionem admiſerimus Altenhovium, hominem ſcilicet erronem & plane meteorologum, ſummum item conviciatorem & ingratiſſimum inſectatorem patronorum & Maecenatum ſuorum & eorum, quos ipſe hactenus patrum & fratrum loco nobis habitos, crediderit: denique qui Bezam, Grynaeum, Toſſanum & tot alios fidos Eccleſiarum miniſtros pro haereticis habeat, quod totam Chriſti obedientiam nobis imputari credant. Tum huic narrationi querelam addidit: in qua me quoque tanquam participem, aut ſaltem approbatorem iſtiusmodi actionum involvit. Ac tandem me hortatur, ne illis faveam, qui fratres meos pedibus conculcant, Eccleſias lacerare ſtudent, & vos veteranos cum gemitu in foveam praecipitare ſatagunt. Haec D. Toſſanus in literis ſuis: quae animum meum valde perturbarunt. Etſi enim doctrinam de Iuſtificatione, quam illi propugnant, per conſcientiam non probare non poſſum: tamen talis agendi modus ſummopere mihi diſplicet. Fratres enim, praeſertim magnos viros, & de Eccleſia bene meritos (quales vos eſſe nemo candidus negare poteſt) non inimice, nec proterve: ſed reverenter & amice tractandos cenſeo. Itaque ad unum

&

* *In margine ſcripſit Piſcator:* Iisdem verbis, mutatis mutandis, ſcripſi ad D. Grynaeum.

&alterum (quos per D. Bernhardum Textorem, concionatorem aulicum generoſi Domini mei D. Toſſanus mihi nominavit) ſcribere ſtatui, eosque, quoad potero, in viam charitatis ac modeſtiae revocare. Ad Altenhovium vero quod attinet: quum intelligam me vobis ſuſpectum eſſe, quaſi ego illum mihi ſocium contra vos adſciverim: ſiniſtrae huic ſuſpicioni mature occurrendum exiſtimavi. Itaque hac potiſſimum de cauſa haſce literas ad te exaravi: ut me tibi contra ſiniſtram illam ſuſpicionem purgarem. Sancte igitur tibi affirmo: Altenhovium ſine meo conſilio aut ſuaſu, imo ſine meo ſcitu, ab illuſtri ac generoſo Domino meo in Profeſſorem ſcholae noſtrae receptum, & Apocalypſin ei explicandam commiſſam fuiſſe. Inſuper & hoc ſancte tibi affirmo: me toto illo tempore, quo iſte collega meus fuit, nihil plane conſiliorum contra vos cum illo tractaviſſe: imo vero aliquoties illum de ſuis vitiis, ac inprimis de αὐθαδείᾳ & iudicii perverſitate, libere admonuiſſe: quibus etiam vitiis actus ille, nuper ſe ipſe de ſtatione ſua petulanter evertit. Et gaudeo, me iſtius hominis converſatione liberatum eſſe: ut qui intempeſtive me interpellare & querelis ſuis importunis obtundere ſolitus fuit. Et eo magis gaudeo, quod ſentio, hac ratione materiam ſiniſtre de me propter illius praeſentiam ſuſpicandi ademtam vobis eſſe. Caeterum ad ipſam de Iuſtificatione inter nos controverſiam quod attinet: ego cenſeo non eſſe nobis committendum, ut nominatim alii contra alios ſcribamus, publice quidem: quum illa res triſte ſchiſma paritura eſſet, cuius author certe habendus erit is, qui primus iſtud fecerit. Interim liceat & nobis & vobis, ſuam cuique ſententiam libere profiteri: & ſcriptis quoque, abſque inſectatione tamen adverſariae partis, mandare. Res cum re certet: & iudicium permittatur piis omnibus, qui ſcripta noſtra legerint. Interim ſtudeamus mutuo retinere vinculum pacis: & ſi ex lectione adverſariorum ſcriptorum deprehenderimus, nos hallucinatos eſſe: ne pudeat nos ſententiam noſtram abiicere, & meliorem poſthac profiteri. Haec ſumma eſt ſententiae meae. Quod reſtat: Deum oro, ut nos omnes regat Spiritu ſuo: mentes noſtras magis ac magis luce veritatis ſuae illuſtret, & corda noſtra in dilectione tum ipſius tum fratrum confirmet: ad glo-

riam ſancti nominis ſui, & Eccleſiae ſuae aedificationem, Amen. Sigenae 17. Februar. 1596.

XLV.
CONRADVS VORST
PISCATORI.

S. Tametſi confido, Reverende & Clariſſ. D. Piſcator, te pro tua pietate & prudentia id, quod nuper a te petii, libenter facturum, h. e. nullas de me ſiniſtras ſuſpiciones temere ſparſurum: tamen, quia ſuperflua cautio non nocet, & ego quotidie multorum literis erudior, offendiculum ex illa noſtra diſputatione ortum eſſe; facere non potui, quin iterum obnixe te rogarem, ne facile mea ſcripta, quae tibi legenda & iudicanda aliisque tui ſimilibus mitto, cum quibusvis communices; nedum ut ex iis anſam male de me ſuſpicandi, aut damnatae alicuius haereſeos me incuſandi arripias. Scis enim, multa eſſe, de quibus docti inter ſe diſputare poſſunt, ſalva manente fidei compage. Scis etiam, eos eſſe huius ſeculi mores, ut omnes avidi ſint rerum novarum, plerique etiam praecipites in iudicando, pauciſſimi vero ad iudicandum de ſacris quaeſtionibus apti. Scis denique, facile poſſe boni viri exiſtimationem laedi, & periculum illi apud magiſtratum creari: & has fere eſſe Diaboli technas, quibus ingenuam veritatis inquiſitionem, & liberam illam δοκιμασίαν, qua nihil magis eſt neceſſarium in negotio religionis, impedire conatur. Quare quod tunc te oravi, idem nunc oro, ut fingas te meo loco eſſe, & eadem ratione, qua tecum, ſi hic eſſes, agi velles, mecum agere digneris. Ego pacis & concordiae retinendae cauſa promiſi Generoſo meo Comiti, me libenter illam diſputationem hactenus omiſſurum, quatenus non admodum curioſe inquiram rationem neceſſitatis & ſufficientiae ſatisfactionis Chriſti, contentus aſſertione illa generali, quae ſtatuit, fuiſſe ſatisfactionem Chriſti neceſſariam, & eandem eſſe omnibus poenis nobis ob peccata debitis aequipollentem imo praepollentem, denique eius fructum nobis contingere, cum primum vera fide (quae non poteſt eſſe absque effectu pietatis & ſeria a Deum converſione) prae-

praediti ſumus. Haec ego prolixe ex Auguſtino, Thoma, Muſculo, Calvino & aliis expoſui in Scripto quodam ad Dd. Theologos Heidelbergenſes, iuſſu Generoſi noſtri, exarato: ut conſenſum in hac parte inter nos colamus, relictis in medio quaeſtionibus illis Scholaſticis de neceſſitate ſatisfactionis vel abſoluta vel hypothetica, item de ratione plenae & perfectae ſatisfactionis Chriſti pro omnibus noſtris peccatis. Et propterea haec potiſſimum tibi, vir clariſſime, ſignificanda duxi, ut videas, omnem φιλονεικίαν hic penitus a me abeſſe, & me pacis cauſa nihil non facere paratum eſſe. Interea nihilominus a te peto, ut rationes a me allatas contra abſolutam ſatisfactionis neceſſitatem, itemque contra aeternam mortem Chriſto attributam examinare, iisque, ſi veras eſſe animadverteris, locum dare ne graveris; aut ſaltem placide & ſolide ad eas reſpondere, nec unquam occaſionem amplius inquirendi veritatem coeleſtem (quam certe omnes, quamdiu hic vivimus, imperfecte cognoſcimus) aliquo immaturo praeiudicio praecidere. Vale, Reverende Vir, &, ſi placet, declarationem illam meae ſententiae, quam ſupra dixi, ad Heidelbergenſes eſſe miſſam, alias a me exſpecta. Schultorſio X. Auguſti an. 1598.

Cum haſce literas abſolviſſem, ecce tuae mihi afferuntur, Clariſſ. Vir, quibus id, quod in cauſa illa controverſa hactenus feciſti, excuſas. Ego libenter te apud me ipſum excuſo; teque viciſſim oro, ut, ſi putaveris me nimis acrem fuiſſe in expoſtulando, id mihi condones, & iuſto meo dolori imputes. Inprimis autem oro, ut deinceps ita mecum in hac controverſia agas, quemadmodum hiſce literis expoſui. Vix enim credas, quam mihi pericula fuerint creata a nonnullis, qui te pariter & me oderunt, quique hanc occaſionem exagitandi utrumque, imo etiam me in exilium (ſi per ipſos ſtetiſſet) eiiciendi cupide arripuerunt. Haec eſt ſcilicet quorundam Chriſtiana manſvetudo: hic ſanctus eorum zelus, quo morbum animi ſui tegunt. Sed DEVS mihi adfuit, cui gratias ago, & quem oro, ut porro mihi adſit, & omnibus qui veritatem & gloriam ipſius amant. Huic te, mi D. Piſcator, commendo, una cum D. Martinio & reliquis tuis collegis, quos amanter ſaluto.

Quod me obſecras, ne ſententiam illam meam, priusquam a piis & doctis viris accurate ſit examinata, in lucem edam, in eo facile tibi morem geram. Neque enim ita ſcripturio, nec tantum ingenio meo confido, ut non cupiam prius fratrum ſententias cognoſcere. Hoc tantum oro, ut ad normam S. Scripturae & rectae rationis omnia exigantur, nec temere divina veritas haereſeos aut novitatis, neſcio cuius, inſimuletur: ſed potius omnes ſtudeamus in cognitione myſterii Dei & Chriſti proficere.

XLVI.

VORSTIVS PISCATORI.

S. D. Gratiſſima mihi fuit Epiſtola tua, Rever. & Clariſſ. Domine Piſcator, quam pridem una cum notis tuis ad theſes meas de Iuſtitia & veritate Dei frater meus mihi miſit: nec minus ipſae notae mihi gratae fuerunt. Etſi enim non perſuades mihi in omnibus, exoſculor tamen candorem tuum & φιλαλήθειαν. Itaque iam alias theſes de Amore & odio Dei ad te mitto, petens amanter, ut in iſtas etiam quam diligentiſſime inquiras. Quid enim aequius eſt, aut noſtrae profeſſioni (ſive qua Chriſtiani, ſive qua Doctores Evangelii ſumus) convenientius, quam ut alii alios in timore Domini de rebus hiſce omnium utiliſſimis erudiamus, & libenter viciſſim alii ab aliis diſcamus? Summus ille Doctor & Paſtor Eccleſiae Chriſtus non omnia omnibus eſt largitus; ſed dona ſua in omnibus agnoſci, nec quenquam contemni vult ex ſuis, etiam minimis. Vtinam huic omnes ea qua par eſt animi reverentia nos addiceremus, nec praeter ipſius verbum quidquam in Religione admitteremus; reliqua autem omnia noſtris uſibus, & ſaluti divinitus eſſe deſtinata ſtatueremus. Sed haec hactenus eo ſcribo, ut intelligas, conſilium tuum mihi non improbari, qua ſuadebas, ut a conſortio haereticorum abſtinerem. Id enim haud dubie ſic arripi vis, ut ſalva maneat libertas omnia legendi & pro fidei noſtrae modulo diiudicandi. Hac autem conditione adiecta teſtor, mihi cum illis hominibus nihil eſſe negotii: quod ipſum aliquando, Deo volente, quam plurimis ſcripto quopiam manifeſtum faciam. Interim peto, ne mihi noceat

ceat ingenuitas mea, quam deſerere non poſſum. Audivi ex viro fide digno, Illuſtrem veſtrum Comitem ſeniorem literis haud ita pridem ad Goclenium datis Arianum me vocaſſe; cuius tamen incuſationis cauſam nullam, ſaltem iuſtam, habere poteſt. Oro igitur, ut, cum occaſio ita feret, apud ipſius Generoſitatem vel ipſe, vel per D. Textorem, me purges. Dolet enim mihi, talia de me iactari, quae nullo fundamento nituntur. Vale vir clariſſime & mihi obſervande. Dominus Ieſus Chriſtus ſervet te tuosque omnes una nobiſcum, & laboribus tuis quam uberrime benedicat. Salutem adſcribo D. Althuſio & D. Martinio omnibusque amicis mihi notis. Addo unico verbo, ſi quid fratrem meum in honeſta aliqua conditione quaerenda iuvare potes, id propter amicitiam noſtram & Chriſti charitatem facere ne negligas. Steinfurto 22. Ianuarii. Anno 1602.

XLVII.
VORSTIVS PISCATORI.

S. Epiſtolam tuam, Vir Clariſſ. & frater in Domino honorande 8. Martii ſcriptam, una cum notis tuis ad ſententias quasdam meas, e libro de Deo &c. excerptas, 8. Iunii demum accepi. Agnoſco benevolum erga me affectum tuum, dum errores eximere mihi conaris. Sed credere te certo velim, me nondum in conſcientia rationibus tuis convinci poſſe: ſed contra quaedam in Notis tuis inveniſſe, ubi graviter errare mihi videris. Statueram ergo Notas tuas una cum Reſponſo meo, quod iam pene paratum habeo, in lucem edere. Sed re plenius expenſa iudicavi, te inſcio aut invito id faciendum non eſſe. Haec igitur huius ſcriptionis meae praecipua cauſa eſt, ut conſenſum ſuper hac re tuum impetrem. Forte amica haec collatio noſtra (qualem ex mea parte tibi promitto, Deo favente) non tantum utrique noſtrum, ſed & aliis, ad veritatem in multis plenius intelligendam, utilitatis aliquid afferet. Exemplum ſaltem modeſte & ſine acerbitate de rebus divinis conferendi aliis praebebimus, quod publice prodeſſe poterit. Scribe igitur, quaeſo, primo quoque tempore, quid tibi videatur: atque interim de me ut vere Chriſtiano & Orthodoxo fratre, bonam

opinionem retine: nec eorum mores unquam imitare, qui alios in rebus non neceſſariis diſſentientes facile damnare, & tanquam haereticos aut impios exagitare ſolent. Vale, Vir Reverende, & collegas tuos aliosque veteres amicos, ſi qui illic ſunt, amanter a me ſaluta, imprimis uxorem & liberos tuos omnes. Ne te alienent a vetere benevolentia praeiudicia quorundam fratrum nimis calida. Cogita, quae libertas a Chriſto nobis commendata ſit in hominum doctrinis examinandis: item quam ſtudioſe pax Eccleſiae nobis procuranda ſit, contra Papatum & ſimiles Antichriſti Synagogas. Quorum utrumque mihi ſerio cordi eſt: & quo nomine iam multa indigne patior. Deus reſpiciat me in hac cruce. Idem te diu ſervet incolumem, & veritati piaeque libertati faventem, Amen. Goudae in Hollandia 3. Iulii, 1612.

XLVIII.

PISCATOR CONRADO VORSTIO.

S. Doleo ex animo, Doctor Vorſti, quod te in lutum iſtud multorum ac variorum errorum tam profunde demerſiſti: quodque eorundem & divulgatione Eccleſiam offendiſti, & propugnatione offendere eandem pergis. Itaque ſtudio ſalutis tuae & pacis Eccleſiae non poſſum omittere, quin denuo te amice & fraterne admoneam, ut errores illos tuos (quos tibi tum in notis meis privatim ad te miſſis, tum in utraque apologia mea publice edita demonſtravi) agnoſcere, & publico ſcripto retractare velis. Difficile hoc quidem accidet tibi: quia videtur cum ignominia coniunctum: ſed revera coniunctum eſt cum laude apud omnes pios. Humanum eſt errare: (ut vulgo dici ſolet) at in errore agnito perſeverare diabolicum. Propone tibi exemplum laudabile Auguſtini, clariſſimi illius veteris Eccleſiae Doctoris: quem non puduit retractationum libros poſteritati relinquere. Conſidera quoque verba illa Apoſtoli Pauli 1. Corinth. 3. v. 13. 14. & 15. quibus ſalutem promittit Doctoribus, qui falſae ſuae doctrinae damnum faciunt per ignem coeleſtis veritatis, quatenus huic dant locum. Hanc gratiam ut tibi det is, qui ſolus corda noſtra illuminare & flectere poteſt,

ex

ex animo tibi exopto. Scripſi Herbornae, 28. Auguſti, ſtylo vetere, 1613.

XLIX.

VORSTIVS TOSSANO.

SEtſi plane confido, Reverende & clariſſime D. Toſſane, abunde, & tibi, & honorandis collegis tuis ſatisfactum iri ea ſententiae meae declaratione, quam vobis ſimul omnibus inſcripſi: tamen cum hiſce diebus poſtremas tuas literas acceperim, non poſſum non paucis ad eas nominatim reſpondere, ne quid omnino ſcrupuli in animo tuo de me relinquam. Dico igitur, me in tota hac diſputatione de Chriſti λύτρῳ & ſatisfactione id potiſſimum ſpectaſſe, ne quid Deo affingatur, quod ſuprema ipſius maieſtate ſit indignum, nec hominibus cauſa praebeatur in impoenitentia perſeverandi: & hac occaſione de libera Dei poteſtate, quae cum iuſtitia ipſius pugnare non poteſt, de conditionibus illis verae fidei, ac poenitentiae, ſine quibus non obtinetur remiſſio peccatorum, diſſeruiſſe. Si quid in hac doctrina explicanda, minus commode dixi, aut ſcripſi, id perſpecta mente mea commode ſaltem intelligi velim, nec ſingulas phraſes aut verba ſcrupuloſe examinari. Dico deinde, me non tantum in Dei verbo, verum etiam in publicis Eccleſiae reformatae confesſionibus acquieſcere, ac nominatim in compendiaria illa praecipuorum doctrinae capitum explicatione, quam in Idea mea (*) tradidi, ſine fuco conſtanter perſeverare. Vnde manifeſtum eſt, nec S. Trinitatis, nec incarnationis τȣ̃ λόγȣ myſterium, nec alia talia in dubium a me vocari. Si quid aſſero, ex quo horum capitum negatio neceſſario ſequatur, id admonitus libenter mutabo: quia ſciens nulli errori velim patrocinari. Quae autem hactenus aſſerui de neceſſitate, itemque ſufficientia, denique effectu, ſeu fructu ſatisfactionis Chriſti, ea non tam meis, quam S. Scripturae, & ſummorum in Eccleſia virorum ſententiis ac verbis explicavi. Nec opinor fraudi mihi eſſe debere, quod aliquando phraſes aliquas ab haereticis uſurpatas, ipſe quoque uſurpavi: nam qua occaſione id factum ſit, in communibus illis expoſui. Quocirca te, tuoſque Collegas, oro,

L vir

(*) Confer. Ideae Cap. II. Sect. II. pag. 30.

vir Reverende, ut pro charitate Chriſtiana dextre ſententiam meam accipiatis, nec per vos ſtare ſinatis, quo minus inter nos pius conſenſus aut reſtituatur, aut potius conſervetur. Vides enim, quid pacis & concordiae ſtudio faciam, & quid porro facere paratus ſim. Tantum oro, ne fidei meae in hac aut illa ſcholaſtica quaeſtione, ſic aut aliter explicanda dominari velitis. Nam captiva iudicia aut Hypocritarum ſunt, aut hominum prorſus ſtupidorum, non fidelium Chriſtianorum, qui ſciunt, ſalvam conſcientiis libertatem conſtare debere. Atque ut paucis ad ea capita, quae in tuis literis, vir clariſſime, attingis, reſpondeam: dico 1. agnoſcere me, Deum eſſe per eſſentiam iuſtum, & peccata ſerio odiſſe: non tamen videre me, quomodo aut ex illa iuſtitia, aut ex hoc peccati odio, punitio cuiuslibet peccatoris, etiam reſipiſcentis, neceſſario, & ſimpliciter colligi poſſit, absque conſideratione divini decreti. Quare dico, oportere nos cum Scholaſticis, & Muſculo & Zanchio diſtingvere inter eſſentialem Dei iuſtitiam, ſive aequitatem, & eam quae a libera Dei voluntate pendet, quaeque non proprietas naturae, ſed effectum voluntatis, quam alii proaereticam, alii iudiciariam vocant. Si haec non ſatis ab omnibus capiuntur, non tamen ego erroris accuſari debeo: praeſertim quum pacis cauſa deinceps rem in medio relinquere ſim paratus. 2. teſtor, agnoſcere me perfectam, & plenam Chriſti ſatisfactionem pro omnibus noſtris peccatis, & huc recte citari ea ex S. literis, itemque Cyrillo, Auguſtino & Muſculo, quae citari a te video; nec tamen me videre, quomodo ex iis colligi poſſit, Chriſtum in ſe ipſo proprie ſuſtinuiſſe aeternam mortem, & univerſos damnatorum cruciatus. Nam plena ſatisfactio Chriſti, non tam ex ipſius rei natura, aut ex ipſo iuris apud nos uſitati rigore, quam ex dignitate ſatisfacientis perſonae & Dei acceptantis gratioſa voluntate aeſtimari debet. Nec video, quomodo deſperatio de gratia, fremitus contra Deum, & aliae ſimiles poenae cum peccato coniunctae recte negentur eſſe partes aeternae mortis, quam damnati in inferno ſenſuri ſunt. Sed tamen etiam hic promitto, me pacis cauſa nolle admodum qualitatem poenarum, quas Chriſtus exantlavit, inquirere. 3. dico, fateri me, reſpectu Dei eligentis, cui omnia praeſentia, itemque reſpectu aeternae efficaciae meriti, aut ſacrificii Chriſti peccata

noſtra

noſtra etiam ante converſionem noſtram eſſe deleta: ſed aliter eſſe de actuali iuſtificatione iudicandum, quae ſemper ordine naturae, non temporis, efficacem vocationem ſequitur Rom. 8. ac proinde converſionem ſaltem initialem praeexigit, ut dicitur Eſa. 1. Ezech. 13. Act. 3. & paſſim. Et ſane quia vera fides eſt prior iuſtificatione, ut cauſa ſuo effectu, ſequitur etiam initium obedientiae, ſeu converſionis eſſe prius iuſtificatione: ſiquidem fides absque tali converſione non eſt vera fides, inquit Muſculus. Imo praxis hoc ipſum docet, neminem poſſe de hac Dei gratia perſvaſum eſſe, quamdiu pergit in impoenitentia. Nec tamen ſic negatur, fidem ſola Chriſti redemtione niti: quia aliud eſt fundamentum, quo fides nititur, aliud conditio, ſine qua fides non eſt vera. Quare & hoc pacis cauſa ſic enunciabo, requiri in omnibus iuſtificandis veram & vivam fidem, quae deinde in iuſtificatis bona opera producat. Haec ſumma eſt, in qua acquieſco, & ſecundum quam omnia mea intelligi velim. Quare iterum te oro, obſervande Vir, ut pro virili tua parte ſiniſtras de me conceptas ſuſpiciones tollas, & conſenſum veſtrum aperte exponas. Ita tibi tuisque, ac mihi Deum propitium precor. Vale. Schuttorpio 28. Auguſti, Anno 1598.

L.

MENSO ALTING
IO. PISCATORI.

ETſi nihil haberem, quod ad te ſcriberem, Vir ornatitiſſime; tamen hoc praeterire nolui, typographum Lugdunenſem pro impreſſis coniugationum tabulis exigere duos coronatos cum dimidio. Eos huic, ſi placet, reddas, quo Domino Corvino & Comelino Heydelbergenſi, qui libros mihi ex nundinis miſerunt, per me ſatisfiat. Legi aphoriſmos a te nuper editos, & viſus es communionem corporis & ſangvinis Chriſti, quam S. Coenae inſtitutio docet, & D. Calvinus paſſim inculcat, omiſiſſe, quod quo conſilio feceris, neſcio. Noſti, quid nobis impingant adverſarii; proinde danda nobis eſt opera, ne probemus eorum calumnias. Ex miniſtris Bremenſibus unus toti Eccleſiae bellum indixit ob unicam praeſentiae

voculam, quam recte explicatam non male uſurparunt orthodoxi. Vitemus, quaeſo, contentionum ſcopulos, & ſervemus unitatem Spiritus per vinculum pacis. Satis eſt, adverſarios ſe mutuo mordere, quemadmodum novum bellum Fabro Svevico ab Helmſtadianis denunciatum videmus. Rogo te, honorande frater, ne indigne feras ſollicitudinem meam apud te quidem minime neceſſariam, ſed Deo gratam propter Eccleſiam. Nobis Heshuſianae furiae magis magisque moleſtae ſunt. Et niſi Dominus obſtiterit impiis earum conatibus, non deſiſtent, niſi omnibus turbatis tam in Eccleſia quam Republica. Aulam in nos concitant, quibuscunque rationibus posſint. Nuper ſub praetextu concionis funebris voluerunt ovile ingredi; at nos cum D. Ambroſio reſtitimus lupis.

Claſſem Hiſpanicam virtute Dei totam fere peſſundatam aiunt. Laudetur Iehovah; cui te tuosque omnes commendo. Salutem adſcribo familiae Doct. Oleviani ſanctae memoriae. Ignoſce feſtinationi. Raptim 20. Octob. Anno 1588.

LI.

MENSO ALTING
IO. PISCATORI.

LAudo modeſtiam tuam, frater honorande, ac ſtudium pacis in Eccleſia conſervandae. Haec enim Eccleſiae laus eſt, ut filii eius uno ſpiritu unoque ore invocent ac celebrent Dominum Ieſum redemptorem ſuum, a qua virtute longiſſime receſſerunt, quotquot ab unitate Domus Dei exorbitarunt. Hanc gloriam ſi quis temere obſcurare conatur, eum ego graviſſime in Deum ac Eccleſiam peccare ſemper exiſtimavi. Quare quum intelligerem bonos viros offenſos ellipſi tua de communione carnis & ſangvinis Chriſti in uſu ſacrae coenae; putavi te fraterne monendum, quo & alios placare poſſem, ne qua radix amarulentiae inter fratres pulluleſceret. Placuit mihi tunc reſponſio tua, quam & aliis, quibus eam communicaram, non diſplicuiſſe comperi. Interea orta eſt vel potius renovata diſputatio de iuſtificatione hominis coram Deo; & ut verum fatear, iam tum metuebam tale quid eventurum, quum meam

de iſthac quaeſtione ſententiam exquireres. Itaque rogabam etiam atque etiam, ut contentionum ſcopulos evitares, quod in iſta materia facile eſt, modo quis ſubtilitates non neceſſarias fugiat, ex quibus illa controverſia orta eſt. Niſi enim inventa eſſet diſtinctio peccati commiſſionis & omiſſionis: item, activae & paſſivae obedientiae, ſufficeret nobis Paulina ſimplicitas, qui docet, Chriſtum nobis factum a Deo ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, redemptionem. Non ergo dividendus eſt Chriſtus aut eius obedientia, quae tota credentibus & univerſa ad eandem iuſtificationem & vitam gratis per fidem imputatur: non ſeorſim ſancta eius vita, nec ſeorſim eius mors. Sed quando unum nominatur ita cohaeret alterum, ut excludi ac ſeparari a ſalutis noſtrae negocio & cauſis neutrum poſſit. Neque enim ſancta Chriſti nativitas ac vita absque mortis obedientia nobis, niſi pro exemplo, profuiſſet: nec mori pro nobis ille, niſi tam plene ſanctus fuiſſet, poterat. Itaque ut nobis natus & datus eſt Chriſtus: ita nobis vixit ſancte ac iuſte, nobis mortuus eſt, nobis denique reſurrexit: atque noſter adeo totus eſt quoad perſonam & officium, ut reddat participes divinae ſuae naturae. Non ergo mors Chriſti, absque vitae eiusdem ſanctitate, neque haec ſine illa, ſed utraque coniunctim (quarum neutra absque altera ad ſalutem ſufficeret) piis fide imputatur. Atqui ita Doct. Grynaeum ſentire non dubito, ac Dominum Piſcatorem itidem: Nam ſi ille vitae Chriſti ſanctitatem ſeorſim prodeſſe ad expianda omisſionis peccata ſtatueret, committeret vitium diviſionis, divellens Chriſti obedientiam. Rurſum, ſi Dominus Piſcator ſolam Chriſti mortem ad iuſtitiam nobis imputari exiſtimaret, nulla habita ratione ſanctitatis ac vitae, in eundem elenchum incideret, ac contradiceret Paulo, qui docet eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum factum, ut nos efficeremur iuſtitia Dei in eo: Imo & Petro & ſibi ipſi theſibus 8. & 9.

Sic igitur ſentio, Doct. Grynaeum a Domino Piſcatore revera nihil diſcrepare, tantum verba diverſa eſſe, idque propter diſtinctionis novitatem. Hac omiſſa, facile inter vos conveniet. Optarem igitur te ſtudioſe praeteriviſſe hanc quorundam diſcrepantiam; & Doct. Grynaeum prius amicis literis te compellaſſe, quam typis ſub-

iecisse antitheſes ſuas. Dico libere, quod ſentio, pro meo candore, quamquam non ſum oblitus meae tenuitatis. Oro, ne aliter accipias, quam deceat amicum ſincerum ac pium. Exſpecto exemplar analyſis tuae ac eius ſcripti, quod illuſtri Domino obtuliſti.

Nos vivimus more ſolito per gratiam Chriſti. Belgicum nonnihil reſpirat propter Galliam. Claſſis Anglicana, quae militabit Antonio Luſitano, exſpectat ventum ſecundum, Deumque benignum. Draco eius Ductor erit. Velim nos exemplar habere poſſe errorum Smidelini, quos Hofmannus collegit.

Vale frater ornatiſſime, ac me, quod facis, ama. Doct. Oleviani tuamque familiam reverenter ſaluto. Subito 6. Martii Anno 1589.

LII.

MENSO ALTING IO. PISCATORI.

S. D. Optatiſſima nobis fuere, Vir Doctiſſime ac frater obſervande, quae cum M. Naſone a vobis acta ſunt. Quo nomine & Deo, & Illuſtri Comiti Naſſovio, adeoque vobis omnibus, qui operam contuliſtis, agimus gratias maximas. Faxit Chriſtus verae pacis autor, ut Joſephus in vera ſententia confirmetur, utque ſe coram Deo humiliet, ne pertinacia ſua deinceps Eccleſiam turbet, ac fratres offendat. Si ſana conſilia admiſiſſet, nunquam eo dementiae perveniſſet, neque tanto tempore foviſſet litem minime neceſſariam. Confido eum, ubi tractatum Domini Sadelee de ſpirituali manducatione legerit, magis magisque in vera ſententia confirmatum iri. Tua, quae de coena ſuperiori mercatu ediditſti, contradictionem habebunt ab adverſariis, niſi me opinio fallat. Vicini Marpurgenſes, quantum poterunt, reſiſtent, ne iſta in ſcholam irrepant ſuam, neve a ſtudioſis arripiantur. Videmus, quantopere Hofmannus inſaniat contra Bremenſes, a quibus ſibi ſuisque metuit. Habeo gratiam, quod ea mecum communicaveris, referam, ſi potero.

Porro, quod me mones, ne ſtudio conſervandae pacis in Eccleſia a puritate doctrinae Apoſtolicae aberrem, id me adeo non offendit, ut grato animo amplexus ſim. Scio ab amico admonitionem

nem profectam, cuius proprium eſt monere. Vt autem te liberem iſthoc metu, ſcito, me de iuſtificatione ita ſenſiſſe & ſentire, quemadmodum anno ſuperiore a te rogatus explicui. Quae autem proximis literis controverſiae tollendae cauſa adieceram, id non feci, ac ſi priorem ſententiam mutare vellem, ſed ut oſtenderem, totum Chriſtum eſſe noſtrum, & natum eſſe, & vixiſſe, & mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, & aſcendiſſe noſtra cauſa. Ideoque unum ab altero ſeparari non poſſe, neque vitam a morte, neque mortem a vita, quamquam in iuſtificatione hominis coram Deo alia ſit conſideratio vitae, alia mortis Chriſti, teſtibus Apoſtolis. Et ne quid dubii aut ambigui ſit in verbis meis, provoco ad ea, quae tu theſi octava de iuſtificatione, ſi recte memini, clare ac dilucide in hanc eandem ſententiam expreſſiſti, quibus per omnia ſubſcribo. Qui vero ita docet, is nec miſcet vitam cum morte Chriſti, nec eadem ſeparat, & mediam viam tenens vitat contentionum ſcopulos. Hac ſermonis ſimplicitate ſi contenti viri docti omiſiſſent diſtinctiones ſubtiles magis, quam neceſſarias, nunquam mota inter Evangelicos fuiſſet haec controverſia.

Caeterum, quod pacis Eccleſiae maximam curam habendam monui, id noſti cumprimis neceſſarium eſſe. Videmus quantopere triumphent hoſtes, ſi nos in aliquo diſſentire videant. Sectemur igitur pacem, & procuremus ea, quae ad pacem Hieruſalem pertinent. Praeclare monuiſti Naſonem, ne Eccleſiae unitatem ſcindat. Eo animo ſi omnes in Chriſti ſponſam eſſent, quam praeclare cum illa ageretur? Quia vero nulla Eccleſiae pax eſt, niſi quae ſit Chriſti; nulla Chriſti, quae non ſit in veritate fundata; hoc tibi perſuaſum habebis, me eiusmodi pacem ſuadere, quae veritati nihil deroget. Alioqui quorſum odia & certamina cum adverſariis ſubeo, & me meaque omnia in diſcrimen adduco, ſi pax inimica Chriſto & veritati animo meo adlubeſceret? Adverſarii protervi Lutherum ſuum habitu monachali protrudunt, voces Thraſonicas in nos depromentem. Cui laſciviae ut obviam eatur, fecit quidam has imagines cum Rythmis, quas ſubiicit iudicio tuo. Si operae precium duxeris, des Domino Corvino ſculpendas & imprimendas: Sin minus preme, neque expedit ſcire, unde veniant. Sumptus, ſi quos feceris,

ego

ego refundam. Quod ſi praelo ſubiiciantur, mittes aliquot exemplaria per tabellarium, eaque Petro Gellio paſtori Lerano inſcribes, ſi nolis tuo, ſaltem alieno nomine. Reliqua ex mercatu curabit Corvinus ad Iohannem Henricum bibliopolam noſtrum, ut facilius in omnium manus perveniant. Sed haec tibi tanquam amico, cuius iudicio ſtabunt, cadentque. Nova, quae hic ſunt, laeta quidem ſunt, ſed dubito, an ſatis certa. De rebus Galliae proſpera audivimus hactenus. Anglicana claſſis ubi ſit, quidve agat, nondum ſatis conſtat. Vſa eſt vento ſecundo diu, Deus fortunet conatus. De morte Parmenſis fama undique confirmatur. Raptim 5. Iunii 1589.

Vix ſcribendi finem feceram, quum appelleret navis ex Hiſpaniis, quae narrat Anglos in Buſcaia & locis vicinis loca quaedam diripuiſſe, navesque ex claſſe Hiſpanica reliquas incendiſſe. Addit, Regem Antonium ante quinque ſeptimanas Luſitaniam feliciter ingreſſum, & portum Caſcalis dictum occupaſſe. Quid ab eo tempore ſit factum, poſtea, volente Deo, audiemus. Hiſpani in magno terrore fuerant, cum ob adventum hoſtis, tum ob annonae caritatem. Iterum vale.

LIII.
HENRICVS ALTINGIVS
IO. PISCATORI.

S. Reverende Dom. Piſcator. Cum nuper ad Dom. Martinium mitterem Epiſtolam Doctiſſimi cuiusdam Theologi de controverſia iuſticiaria ad Doct. Pareum exaratam, hoc fine, ut a ſe lectam tibi quoque eam legendam exhiberet; adieci perſcriptum ad nos ex Gallia, eandem controverſiam de novo in Synodo Nationali agitatam diſcuſſamque eſſe. Multi de totius quaeſtionis ſtatu rectius informati, rationumque tuarum momenta accuratius apud ſe expendentes, ire pedibus in ſententiam tuam caeperunt. Alii licet ei variis praeiudiciis occupati, vel potius inani authoritatis humanae fumo excaecati ſubſcribere nondum poſſent, honeſtius tamen de te totaque hac re ſentire, modeſtiusque loqui conſtituerunt;

huc-

hucque tandem (refero quae ex amicorum literis percepi) prudentiorum conſilio atque authoritate deducta res eſt, ut cenſuerint pene omnes, literas honorificas totius Synodi nomine ad te dandas eſſe, illudque vulnus, quod ſuperiorum auſteritate praeter omne meritum tibi inflictum eſt, harum lenitate ac moderatione tandem perſanandum. Eae a Regio Conſiliario, qui a Synodo rogatus hoc negotium in ſe receperat, ad Ampliſſimum ac ſummum Virum, D. Zachariam Colbium, eiusdem Regis quondam Secretarium, nunc vero Illuſtriſſimi Principis Friderici Palatini Iunioris, Ephorum digniſſimum, hominem tui tuarumque rerum perquam ſtudioſum, heri miſſae ſunt: qui cum & ſcribendi tempore, & mittendi opportunitate deſtitueretur, me rogavit, ut vicariam ſibi hac in re praeſtarem operam. Quod ego eo feci libentius, quo ardentius eas a te iampridem exſpectatas eſſe ſcio. Optarem me, qui omnia tua ſuper hoc negotio manuſcripta penes me habeo, tum huius, quam nunc mitto, Epiſtolae, tum tuae ad illam reſponſionis apographum habere poſſe. Degit apud vos Ornatiſſimus Iuvenis Henricus Crauthofius, meus olim in ſchola veſtra diſcipulus, qui non gravatim deſcriptionis moleſtiam meae in ſpem gratiae ſuſcepturus eſt, ſi iudicaveris tuto communicari Epiſtolam Gallorum etiam aliis poſſe. Quicquid etiam reſpondere ad eam viſum tibi fuerit, id ad me mittes, qui per D. Colbium id quam citiſſime ac fideliſſime ad praedictum Regium Conſiliarium Pariſiis degentem transmiſſurus ſum. D. Tilenus publicis theſibus ſententiam tuam defendit proxime, ac argumentis validiſſimis eius veritatem aſſeruit ac demonſtravit. Quod factum in multorum tum hic, tum in Gallia, incurrit reprehenſionem, iudicantium, non unius iudicio ea eſſe convellenda, quae totius Sacroſanctae Synodi unanimi conſenſu non minus prudenter, quam pie ſemel aſſerta ſunt ac conſtituta. Verum apud illum non niſi ſolidae rationes valent, non hominum authoritates. Librum blaſphemum, quem Lutheranus quidam nuper cudit, nemo vidit. Forte non prodiit, vel ſupprimitur ſtudio ab iis, quod eos ineptiarum ſuarum ac calumniarum nunc pudeat. In indice Biblico conficiendo audio te dies noctesque laborare. Faxit Deus, ut feliciter coeptum feliciter abſolvas, ac moriens Eccleſiae Chriſti opus Biblicum omni-

bus numeris perfectum relinquas, quo neſcio an theſaurus pretioſior in lingua Germanica unquam exſtiterit. Vale, Vir Magne, ac ex quatuor Generoſis meis, qui tui cum obſervantia colunt memoriam, plurimum ſalve. Coniugi tuae dilectiſſimae, optatisſimoque Genero Nobilisſimo Domino Noldio officioſam ſalutem aſſcribo. Raptim Heidelbergae in aula Palatina Anno 1607. Prid. Calend. Auguſti.

LIV.
HENRICUS ALTING
IO. PISCATORI.

SAlutem officioſiſſimam. Cum ante pauculos menſes viſendorum gratia parentum ab octennio non viſorum in patriam excurrerem, annis meritisque in Eccleſiam Graviſſime omnique cultu pietatis Digniſſime D. Praeceptor; cogitabam in reditu Herbornam deflectere; tum ut colloquio amplexuque tuo praeſens fruerer, tum ut quae a D. Tileno noſtro habebam mandata exponerem. Verum ab hoc me propoſito ſola feſtinatio dimovit ſuſcepta ex eo, quod abitus difficilior impeditiorque maiorem temporis itineri meo praefixi partem abſumſit: ut inde & mora mihi apud meos facienda brevior, & reditus magis accelerandus fuerit, ne fidem fallerem. Itaque quae coram maluiſſem, & rectius etiam potuiſſem, nunc per literas expediam. Fratres Galli, atque horum anteſignanus Molinaeus, Pariſienſis Eccleſiae miniſter, ut ante Tibi, ita iam D. Tileno litem movent περὶ δικαιώματος, criminantes eum tua authoritate faſcinatum tuam de ſola obedientia paſſiva (uti vocant) ſententiam decreto vapineo damnatam, atque e medio auferri iuſſam non clam diſſeminare, ſed propalam inter Gallos docere; eoque ipſo & iuventutem, ſeminarium Eccleſiae, corrumpere, & ipſos Ἐπιστάτας adamantinis quaſi vinculis colligatos ante, inter ſe committere. Continuit ſe inter privatos querimonia ad longum tempus. Non ita nuper in publicum ſumma violentia erupit; atque in Synodo Nationali poſtrema diu multumque iactata, avidisque contentioſiſſimorum quorumque auribus accepta id effecit, ut dies D. Tileno ad proximum conventum, etiam iterato (ut ſerio agi cre-

de-

deret) dicta ſit. Etſi vero deſerere vadimonium ſumma iuris ſpecie poſſet, quod Gallicanarum nexu cenſuque Eccleſiarum exempta iampridem fuit Sedanenſis; tamen quod id petant multi boni eandem cum ipſo ſententiam profeſſi, & ne iuſto patrocinio defraudetur veritas, controverſiam debito modo & ordine, ſive voce, ſive ſcripto diſceptare deliberatum habet. Et iam praeludia cum Molinaeo, aliisque facta; quorum hypotheſes ſunt: Non unam illam Adami *παρακοὴν*, ſed omnia eius *παραπτώματα*, toto vitae curriculo patrata nobis imputari: Chriſtum non teneri obedientia Legis, ac proinde eam nobis in ſolidum cedere: eſſe Dominum Legis etiam ſecundum N.T. & alia eiusdem farinae *ἀποπήματα*. Denique quicquid unquam Polani p.m. effudit incogitantia, id illi velut gemmas ex ſtercore Enniano legunt. Quia vero inter caetera novitatis crimen D. Tileno impingunt, vociferanturque ab omnium Eccleſiarum Gallicarum, Britannicarum, Belgicarum, Germanicarum, Helveticarum, & ſi quae ſunt aliae, conſenſu univerſali diſcedere; ut hic ſe purget, & quae apud me habeo, doctiſſimorum Theologorum Cargii, Vrſini, Kimedoncii, Iungnicii, Parei, Pitiſci, Sculteti, Martinii, Patris mei & aliorum iudicia a me flagitavit, & ut plura a TE peterem, iterum atque iterum rogavit. Cui doctiſſimi Viri graviſſimo certe atque aequiſſimo poſtulato ne deſis, tam meo, quam ipſius nomine oro. Facile inventurus es amanuenſem, qui Elenchum conficiat conſentientium; praecipuorum etiam verba ſubiiciat, inprimis D. Sibrandi, aliorumque Belgarum, Ionſtoni, Scoti, Helvetiorum, atque ipſius adeo Polani, nec dum affinitate Grynaeo coniuncti, & a te ſeiuncti. Diſſertationem tuam epiſtolarem cum D. Beza, reſponſum ad anonymum, id eſt, Toſſanum, conſiderationem dictatorum Menzeri penes me habeo. Vicisſim operam daturus ſum, ut cauſae communis defenſionem ex parte iam adornatam, porroque adornandam a Tileno noſtro accipias. Atque ego ne *ἀσύμβολος* ſim, legendam tibi mitto epiſtolae tuae Synodo vapineae inſcriptae refutationem, authoritate publica concinnatam quidem a Sonnio Montalbanenſi, ſed & ſuppreſſam, e bibliotheca vero D. Reinaldi p. m. clam ſurreptam, & mecum communicatam. Velim remitti mihi cum tuis, quia anxie eam D. Tilenus deſiderat. Deum vero rogo, ut, quia

hanc veritatis partem tuo potiſſimum miniſterio aſſerere caepit, ac plurimis perſvadere, magis magisque aſſerat, faciatque, ut, ſicut in caeteris, ita hic quoque ſincera inter Eccleſias coaleſcat concordia, quo idem ſentientes (ſi modo id datur in hac vita) pugnent tanto alacrius contra communem iſtum hoſtem Antichriſtum. Privata mea quod attinet, ſunt illa priſtino loco. Inſervio adhuc Sereniſſimo noſtro Electoratus haeredi, iunctisque ei tribus Comitibus Rheni, Iſenburgi, & Solmae informandis, qui tuam ſententiam probe perceperunt, ac imbiberunt. Ab hac ſtatione tranſiturus ſum ad quamcunque me vocare dignabitur Dominus; ſed tamen non ante adultam, vel potius maturam Diſcipulorum aetatem. Vbicunque autem locorum futurus, alta mente repoſta mihi manebit tuorum in me beneficiorum memoria; quae utinam daretur ſi non in te, ſaltem in tuis aliqua ratione rependere! ut vel aliquod gratitudinis meae exſtaret monumentum. Vorſtium ſermo eſt fuga ſibi conſuluiſſe, poſtquam negotium ipſius maiori circumſpectione coeptum eſt tractari Hagae. Vidiſti procul dubio Sibrandi contra ipſum ſcriptum, quo larvam egregie detrahit perſonato, claraque in luce clancularias eius, ſed ſceleratas machinationes ponit. D. Tilenus huc miſit conſiderationem doctrinae Arminianae de libero arbitrio, Praedeſtinatione, Gratia, quam praelo expreſſam a me exſpectabis. His nihil addam, niſi quotidianum votum meum, ut te Eccleſiae labaſcentis columnam novo indies robore inſtruat Deus noſter ad aſſerendam veritatem ſuam: ſenectam tuam aquilae ad modum reiuveneſcere faciat; denique illam meritis gravem venerabilemque caniciem tuam in te, in liberis, in ſera poſteritate omni benedictionum genere coronet per Filium illum dilectionis & benedictionis ſuae, Amen. Heidelbergae 16. Decemb. 1611.

LV.

HENRICVS ALTING IO. PISCATORI.

AD binas tuas totidem cum faſciculis recte mihi redditas unis hiſce reſponſurus, ab excuſatione, an a gratiarum actione ordiri debeam? in dubio ſum. Excuſationem flagitat, quod Tibi annis

nis meritisque gravisſimo curisque diſtracto perpetuis novam afferre moleſtiam haud erubui. Gratiarum vero actionem meretur, eamque minime vulgarem, quod tam promte, tam alacriter ex chartophylacio tuo, ceu divite quodam penu ſubminiſtraſti, quae ad cauſae communis patrocinium cum apparatu aliquo ſuſcipiendum, cum laude profectuque agendum ac peragendum viſa ſunt pertinere. Ea ceu praenuncius qualicunque hoc epiſtolio defungi volui; potiores hic partes Tileno meo demandans; cui quam gratum acciderit tantum officium, ſua ipſius manu propediem teſtatum faciet. Eſt nunc in procinctu ad iter, ne vadimonium deſerat. Nam quartus Martii cauſae Pariſiis agendae a Synodo dictus eſt. De exitu male ominor ex eo; quod adverſae partis Patroni ſibi diffiſi ad calumnias easque atrocisſimas confugiunt; quarum obtentu virum damnent, etiam non auditum. Aiunt illi Arminianum virus non delibaſſe leviter, ſed penitus imbibiſſe: adeoque illud cum nova de Iuſtificatione doctrina diſcipulorum, incautiorum inprimis, animis inſtillare, per univerſam porro Galliam diſſeminandum. Quo ipſo id iam effecerunt, ut plerique liberos ſuos Sedano avocent: hocque inſuper quaerunt, ut ipſa ſchola, ſi non aboleatur, ſaltem in Gymnaſii alicuius formam redigatur; ſatius iudicantes obſtrui tam limpidos doctrinarum fontes, quam non ſuo ex placito fluere. At vero quam longe abſit ab hoc crimine Clariſſ. Tilenus, cum alia, tum haec Doctrinae Arminianae conſideratio docebit; quae peropportune in lucem exiit, cum tam putidum mendacium ex tenebris in ſolem meridianum prodire caepit. Eius Tibi exemplar mitto, Venerande D. Praeceptor; ut non modo ſancto veſtro in ὀρθοδοξίᾳ tenenda ac tuenda conſenſu Te recrees, ſed etiam innocuo innocentiae teſtimonium domi, foris praebere poſſis. Caetera eius, quae pro controverſia iuſticiaria adornat, a me exſpectabis, ſuoque tempore accipies. Deum rogo, Clariſſime D. Piſcator, Praeceptor venerande, ut Te aliosque, ad quos ceu triarios, dilapſa res Theologica rediit, diu Eccleſiae ſuae ſuperſtites faciat, ac omni donorum bonorumque genere coronet. Scripſi in aula Palatina 28. Feb. 1612.

LVI.

HENRICVS ALTING

IO. PISCATORI.

SAlutem. Reverende D. Piſcator, Praeceptor ac Pater ſumma mihi obſervantia colende; tum eas, quas 13. Julii ad me dediſti; tum alteras, quas 23. Auguſti ſubmiſiſti literas recte accepi. Ex prioribus id gratum fuit intelligere, & valere te cum Familia, & per vires corporis profeſſionis Theologicae laboribus parem eſſe. Id ingratum, quod Vorſtius ille Θεομάχος publico ad notas privatim ſcriptas reſponſo in arenam te provocat, & a curis ſanctioribus avocat. Aliud ab ipſo reverentia Praeceptoris, illaque venerabilis canicies tua, atque etiam ſacrata textui biblico ſenecta flagitare viſa ſunt. Verum quia iacta iam alea eſt; Deum Opt. Max. ſupplex veneror, ut novas tibi ad reſpondendum vires ſufficere dignetur; quo plus ad defenſionem veritatis veteranum, quam ad eiusdem oppugnationem Novatorem valere toti mundo innoteſcat. Cum poſterioribus tuis reddita ſunt duo commentariorum tuorum in Eccleſiaſtem & Iobum exemplaria; quorum alterum mihi donas, alterum Sereniſſimo M. Britanniae Regi per me exhiberi vis. In quo ut ſedulam tibi σὺν θεῷ navaturus ſum operam; ita pro benevolentiae tuae erga me, multis magnisque meritis ante teſtatae, iamque renovatae, chariſſimo equidem pignore demiſſas gratias ago. Referendi vires in me nullae ſunt: animus interim ita promtus, ut nihil non tuae in ſpem gratiae facere paratus ſit. Sereniſſimo etiam meo προσφώνησιν gratiſſimam futuram nullus dubito: quem alloqui tamen per hoc triduum propter varia negotia non licuit. Itineri noſtro dicta dies ad X. Septemb. In Anglia hyemandum erat ob traiectus hyberni incommoda. Primum Ver in Germaniam nos, Deo propitio, reducet. Ex Anglia ad te ſcriptnrus ſum, atque etiam in D. Ionſtoni conditionem (ut fieri voluit D. M. Tobias, gener tuus) quam diligentiſſime inquiſiturus. Cum eo atque omni familia tua officioſiſſime ex me ſalvebis, venerande D. Piſcator; ac abitum reditumque Sereniſſimi, atque omnium noſtrum Deo noſtro commendare non gravaberis. Nos viciſſim preces ſocias tibi pollicemur.

cemur. Scripſi inter varias occupationes illo ipſo die, quo tuas accepi. h. e. 26. Auguſti 1612.

LVII.
HENRICVS ALTINGIVS IO. PISCATORI.

SAlutem. Venerande animo meo D. Piſcator, iter noſtrum variis de cauſis in finem Auguſti dilatum eſt. Ita factum, ut hic me tuae literae deprehenderint, atque eas quoque, quas ad Illuſtrisſimum Anhaltinum confeceras reſponſorias, reddere potuerim. Gratias autem tibi ago, quod diſputationis de ſatisfactione Chriſti exemplari uno me donaſti. Vellem licuiſſet inſuper per aetatem & occupationes iudicium tuum de conſideratione Tileniana, ac συῤῥάξει Pariſina aperire. Nam hoc non unus Tilenus, ſed alii multi deſiderant. Molinaeus inſcio Tileno rem totam ad Britanniae Regem perſcripſit, qui prudenter iudicavit, controverſiam omnem in apicibus quibusdam quaeſtionum poſitam ſopiendam, non ulterius urgendam eſſe. Eadem Genevenſium ſententia eſt. Nihilominus pergit Molinaeus nova ſcripta pro cauſae ſuae defenſione adornare, ac pellectis in partes ſuas ſociis ſchiſma facere. Tilenus etiam ſuae cauſae modeſto Patrocinio non deeſt: & his diebus ſcriptum aliquod Academiae calculo probandum, vel damnandum ad me miſit, cuius tibi copiam facerem, niſi grandiuſculum eſſet, in capita 21. diſtinctum. Viden' quo res evaſerit, & deinceps evaſura ſit? De Vorſtio etiam peiora metuo, vehementerque doleo Te praeceptorem veteranum protervo diſcipuli calamo provocari, atque avocari a curis melioribus & ſanctioribus. D. M. Andreae generi poſtulatum curae mihi erit. Cui, ut & Tibi, fauſta omnia animitus precor. Raptim 28. Iulii.

LVIII.
HENRICVS ALTINGIVS IO. PISCATORI.

S. Miror equidem, Vir Clarisſime, Gallicarum Eccleſiarum Paſtores de novo tuam de Iuſtificatione ſententiam oppugnandam ſibi

ſibi ſumpſiſſe. Ad hoc autem duae me potisſimum impellunt rationes. Vna eſt, quod ne verbo quidem ad argumenta tua reſponderunt. Ex quo apparet ipſos ſi non omnibus, ſolidis tamen reſponſionibus deſtitui; adeoque ex parte de ſententiae tuae veritate convictos eſſe. Altera eſt, quod in nupero conventu nationali, uti etiam in aliis coetibus provincialibus viderunt, complures de ſuorum numero in tuam ſententiam concesſiſſe: utpote qui ſerio inſtituto examine compererunt, eam non abs te confictam, ſed ab ipſo Spiritu S. in Scripturis ſacris traditam eſſe. Verum hi forte, vel ſuffragiis ſuperati, vel ab hac actione ſubmoti voluntate reliquorum, non potuerunt veritatem Orthodoxam te Praeceptore perceptam propugnare, aut alterius factionis decretis intercedere. Hoc meum eſt de re tota iudicium. Vnde factum, ut caeteri, repugnante nemine, concluſerint unanimiter, de novis machinis cogitandum eſſe; quibus ſententia tua fundamentis ſolidisſimis ſuffulta tandem aliquando convellatur. Quod ſtudium, ſi in argumentis tuis examinandis excutiendisque poſuiſſent: rectius tum exiſtimationi ſuae, tum etiam Fratribus dubitatione ſuſpenſis conſuluiſſent. Sed veritatem oppugnare non usque adeo difficile eſt: at fundamina, quibus ea nititur, non dicam evertere, ſed ullo pacto labefactare; hoc vero difficillimum eſt, imo imposſibile. Vtut vero hanc cauſam egerint, non deſinunt tamen reſponſionem ad epiſtolam ſuam flagitare & exſpectare. Hoc nomine Nobilisſimi Viri Philippi Mornaei ad Spectabilem Dn. Colbium noſtrum perſcriptum eſt his diebus: qui, ut id tibi ſine omni mora ſignificarem, rogavit me quam diligentisſime. Vides, Clarisſime D. Piſcator, quantum ſpei praeſidiique in rationibus ſuis repoſitum habeant. Da igitur, quaeſo, operam, ut primo quoque tempore perſpiciant, eas futilitatis multum, ſoliditatis autem parum habere: adeoque non minus facile diſcuti diſſolvique poſſe, quam Solis ſplendore nebulae diſcutiuntur, calore autem diſſolvuntur ac liqueſcunt nives. Hoc ipſo, crede mihi, alios quidem in Orthodoxa veritate; alios vero in praeclara de te opinione plurimum confirmabis. Quicquid reſponderis, id per nos commodisſime ad Gallos curabis, qui mittendarum in Galliam literarum oportunitate caremus pene nunquam. D. Tilenus proximis lite-

literis officioſam ſalutem aſſcribi tibi voluit. Communicavit mihi ſuas de obedientia Chriſti, eiusque ſpeciebus theſes: in quibus egregie ac ſolide confutat Polani ſententiam in Prophetae Danielis explicatione multis foliis tractatam, Chriſtum nimirum non fuiſſe pro ſe obligatum ad legis obedientiam. Pareus gravisſimis eiusdem Tileni argumentis compulſus, tuam de Iuſtificatione ſententiam in doctisſimo illo, qui nunc ſub prelo eſt, in Epiſtolam ad Rom. commentario publice profitetur ac tradit. Alioqui in diſtinctione δικαιώματος & ὑπακοῆς Rom. 5. v. 18. 19. novas quaerebat latebras. Sed de his alias ſcripſi latius ad D. Martinium. Adderem nunc aliquid de ſtatu publico civitatis Emdanae, ac privato D. Martinii; niſi iamiam diſceſſurus eſſet Generoſus Comes Iohannes, Dom. meus Clementiſſ. Quare vale diu ac feliciter, Clarisſime D. Piſcator, cum tota familia. Raptisſime ſexto Idus Octob.

LIX.

DAV. PAREVS PISCATORI.

S. Reverende & Clariſſ. D. Piſcator. Valde mihi eſt grata teſtificatio benevolentiae erga me tuae. Sed & vere dico me propter σύῤῥαξιν illam Logicam de praeclara tua eruditione ac pietate nunquam deſiiſſe optime ſentire, quod etiam ad D. Goclenium non disſimulavi, ac volui, ut is de meo in te animo tibi per occaſionem ſignificaret, ne ſiniſtre ſuſpicareris. Contradixi ſtudio non malo: ſi alicubi durius, ignoſce. Relinquamus nunc iunioribus diſputationes eiusmodi: me certe graviores plus ſatis exercent: & tu exegetica illa librorum ſacrorum Analyſi de Eccleſia multo praeclarius mereris. Recte vero D. Reidanus & de amore in te meo, & de approbatione diſputationis tuae ad te retulit. Teſtor enim, me retinere ſimplicem doctrinam de Iuſtitia imputata praeceptoris mei D. Vrſini, quia magis ac magis video eius conſenſum cum Scriptura & praecipuis noſtri ſeculi Theologis Luthero, Melanchthone, Calvino, Martyre, Muſculo, Oleviano, &c. imo quam ad ſolidam conſolationem ſit neceſſaria, apud me experior. Si enim res ea, quae ad iuſtitiam nobis imputatur ex duabus vel tribus partibus, puta, perpesſionibus Chriſti, actuali obedientia, & habituali ſanctitate

humanitatis eiusdem (ſcis, hanc eſſe D. Bezae ſententiam, quam ad me etiam non diſsimulavit) ſit conflata, quomodo non diſtrahetur fides noſtra, partem iuſtitiae hic, partem ibi quaerere ſatagens? cum ſcriptura perpetuo in ſanguine, morte, cruce, humiliatione, &c. Chriſti omnem conſolationem oſtendat. Et quomodo non vel ſanguini Chriſti, vel iuſtitiae Dei derogabitur? Duae enim vel tres illae iuſtitiae noſtrae partes vel erunt totidem perfectae Chriſti iuſtitiae ſatisfacientes legi per ſe ſingulae. Si illud, utique derogabitur obedientiae & merito Chriſti. Si hoc, iniuſtus videbitur Deus, qui pro una offenſa duas vel tres perfectas ſatisfactiones poſtulet, cum iuſtitia eius non niſi unam requirat. Sentio igitur cum ſcriptura, materiam iuſtitiae noſtrae, non tantum ex parte, ſed integram conſiſtere in morte & ſanguine, h.e. *κατὰ συνεκδοχὴν* in tota humiliationis obedientia: remiſſionem peccatorum eſſe non tantum partem iuſtificationis, ſed integram iuſtificationem noſtram ex Rom. 4. Beati, quorum &c. & Eph. 1. Col. 1. In quo habemus &c. & abſolvi a peccato & reatu non modo idem eſſe, quod non iniuſtum eſſe: Sed & idem, quod iuſtum eſſe coram Deo: eo quod inter peccatum & iuſtitiam impoſſibile eſt medium dare in iudicio Dei. Hanc ſententiam D. Vrſinus conſtanter & ſerio tradidit ſcholae ſuae, nec tantum pro cogitationibus habuit, ut quidam ex noſtris auſus fuit affirmare. Haec eius perpetua vox erat, Chriſtum duas iuſtitiae veſtes habere: Vna ipſum iuſtum eſſe Deum & hominem: alteram nobis donare. Repetiveram eam in Explicationib. Catecheticis: ſed quanto cum periculo meo, fortaſſe inaudiviſti. Perſuaſerunt nonnulli, aulae & Principi, novam opinionem me ſerere. Hinc ventum eſt ad collationem: editio libelli totum ſemeſtre inhibita: donec tandem tollerentur ea, quae ipſi improbabant. Vidi abs te in * praefatione quaeſtionem hanc tractari, etiam priusquam tuas acciperem: & gratulatus mihi ſum ad D. Grunradium ſcriptum eſſe. Neſcio an hactenus intellexerit controverſiam. Hoc ſcio, uno D. Toſſano (nam Iunium inter noſtros iam non cenſeo, quia Academiae renunciavit) excepto, mini ſtros omnes, ipſumque D. Kimedoncium non ſecus ſentire & docere. Itaque teſtor me approbare & quae in diſpu-

* *ſc. Analyſeos quinque poſtremarum Epiſtolarum Pauli.*

ſputatione * illa prolixiore de hoc argumento ſcripſiſti: & quae praefationi iam doctiſſime inſeruiſti: neque enim puto, te (quod nonnulli cavillantur, & mihi auſi fuerunt ad Principem in cenſura quadam impingere) per mortem Chriſti ſolam mortem in cruce intelligere: excluſis paſſionibus in horto & totius reliquae vitae, quae profecto, ut etiam Catecheſis noſtra habet, nihil fuit niſi continua quaedam paſſio pro noſtris peccatis. Proinde ego ambiguitatis tollendae cauſa, mortem per totam obedientiam humiliationis usque ad mortem crucis cum Apoſtolo Phil. 2. explicare ſoleo: ac ſimpliciter hanc ſententiam meis diſcipulis trado, absque diſputatione de diverſis ſententiis: quod videtur omnino nunc faciendum, ne & fratres, qui diſſentiunt, offendamus, & adverſariis anſam praebeamus diſſenſionem noſtram traducendi. Ceterum pro Analyſi tua magnas tibi gtatias ago, ac faciam, ut brevi, ſi Deus volet, ἀντίδωρον literarium ad te mittam. Vale, Vir Doctiſſime, & me amare perge: Dominus Ieſus te cum tuis diu incolumem ſervet. Salutes ex me velim D. Iodocum, & Typographum Corvinum olim mihi familiarem. Heidelbergae raptim Nonis April. Anno 1592.

Titulo Doctoris ne me graves.

LX.

DAV. PAREVS PISCATORI.

S. Francofurti aiebat Typographus veſter, te iſthic etiam eſſe, Reverende frater: doleo autem, quod in te non inciderim, ut coram colloqueremur. Non amplius diem ſubſiſtere potui: quo factum eſt, ut neque monſtrum illud Ybericum cernere vel compellare licuerit, quem tamen audio pro meritis ibi tandem acceptum & exploſum eſſe. Vidi diſputationes tuas contra Schafmannum: nondum tamen legere potui: huius vero theſes nuper aſpexi obiter. Sed quid facias iſtis duarum literarum ſtentoribus? Si millies repreſſeris, millies tibi reponent crambem, ſo bleibt Wack ein Stein. Adeo durae vel nullius potius ſunt frontis. Nolunt parem vel conciliationem ullam: Sed omnia ſua portenta, ſibi ſalva volunt. Quo magis conſtringuntur, tanto furunt atrocius. Quid igitur in ſcriptionibus amplius ſpei ad concordiam eſſe poſſit, equidem non video.

* *ſc. contra Bellarminum.*

deo. Mittendi itaque videntur iudicio Dei. Sed non deſerenda veritas eiusque defenſio propter bonos, qui paſſim inter hos conflictus ſuſpiriis contabeſcunt. Vah quantas Deo reddituri ſunt illi rationes, qui afflictiſſimam Eccleſiam tam petulanter perturbant. Heilbrunnerus tandem etiam contra Beumlerum & me licet non nominatim cantilenam ſuam redorſus eſt. Sed percinat ſane unum ſemeſtre: certum eſt, quod exacta hyeme, nobis tacentibus, refrixerit & conticeſcet. Idem omnino iudico de aliis id genus ſemeſtribus ſcriptis. Vidi Pſeudocalvinum Iudaizantem teutonicum. Doleo tam horrenda ſpargi in vulgus, quorum explicatio etiam eruditos exercet. Nihil interim ego contra cogito, niſi ſuperiorum authoritate inducar. Tu vero praeclare de ſcholis mereris, dum ſacras tuas analyſes & notas pertexere non deſieris. Vtinam alii oleum & operam ad ſimile ſtudium traducerent: atque etiam nobis id facere liceret. Habeo plerasque omnes tuas analyſes, & libenter adhibeo meditationibus meis. Lucam tamen nondum vidi. D. Caſparus Laurentius Geneva nuper ad me miſſo conſenſu orthodoxo ſuo controverſiae mentionem fecit de iuſtitia paſſiva, non obſcure defendens tripartitam imputatae iuſtitiae materiam, quam aperte articulo V. poſuit. Etiam tui mentionem fecit: quaſi hanc controverſiam tractatu tuo de Iuſtif. nuper edito moviſſes. Excuſavi te: nec quid ſentirem diſſimulavi: Iudico autem prudenter te facturum, ſi ne nunc quidem partem alteram, quae hanc controverſiam concernit, emittas: ne ſine cauſa videaris pomum Eridis cuiquam obiicere. Theſes de fine ſeculi accepi a noſtro Perizonio: & grates habeo. Olevianus noſter gratuito ſtipendio fruitur in noſtro collegio: & ſic facit officium, ut bene ſperem. Vale, Vir clarisſime, meque quod facis ama. D. Ieſus tibi & collegis, univerſaeque ſcholae & Eccleſiae affatim benedicere pergat. Heidelb. 24. Sept. Anno 95.

LXI.

DAV. PAREVS PISCATORI.

S. Oblata hac occaſione, Vir clarisſime, frater honorande, volui te duabus de cauſis potisſimum hiſce ſalutare: primum, ut tibi tuis-

tuisque Dominisque Collegis hunc Michaelem Surium, Vngarum, iuvenem egregie doctum Academiae noſtrae civem, commendarem. Cupit enim ſcholam veſtram aliquandiu inviſere: quem proinde, ut Theologiae ſtudioſum non vulgarem, accipias oro. Deinde non ſemel ad me ſcripſit tua cauſa Vir clarisſimus Tobias Fiſcher, Medicinae D. Schvvidnicii in Sileſia: ambiens ut aliorum clarorum virorum: ita & tuam amicitiam, quippe qui te ex lucubrationibus ſacris colit ut praeclarum Eccleſiae organum. Si igitur lubebit aliquando eius deſiderio vel verbo ſatisfacere, ad me ſaltem mitte. Curabo, ut tuto ei reddantur tuae. D. Vorſtius de apoſtaſia ſe diligenter apud nos purgavit. Longe lateque ea fama ſive calumnia pervagata eſt ad fratrum aures. Et ego quidem accipio purgationem. Tamen quia ſatis conſtat eum & fundamentum Socinianiſmi de iuſtitia Dei arbitraria adhuc tenere, & cum Socinianis literas commutare, ne Rhenius quidem eum a ſuſpicione ἑτεροδοξίας ſatis perpurgabit. Deus vero nos omnes ſanctificet in veritate. Rogo, ut fratres meo nomine plurimum ſalutes, & valeas quam optime. Raptim Heidelbergae 15. Sept. 1601. De fato Scholae noſtrae habebis vivam epiſtolam.

LXII.
DAV. PAREVS PISCATORI.

SAlutem. Etſi vir clarisſime defeſſus prope ſim ſcribendo varia ad varios, ut circa hoc tempus fere mihi fit, forte & tibi: tamen occaſione oblata per hunc iuvenem eruditum, qui ad vos hinc concedit, Peltarium, non potui, quin paucis tibi ſignificarem, me & valde approbare humanitatem tuam, quod tot iuvenes ex veſtra ſchola huc venientes literis tuis commendare non ſis gravatus: & gratam habere benevolentiam, quod eosdem mihi. Vtinam deſideriis eorum, ut quidem cupio, gratificari ſatis queam. Quantum tamen queo, ſtudiis & commodis ingenuorum adoleſcentum libenter ſervio. Samuelem Cutſemium Weſal. merito amamus propter ſingularem modeſtiam & diligentiam: & Academia nuper ſuprema laurea Philoſophica eum magna cum laude condecoravit. Impetravit interim a ſuo Senatu auctarium ſtipendii, ut commodius hic

 vivat.

vivat. Ruinae domus Caſimiranae magno ſumtu reparandae fuerunt, ad quem utcunque ſarciendum vel comparcendum SC. de annua cuiusque ſtipendii vacatione factum haud dubie inaudiviſtis. Id facit, ut minus multi nunc recipiantur. Paulatim tamen aditus pluribus pateſcet. Waltherum Sileſium Poëtam, ut ex carmine apparet, non inelegantem, iuvabo pro virili. Hodie acceſſit Edmondus Edmondi, liberali ut videtur indole, cuius ſtudia etiam mihi curae erunt. Περὶ τῆς δικαιώσεως noſtros inter ſe diſceptare non minus foedum eſt quam exitiale Eccleſiae. Etſi igitur iudico rectius facturum fuiſſe legatum Gallicum, ſi approbatione articulorum confeſſionis Gallicanae apud vos contentus fuiſſet: tamen nec conſulo tibi, ut controverſiam tibi, quod ſcribis, a fratribus Gallicanis motam, rigidius perſequaris, nec me ei admiſcere cogito. Potuiſti enim iam pridem ſententiam meam intelligere, quod ut argutam illam imputationis partitionem non probo, ita actualis obedientiae meritum a cauſa iuſtificationis excludere non poſſim; quandoquidem Apoſtolus absque partitione & absque excluſione cauſam veniae ad totam Chriſti vitam & obedientiae curſum totum extendit Rom. 5. Phil. 2. quantumvis alibi pretium liberationis noſtrae morti quaſi proprium aſſcribit, ut rectisſime explicavit Calvinus Inſt. l. 2. c. 16. §. 5. in qua ſententia libenter acquieſco: utque tu acquieſcas pacis cauſa te hortor. „Cogitavi, ſcripſi, diſceptavi de hoc argumento, ſi quis-„quam: & multa me docuit Paulus, dum in eius explicatione verſor. „Plus ſatis litium habet Eccleſia: dum quisque ſuas opiniones pro „ſcriptura mordicus defendit. Quam vero eſt triſte, dum alii vul-“neribus Eccleſiae acetum infundunt, domeſticas etiam ungues in-“ferre? certe graviores ab his rationes Deus exiget. Bene vale. Heidelb. 12. April. 1604.

LXIII.

DAV. PAREVS PISCATORI.

SAlutem. Revende Vir, ac frater in Domino honorande. Quia ambigebam, uti innui, quasnam velles meas ad Vorſtium illum neſcio an noſtrum amplius, (erupiſſe enim dicitur ex Hollandia) literas, deſcripſi poſteriores. Priores, quas petis, de iuſtitia Dei vindica-

dicatrice nunc mitto a Mylandro ruditer ſatis deſcriptas: Sed forte parum tuae ſatisfacient exſpectationi, quia illis non hoc egi, ut argumenta Vorſtii, quae erant Socini, contra abſolutam, uti vocas, ſatisfactionis neceſſitatem, refutarem: Sed ut iuſtitiam vindicatricem Deo naturaliter ineſſe docerem, modum vero eius exercendae in Deo liberum oſtenderem. Videbis autem quam amice & fraterne hominem monuerim, quia nihil eorum ſuſpicabar tunc, quae paulatim deinceps prodidit, quaeque nimis docent, eum intus Sociniana haereſi penitus imbutum, foris colores adhibuiſſe, omnibus turpiter illuſiſſe: Vtinam non ſibi. Parit ea res, crede, mihi dolorem & indignationem haud levem. An Steinfurtum redierit, vel aliorſum latendi cauſa ſeceſſerit, nihil audio. Si, quod metuunt nonnulli, in caſtra adverſaria profugit, tunc vere Vorſtium ſe praebebit: Sed minus periculi erit ab hoſte aperto, quam a falſo fratre. Deo enim impune non illudet ſicut nobis. De Eccleſiis Belgicis melius videtur ſperandum. Nam antagoniſtae Orthodoxi non ſunt pauci, qui ſe opponunt reliquis duobus coryphaeis: & his langueſcentibus a reliquo grege minus erit periculi. Deus vigilet pro ſuis. Heri magiſtratum meum depoſui: Extremum programma tibi mitto. Cupio te Eccleſiae diu incolumem manere: & genero tuo D. Erneſto Nolde bene precor. Eum ex me ſaluta peramanter. Vale Heidelb. 21. Decemb. 1611.

† † †

Epiſtola extemporanea Davidis Parei ad D. Cunradum Vorſtium Leydae agentem.

SAlutem. Cum anno 97. theſes tuas, clariſſime D. Vorſti, de ſervatore Ieſu Chriſto & de praedeſtinatione ad me miſiſſes: meminiſti, quam reverenter & candide iudicium meum, quod petebas, tibi communicaverim: licet illis fundamentum fidei de Chriſti morte & merito labefactari intelligerem: Iſtis rigidior mihi in cauſa reprobationis poſitivae videreris. Poſt illa, cum tacite pergeres θεολογεῖν ex Socino (meminiſti tui termini) non ceſſavimus nos te fraterne dehortari literis, & coram. Tu polliceri omnia: charitate voluiſti iudicari: Fecimus: ego cum primis eius mihi ſum conſcius:

ſcius: quod vel teſtabuntur illae, quibus te ad acceptandam Marpurgenſem profeſſionem hortatus fui. Deinceps coepit Harminianum ſchiſma, cui tu te infeliciter immiſcuiſti. Legi quaedam Harminiana: legi praefationem Anti-Bellarminianam tuam ad Ordd. Legi tua de Deo, cum Apologia Latina & Belgica. Quid quaeſo cenſes animi aut ſpei nobis tandem de vobis ſupereſſe? Non vultis, Eccleſiam Catecheſi Palatinae adſtrictam eſſe. Libertatem prophetandi vobis poſtulatis. Si dicamus, inique vos dogmata catechetica tot Martyrum ſanguine ſcripta firmata convellere? veſtras novas Prophetias antiquis praeferre, charitatem in nobis deſideratis. Sceptice interim omnia veſtra per VIDETVR proponitis: non rotunda phraſi nobiſcum loquendum, ſed noſtris nos verbis circumveniendos eſſe cenſetis. Tua Apologia, quam mixturam opinionum nobis propinat? Si Scotus, Thomas, Puccius, Socinus (Pelagium antiquum mitto) legerent, nonne ſua recognoſcerent? Scis ita rem eſſe: de Orthodoxa noſtra Theologia, a te iurata, defenſa, vix aliquot verba te retinere, & quae retines, bonis omnibus non poſſe non ſuſpecta eſſe. Quid faciam? Quia tuam ſalutem amavi & amo: Te rogo & hortor, ne pulchrum tibi ducas, eſſe Davum in hac fabula: imo unguem in ulcere Eccleſiae. Ad huius aedificationem non perturbationem Deus praeclaris te dotibus ornavit, quae in te ſemper agnovi. Cogita brevi graves de his rationes tibi reddendas. Quidni igitur hoc tandem agis: ne tot exegeſibus, apologiis, defenſionibus tibi ſit opus: ut vel candide & palam in caſtra illa, unde armaturam tuam habes, tranſeas: vel candide & palam illis renuncies. Neutrum ſi feceris, tu quidem perges aliquandiu eruditis illudere, rudioribus imponere: Sed ſero te triſtiſſimis implicatum malis ſenties: niſi forte ſentire coepiſti.

Haec ego David Pareus ſenex, brevi migraturus de ſtatione ad Dominum, per D. Zonſium amicum noſtrum. Vale. Heidelb. 7. Nov. 1611.

LXIV.

LXIV.

DAV. PAREVS PISCATORI.

SAlutem. Reverende frater. Nolui filium tuum Ioh. Georgium, qui hodie ſtipendium Caſimirianum nobis reſignavit, vacuum dimittere. Et de ipſius quidem indole excitatiore bene ſpero, ſi cultura porro acceſſerit. De meis pauculis mihi, de tuis pluribus filiis eſt per Dei gratiam, quod tibi gratuler. Sint utinam poſt nos ſalutaria organa ſcholis, Eccleſiis, Reipublicae, Deo. Vegetam ſenectam diu tibi precor. D. Grynaeus praeit aetate & flore: utinam & ille diu. Video enim, quid iuvenilia fata portendant. Ego proxime vos ſequar: Nunc Dei gratia, viribus reparatis integer: nuper dyſenterico malo hic tum graſſante ad portas mortis fere detruſus. Irenicum de unione & Synodo cum Lutheranis non tam meo quam alieno arbitrio prodiit: Praevidi eventum, quem hactenus ſentio. Ita enim fere excipiuntur, qui pugnantibus intercedunt. Ieſuitae & Lutherani quaſi conſpiratione facta reclamant: indignis modis cauſam, me exagitant: quibus ego brevem proteſtationem ex lecto opponendam duxi, quam tibi mitto. Non video quomodo compeſci poſſint ſtylo defenſorio, vel iſti, vel tui Vorſtiani, ſive Bertiani: Stylo offenſivo in Pelagianas lacunas perturbandi ſunt, ut quid agant, mundus ſentiat: Schema Bertianum de Tiberii ſcelere, cui praedeſtinationem divinam comparavit, non legi, niſi in meo Antagoniſta Sigvvarto. Quam velim id ad vivum retexere: Sed non tulit brevitas proteſtationis. Profecto nulla parte reſpondet Sigvvartus, tuas reſponſiones ut frigidas protulit. Sed non dubito ſolidiores eſſe. Mihi enim videre non contigit, legere etiam vix vacat. Vtinam ſcandalorum tandem finis. Vix aliud plauſibilius habent ſchema, quod ſibi praetexant Ieſuitae, Vbiquitarii, quam diſſidium Belgicum. Scripſit iam ille purpuratus Saxoniae primus: Quid in Synodo ſperemus pacis cauſa conceſſuros nobis, cum ſuis in Belgio ne iota concedant? Talibus prophaſibus vulgus nunc dementatur contra veritatem. His nundinis duo germanica ſcripta ſub nomine Chriſtiani Gotlieb & Chriſtophori ab Vngerndorf ex officinis Ieſuiticis Germanice in vulgus prodierunt plane φορτικά, tu-

bae belli civilis in noſtros: Thema utriusque eſt: Calviniſtas omnes eſſe perduelles, Imperii Rom. hoſtes iuratos. Calvinus, Aretius, Graſſerus, Pareus Principum incentores proclamantur, quod in Caeſarem inſurgere debeant: ſed apertis calumniis. Politici motus ad me non pertinent, niſi paſſive. Doctrinam meam Deo & Eccleſiae probabo. Deus inſpiret noſtris ſana conſilia pacis. Feliciter diu vale. Heidelb. 9. Octob. 1616.

LXV.

PAREVS PISCATORI.

Salutem cum benedictione a Domino.

REverende Domine Piſcator, frater honorande. Ex tuis gratum fuit cognoſcere, commentariolum meum tibi redditum, & dedicationem non ingratam eſſe: nec minus mihi gratum, quod cito perlectum probaveris, exceptis notis quibusdam, ex quibus nonnullas μνημονικὰς & leviores illico agnovi, alias graviores vel ambiguas conſiderabo, pro omnibus vero, & pro labore candoreque tibi gratias ago, relaturus publice, ſi Dominus aliquando alteram curam conceſſerit. Monitu viduae Roſanae, in recognitione Apocalypſeos meae nunc verſor. Significabat enim deficientibus exemplaribus ſe alteram editionem parare: quae recognita nunc ſub incude eſt. In methodo & myſteriorum explicatione nihil habui, quod mutarem vel emendarem, praeter γραφικὰ καὶ τὰ πρὸς ςύλον. Millenarium argumentum, in quo nunc verſor, diligentius pertractandi occaſionem mihi praebuit quidam Geygerus ſuis notis, quas ad me miſſas varie ſparſit. Non iudico hominem, niſi quod neſcio mentis an iudicii ἀῤῥωςία in hoc myſterio omne punctum religionis & pietatis ſitum exiſtimans, motis litibus cum fratribus non neceſſariis, relictaque Eccleſia, coniuge cum liberis, Pragam ad Regem cum fruſtra excurriſſet, nunc cum familia ſine functione miſeram hic vitam degit. Fateor me opinionem illam de millenario regno & reſurrectione prima corporali poſt abiectam beſtiam in ſtagnum ignis, ſeu poſt ruinam Papatus futuram, quam ex tua Apocalypſi ille tuetur, cum Scriptura & fide conciliare

ac

ac probare non poſſe. Rationes itaque tuas, & notas ipſius, modeſte ac planius excuſſi, duriuſcula vel offenſioni obnoxia ſuſtuli vel emollivi, ut ſperem te, lectis & ponderatis omnibus, cum Auguſtino, qui ſe idem aliquando opinatum fuiſſe, ſed ſententiam mutaſſe fatetur, acquieturum eſſe: quod ut nova illa commentariorum tuorum editione facias, te etiam atque etiam rogo. Feliciter vale. D. Altingus ὀφθαλμίᾳ nunc male affectus te reſalutat. Heidelbergae: Ipſa Pentecoſtes 1621.

LXVI.

DAVID PAREVS PISCATORI.

S. Reverende frater, amice honorande in Chriſto. Cum menſibus ſuperioribus mihi quendam commendares & mitteres duos Lichenſis typographiae libellos, quos habui pergratos: ita occupationibus diſtinebar, ut illico reſpondere non daretur. Interim vix occaſiones ad vos ſcribendi fuerunt. Nunc idoneam oblatam nolui negligere. D. Maurus collega tuus & D. Snabelius inter alia de controverſia veſtra περὶ δικαιώματος iudicium meum percontati ſunt, quod paucis illis expoſui: & quia tu etiam a me petebas, ad te perſcribere breviſſime eſt viſum. Audio controverti de materia iuſtitiae noſtrae, ſitne ſola paſſiva an & activa iuſtitia Chriſti: per paſſivam autem audio intelligi ſolam Chriſti mortem: per activam antegreſſam eius vitam. Videte, ne Satanas vos circumveniat. Vulnus ſane lethale Eccleſiis veſtris infliget, niſi providetis. Si enim ad vicinorum aures certamen veſtrum emanaverit, quos plauſus illi attollent? & quantorum ſcandalorum authores vos extiteritis? Partitio illa nec Scripturis nota eſt nec Theologis Luthero, Melanchthoni, Calvino & aliis & mihi quidem videtur anſa eſſe magnae λογομαχίας. Quaſi vero in activa quam vocant obedientia non ſint paſſiones innumerae: in paſſiva contra actiones multae. Qui igitur materiam iuſtitiae noſtrae ſic bipartiuntur aut etiam tripartiuntur, ut in morte remiſſionem peccatorum, in activa obedientia iuſtitiam, in habituali ſanctitate originalis mali tegumentum oſtendant, ſubtilius videntur rem explicare, quam Scriptura ipſa & non parum periculoſe, meo quidem iudicio. Quomodo enim non di-

ſtraheretur fides noſtra, partem iuſtitiae hic, partem ibi, partem alibi quaerere iuſſa? Imo quomodo non derogabitur ſanguini Chriſti, ſi nos iuſtificare negabitur? Et quorſum mortuus Chriſtus, ſi iuſtitia noſtra ex vita eius antegreſſa? Rurſus ſi iuſtitiae materia dicatur mors ſola, quorſum antegreſſa humiliatio, forma ſervi aſſumta, ſervitus legis, egeſtas, exilia, perſecutiones, fames, ſitis, miſeriae, illuſiones, vincula denique & crucifixio ipſa? quibus ſane omnibus Chriſtus homo ſanctiſſimus ex regula iuſtitiae divinae per ſe minime fuit obnoxius. An igitur haec omnia ex merito excludi poterunt, quae non niſi noſtro reſpectu noſtraque cauſa ſubiit? imo quae totidem fuerunt mortes vel certe continua quaedam paſſio filii Dei pro nobis? Ego igitur rem breviter ſic exponere ſoleo, univerſam humiliationis obedientiam, quae morte terminatur, meriti rationem habere nobis imputati per fidem, atque adeo συνεκδοχικῶς ſanguinis & mortis nomine cenſeri. Quomodo inquis? Primum diſtinguo in Chriſto iuſtitiam Perſonae & iuſtitiam meriti, quaſi geminam veſtem, ut loqui ſolebat Vrſinus, praeceptor meus, quarum priore Chriſtus ipſe ornatus erat: alteram nobis donat, noſtram tegens nuditatem & ſordes. Iuſtitia perſonae divina & humana eſt, tum eſſentialis illa iuſtitia Deitatis, tum formalis illa ſanctitas humanitatis, qua Chriſtus Deus & homo totus fuit purus, iuſtus, ſanctus, in vita & in morte. Talis enim nobis conveniebat Pontifex, iuſtus, ſeparatus a peccatoribus &c. Ex hoc puriſſimo principio fluxit iuſtitia meriti h. e. univerſa humiliationis obedientia, tum in vita, tum maxime in morte elucens: de qua tota perſpicue ſatis Apoſtolus ſine partitione ſineque excluſione ulla: Cum, inquit, in forma Dei eſſet, exinanivit ſe ipſum, forma ſervi aſſumta &c. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Item factus pauper propter nos, ut nos &c. Item ſic, obedientia unius iuſti conſtituuntur multi. Vtraque igitur iuſtitia per totam vitam Chriſti ſpargitur. Sed poſterior maxime in morte eluxit, tanquam in Colophone: unde ad hanc potiſſimum ſcriptura fidem noſtram remittit. Ad hanc igitur non ſola referri poteſt paſsio extrema, ſed & tota antegreſſa vita ſanctisſima atque adeo ipſa legis obedientia referri debet, quatenus fuit ſervitus legis & miſeria pro nobis

ſpon-

ſponte ſuſcepta. Interim principium formale totius huius obedientiae fuit iuſtitia illa perſonae divina & humana, a qua pendebat totius meriti dignitas. Hac ſententia, quae eſt ſine dubio ſcripturis conſentanea & a Theologis maioribus noſtris probata, credo omnibus poſſe ſatisfieri, modo candide res agatur, neque quaeratur nodus in ſcirpo. Audio in veſtra Eccleſia propter hanc cauſam prope ad excluſiones ventum. Ne quaeſo, mi frater, iudicium praecipita: potius aedificate vos cum Spiritu manſuetudinis & lenitatis, & cogita totam hanc rem ita explicari poſſe, ut neque periculoſa illa partitione iuſtitiae Chriſti, qua quidam fratres cum veſtro offendiculo utuntur, ego (ut ingenue fatear) uti non ſoleo: neque contra ſtricta illa excluſione humilitatis antegreſſae, qua vos alios fratres offenditis, multum ſit opus. Haec paucis, mi frater, ad ſuperiores tuas de hoc argumento, ut quidem calamus currens mihi dictavit, reſpondere eſt viſum: quae, ſi tibi ſatisfacient, erit quod nobis gratuler: Sin autem, in meliorem tamen partem interpretaberis, & de re tota amplius cogitandum tibi eſſe cogitabis. Bene vale. Heidelbergae poſtridie Petri ad Cathed. Anno Sal. 1598.

LXVII.

BERNHARDUS FULLENIUS PISCATORI.

VEritus equidem fuiſſem, Ornatiſſime Domine Piſcator, fautor & praeceptor colende, ne hoc meum per literas iam ſecunda vice tecum inſtitutum colloquium, & huic coniuncta animi libertas & παῤῥησία, vel temeritatis vel arrogantiae nomine inſimulari poſſet, quod homuncio in imis vix vel Philoſophiae vel Theologiae ſubſelliis haerens cum exercitato & Philoſopho & Theologo verba commutare non erubeſcam: niſi de ſingulari tuo animi candore & benevolentia ac amore cum erga alios omnes, tum vero erga rei literariae addictos ſummo, abunde mihi conſtitiſſet. Sunt enim ita male feriati homines nonnulli, qui non niſi ſummum cum ſummo, doctum cum docto colloquium inſtituere licere arbitrantur.

tur. Ego vero, quoniam ſemper mihi gratulatus ſum, & non niſi ſumma animi recreatione & laetitia memoria recolo, quod Iohannem Piſcatorem praeceptorem & fautorem optime meritum nactus ſim, poſthabita ac ſpreta illorum cenſura, Deo volente, poſt ſtudium pietatis & timoris DEI nihil prius nec poſterius habebo, quam ut conciliatum hunc viri optimi & amicisſimi favorem, quibuscunque poſſum officiis aut ſtudiis ſaltem, foveam, adaugeam, confirmem. Polliceor mihi hoc de te, amicisſime D. Piſcator, & pollicebor impoſterum, adeo non ingratum tibi fore qualecunque hoc meum vel officium, vel ſtudium, ut contra potius longe gratisſimum tibi ſit futurum. Ne autem inani verborum ſtrepitu tuas everberem aures, aut in verborum Oceano, rerum prorſus neglecto, navigem, de Academiae noſtrae ſtatu & exoticis quibusdam ac in vicinia obviis pauca hoc loco attingam. Academiam hanc noſtram a Flacianorum rabioſe veritatis orthodoxae clariſſimo & auguſtiſſimo fulgori allatrantium faece maiori ex parte purgatam eſſe, iam pridem tibi conſtare arbitror. Ante annos plus minus 4. D. Polycarpus, dehinc poſt annos duos D. Matthaeus, ante annum D. Mylius, qui ante annos iam 8. Auguſtae Vindelicorum primatum ſeditioſe affectabat, iuſſu Illuſtriſſimi Principis Chriſtiani, loco hoc exceſſerunt, in quorum ſtationem Orthodoxi quidam ſucceſſerunt, ut D. Henricus Maius, & ante dies iam 14. D. Vrbanus Pierius vir pius & ſolide doctus, & cum zelo pio erga religionem affectus, qui ipſe Superintendens harum Eccleſiarum conſtitutus eſt; brevi etiam ſucceſſurus quidam M. Petrus Calaminus Sileſius, Magni illius Vrſini in annum quartum olim diſcipulus, vir etiam inſigniter eruditus, & in religione candidus ac purus. Ante dies non multos Dreſdam vocatus, concionem probae (uti vocant) ibi habuit, eamque tam excellenter bonam, ut ſibi ſuo pariter & noſtro nomine orthodoxi aulici, qui religionis negotium ſedula cura promovere ſtudent, multum de hoc Viro ſint gratulati. Ita, ſi Deus volet, purgatiorem paulatim & reformatiorem illuſtrem hanc Academiam videbimus. Paſtor noſter, dictus Vrb. Pierius heſterno die Auguſtanam confeſſionem exorſus eſt explicare: Quo conſilio id factum ſit, dubio procul Dominus Piſcator probe intelligit. Explicationem

autem

autem articulorum huius confeſſionis primo ex limpidiſſimis fontibus Iſraëlis, poſtea ex orthodoxae antiquitatis conſenſu, denique etiam ex bonis, ſi quando locum habent, rationibus depromit. Orationem explicationi huic ex more praemiſſam ante dies iam 8. tanta ſtili gravitate, tam pathetico ſermonis genere & querimonia de damno huic Academiae & Eccleſiae una cum finitimis a foedis quibusdam cuculis & rabioſis canibus elapſis, proxime temporibus illato, habuit, ut etiam ter illi excuteret lacrymas, mox tamen, licet vix vi, repreſſas. „In Selnecceri locum etiam pius & orthodoxus“ Lipſiae eſt ſubſtitutus, ac Flacianus quidam verbi miniſter illinc“ etiam nuper in momento quidem, ita ut ne uxori ac liberis valedi-“ cere licuerit, diſcedere coactus fuit.“ D. Mylius ante dies plus minus 14. Ienae diſputationi de controverſia coenae Domini praefuit, in tertium uſque diem duranti. De impiorum manducatione adeo & craſſa & impia ac auditu horrenda propoſuit, ut etiam dixerit, impios haud ſecus comedere corpus Chriſti, atque ebrius quidam, qui cibum recens aſſumptum ac ſemicrudum etiamnum, per vomitum rurſus egerit (ſtatuerat enim corpus Chriſti in os aſſumi, dentibus maſticari, & in ventriculum deſcendere, & neſcio quae alia) cum autem tandem multis modis urgeretur, nec elabi poſſet, imploravit Medici cuiusdam Doctoris iudicium, numne aliquis cibus etiam in ore concoqui poſſet: Qui reſpondiſſe dicitur: Clariſſime Domine D. nos Medici iudicamus & fatemur, aliquem cibum adeo ſubtilis eſſe ſubſtantiae, ut etiam mox in ore evaneſcat. His auditis alto & iactabundo ſpiritu & ſermone dixiſſe perhibetur Mylius: Stat igitur dictum illud Lutheri &c. In fine ſuarum theſium adeo acerbe Calvinianos (ut ipſe vocat) exagitat, ſugillatque, ut dici non poſſit. Simon Pauli apud Roſtochienſes ſingulis ſuis concionibus etiam hanc impiam precationem infarcire non veretur, daß GOtt ſie für die mörderiſchen Calviniſten behüten wolle. D. Ioh. Maioris Epigrammata in D. Selneccerum & Nicodemum Friſchlinum literis his inſerta transmitto, additis etiam aliquot Epitaphiorum in Iacobum Andreae exemplaribus, quorum unum mitto Iohanni Sodingo, cui etiam officioſe ſalutem dico (literis meis libenter ipſum compellaſſem, niſi de ſuo iſthinc cum generoſis Comitibus diſceſſu

iam

iam iam inſtituendo rumor quaedam huc attuliſſet) alterum exemplar paſtori veſtro D. M. Nahum ſingulari meo (uti narratum mihi hic eſt) fautori, dicta prius ex me ſalute, dari cupio. Parentationem D. Maioris Illuſtriſſimo Principi Auguſto Duci Sax. quartum factam Domino Piſcatori transmitterem, niſi ea talis eſſet, ut Ioh. Piſcatorem, non multum inde laetitiae percipere poſſe exiſtimem. „Suos cuculos, ranas, veſpas (i. e. Flacianos) mirum in modum car„mine iſto taxabat, & cum inter caetera Iacobi Andreae expreſſam „mentionem faceret, cruce ſe ſignabat, quae res multis riſum tunc „temporis movebat.“ De rebus bellicis certi nihil nobis hic conſtat. Certum erat, quod Illuſtriſſimus Princeps noſter Chriſtianus & alii cum ipſo Navarreo ſuppetias laturi fuiſſent & magnam militum copiam in Galliam transmiſſuri, niſi Turcarum in Germaniam irruptiones ex ſignis non obſcuris metuendae fuiſſent. Quid igitur in hac re futurum ſit, non facile etiamnum quiſpiam determinaverit. Haec ſunt, Doctisſime Piſcator, quae in praeſentiarum ad te ſcribenda duxi, quae ut eo animo ſuſcipias & interpreteris, quo a me proficiſcuntur, omnem in modum te rogo. Si in proximis nundinis Franckfurtenſibus tua R. D. paucula mihi reſcribere non dedignata fuerit, tam equidem mihi gratum erit, quam quod gratisſimum. Deo enim volente, ad annum unum hic adhuc morabor. Hoc autem etiam hoc loco addendum, quod multi hic Studioſi analyſin tuam in Inſtitutiones Calvini publici iuris fieri optant & petunt. Non dubito, quin res ipſa in multorum emolumentum ceſſura & redundatura ſit, ſi precibus hoc a Domino Piſcatore obtineri poſſit. Vale diu DEO, Eccleſiae & tuis. Vitebergae 6. Kalend. Aprilis Anno ſalutiferi partus cIↃ IↃ XC.

LXVIII.

BERNHARDVS FVLLENIVS
eccleſiaſtes Leovardienſis,
PISCATORI.

TErtium iam, Clariſſime Domine Piſcator, Praeceptor & amice longe in Chriſto chariſſime, ex hac Friſia, ubi, Deo ſic diſponente,

nente, Miniſterii munus & onus in metropoli eiusdem Leovardia ante decennium ſuſcepi, litterarum ad te inſtituo alloquium: rarius quidem illud, quam magnitudo tuorum in me collatorum beneficiorum, &, quae longiſſime his praeponderat, benevolentiae & amoris requirit: in quo ſi quid peccatum a me eſt; culpam deprecor, & peto, ut non mihi, qui tui nominis ſum ſtudioſiſſimus, & ſincero cordis affectu intime te in Domino complector, & de te tanquam viro apprime docto & praeceptore optime de me merito reverenter ſentio & loquor, ſed multitudini occupationum quibus tantum non obruimur in Civitate populoſa, id imputes. Atque his praefationis loco praemiſſis, veniendum mihi eſt ad id, quod cor meum & meorum Collegarum vulneravit maxime, nec minori nos affecit triſtitia. Quid vero hoc? inquies, Dicam, Inconſiderata & inaudita hactenus in Eccleſia Dei temeritas, quam Gallicae Eccleſiae ante annum in te inauditum, minimeque erroris convictum damnando, admodum inſulſe & ridicule non ſine damno Eccleſiae & praeiudicio veritatis exercuerunt, illud eſt, quod animum meum torquet & mordet. Quis non ingemiſcat ad tam inconſideratum & perverſum agendi modum, ipſi etiam gentiliſmo abominabilem? Si tua vel potius Vrſini ſententia de activa & paſſiva iuſtitia Chriſti ipſis diſplicet, argumentis, non ſententiis tecum agant, argumentis, inquam, non ex ſpecioſa ſpeculatione ſagacis ingenii, ſed ex fundamento ſacrarum literarum, quae fallere non poſſunt, depromptis, & ſic, ſi poſſunt, vincant. Hac via fuiſſet procedendum. Nunc vero a condemnatione incipiunt, & poſtea, ne argumentis quidem condemnatum erroris convincere ſatagunt. Vah quo prolabimur? & quam miſere conſulimus Eccleſiae ſatis alioqui afflictae & exagitatae? Deus illius miſereatur, & auctoribus harum turbarum benigne ignoſcat. Interim veritatem in nullius hominis aut hominum gratiam deſerendam arbitror. Me quod attinet, ex quo te Praeceptorem reliqui, ſaepius mecum ſollicite iſtam de activa & paſſiva iuſtitia Chriſti ſententiam animo meo volvi & revolvi, ſed in hodiernum usque diem ſolidi nihil in vulgata & recepta opinione invenire potui, ideoque Domini Vrſini & tuam de hac quaeſtione ſententiam tueor & tuebor in poſterum, donec ſolidis argumentis

me in erroris luto haerere, quis non dicat, ſed doceat ac demonſtret. Mei collegae (ſaltem duo ex illis) mecum in eadem ſunt ſententia: Similiter D. Sibrandus Lubbertus, Profeſſor Academiae Franekeranae, amicus meus familiariſſimus eandem fovet ſententiam, ſed abhorret a vocibus activae & paſſivae iuſtitiae, tantum inſiſtit phraſi Scripturae, & hoc mirum in modum mihi placet, ſic veritati non fit iniuria, & minus irritantur ii, qui mordicus veterem tueri ſententiam ſibi propoſuerunt. Alter collegarum meorum, iunior, cui nomen Iohanni Bogermanno, Vir doctus & eloquens, dixit mihi, ſe ſaepius cum Domino Beza, p. m. de hac controverſia contuliſſe, ſed nunquam Dn. Bezam ipſi ſatisfeciſſe, etiam cum aliis viris doctis ſe de hac materia locutum eſſe, ſed nusquam inventum eſſe, qui hanc recentiorem, vel rectius vetuſtiorem ſententiam argumentis ullis potuerit contundere. Specioſe quidem a nonnullis adferuntur, quaedam pro activa iuſtitia, ſed tamen talia, quae neutiquam meo animo ſatisfaciunt, quemadmodum inter alios Lucas Trelcatius Profeſſor Leidenſis in ſua Inſtitutione Locorum communium ante annum edita in loco de iuſtificatione & Rollocus Scotus in ſuo Commentario ad Cap. 2. Epiſtolae P. ad Coloſſenſes: ad quae, licet ipſe habeam, quod reſpondeam, tamen, ſi grave non eſt, etiam tuas ſolutiones libenter audire velim. Arcem ſuam & invictum robur, qui veterem opinionem tuentur, in eo collocant, quod ad plenam ſalutem opus habeamus non tantum peccati expiatione, ſed etiam dono iuſtitiae; illa, ut liberemur a morte & maledictione, hoc, ut coram iuſto & ſancto Deo poſſimus comparere. Fatemur utrumque; ſed quod ſubſumunt, illam nos acquirere paſſione & morte Chriſti, hoc ſancta Chriſti vita, id vero pernegamus, ac ratio eſt, quia utrumque ſcriptura ſacra ex morte Chriſti promanare docet. Lubet hic nonnulla argumenta hanc ſententiam confirmantia, in medium adducere, non eo conſilio, ut te vel erudiam, vel in hac ſententia confirmem, id enim eſſet, noctuas Athenas ferre & docere piſcem natare, ſed ut videas, quid me moveat, ut in recentiori ſententia perſiſtam, & ut occaſionem tibi praebeam accuratioribus & ſolidioribus animum meum in hac ſententia confirmandi argumentis.

1. Illuſtris eſt locus Pauli ad Gal. 3. v. 13. & 14. ubi expreſſe dicitur, Chriſtum ideo maledictionem pro nobis eſſe factam, ut in gentibus benedictio Abrahae exſtaret in Chriſto Ieſu, & ut promiſſum illum Spiritum acciperemus per fidem. Atque iſta benedictio complectitur plenam & perfectam ſalutem & vitae aeternae fruitionem: Ergo & liberationem a peccato, & iuſtitiae donationem.

2. Ibidem v. 11. iuſtus ex fide vivet. Hic locus collatus cum dicto P. Rom. III. v. 24. & 25. etiam clariſſime evincit nos plene iuſtificari, hoc eſt a peccatis abſolvi, reconciliari cum Deo, & ad vitam aeternam promoveri per ſanguinem Chriſti, fide a nobis apprehenſum. Et huc ſpectat etiam illud Pauli Rom. 5. v. 9. 10. Huc refero etiam dicta, quae aſſerunt nos ius adoptionis per fidem in Chriſtum habere, Iohan. 1. & alibi, ſed fides, teſte Paulo, in ſangvine Chriſti occupatur, Ergo &c.

3. Sed etiam inſignis eſt locus Pauli 2. Cor. 5. v. ult. ubi dicitur, Chriſtum eſſe factum pro nobis peccatum, i.e. victimam pro peccato, ut nos redderemur iuſtitia Dei in ipſo.

Argumentum non formo, brevitatis ſtudio.

4. Sed quid quaeſo tibi videtur de iſto Syllogiſmo. Si ſancta Chriſti vita nobis imputatur ad ſalutem, nobis non eſt ſancte vivendum, vel ſaltem non neceſſe habemus ſancte vivere (ratio eſt, quia ei, quod omnibus numeris perfectum eſt, nihil addi neceſſe eſt, Chriſti autem ſancta vita perfecta eſt: Ergo &c.) Atqui verum prius ex communi ſententia: Ergo & poſterius: Sed hoc abſurdum: Ergo & illud.

5. Et quid vero ad Herculeum illud argumentum reſpondebunt, quod a Domino Vrſino in Catecheticis adfertur, Iuſtitiam Dei tantum obligare aut ad obedientiam, aut ad poenam, non autem ad utrumque. Sane ex horum ſententia ad utrumque homo obligatus erit, atque ita Deus iniuſtitiae inſimulandus.

Plura non addam, quod alio avocer. Hoc unice nunc a te, optime & amiciſſime mi Piſcator, peto, ut prima occaſione omnia vel ſaltem praecipua argumenta pro hac ſententia militantia, quaſi in faſciculum collecta mihi tranſmittas, ut ſi forte opus ſit cum aliis congredi, armis undiquaque cinctus dexterius in aciem prodire

 queam.

queam. Quid intendam hiſce, exponam paucis. Generales Ordines harum unitarum provinciarum ad preces & diuturnam inſtantiam miniſtrorum in hiſce Eccleſiis conſenſerunt in Synodum nationalem, quae inſtanti aeſtate (niſi fallor) cogetur. Ibi fieri poſſet (uti veremur) ut etiam haec quaeſtio de activa & paſſiva iuſtitia Chriſti moveretur, quod ſi fiet, meus Collega & Ego propoſuimus nobis (ſi convenienter fieri poteſt) agnitae veritatis patrocinium ſuſcipere, quod, ut maiori cum Eccleſiae bono fieri poſſit, velim dexteram nobis hac in re porrigas, qui in hoc certamine diu te exercuiſti. Si moleſtum non eſt, quaeſo ἀνασκευαστικῶς & κατασκευαστικῶς hanc quaeſtionem ad plenum explica. Si ad generoſi Comitis, Praefecti noſtri, Domini Wilhelmi Naſſovii Secretarium litteras tuas miſeris, ipſe ſive in caſtris, ſive alibi fuerit, facilime ad me perferri curabit. Quod ſupereſt, o Piſcator charisſime, amice colende, Deum Opt. Max. rogo, ut diutisſime te Eccleſiae incolumem conſervare, & noſtris operibus cumulatisſime benedicere velit ad nominis ſui gloriam & Eccleſiae exaedificationem Amen. Dabam Leovardiae Friſiorum 17. Martii 1605.

LXIX.

HOVAEVS PISATORI.

S. Literas tuas, una cum aphoriſmis tuis de Sacramentis accepi (mi Praeceptor) pro quibus magnam gratiam tibi habeo. Perge obſecro praeſtare, quae promittis nobis, fidem libera: nominis immortalitatem tibi ſpondere audeo, ita inſtructus ad Sacrae Theologiae profesſionem accesſiſti, ut neque linguarum aut humaniorum literarum imperitia (qua plaerique Theologorum laborant) curſum tuum remorari ullo modo posſit. D. Toſſanus quaeſtionem illam de imputatione activae Chriſti obedientiae Grynaeo noſtro diſputandam propoſuit, de qua eodem tempore D. Beza literas tuas una cum ſua ad te reſponſione Grynaeo Geneva miſit: ita ex Bezae literis Grynaeo conſtitit tibi ſententiam illam minime probari. Narravit is mihi Genevenſes moleſte ferre, quod in ſcripta tantorum virorum cenſoriam virgulam tibi ſumas, praeſertim Theodori Bezae, cuius aetati & eruditioni aliquid tribuendum eſſe

cen-

cenſent. Ego, ut ingenue fatear, a te diſſentio, nam Chriſtus Ioan. 17. dicit, ſe ſanctificare ſe ipſum pro nobis, non dicit propter nos, quam loquendi formulam a D. Oleviano piae memoriae uſurpatam eſſe probe noſti. Quod autem in Scripturis iuſtificatio noſtra Chriſti obedientiae paſſivae, & praeſertim morti aſſcribatur, id ſynecdochice fit, nam Chriſti voluntaria obedientia maxime in morte eluxit. Verum, quae pro ſententiae tuae defenſione adducas ignoro, cum ex te illa nunquam audiverim: ego quae adduci poſſe putabam contra Grynaeum in diſputatione protuli. Gratum mihi feceris, ſi de illis ad me ſcripſeris, & praeſertim de Chriſti praeſentia in coena, quam quaeſtionem tibi olim propoſitam fuiſſe memini. Ego maximi iudicium & acumen tuum facio, & doleo me tanto locorum intervallo a te diſiunctum. Audio Paraeum theſes tuas de contradictione refutaſſe, non dubito, quin moleſte ferat, te artium terminos violaſſe, & contradictionem in contrariis quoque poſuiſſe, non enim ferunt terminorum novationem, praeſertim quos uſus iam approbavit, ſed cum in manus tuas pervenerit, quid contra te ſcribat, velim reſcribas mihi. D. Ietzlerus literas tuas accepit, ſed non reſcripſit, ſcribet autem ad te per nos, ut Buxtorphio ſe facturum recepit. Quid libello tuo de lectione Hebraeae lingvae acciderit ignoro, nuſquam comparet, noſter enim Bibliopola reperire eum non potuit. Vbi abſolverit lucubrationes tuas Corvinus noſter, dignaberis me uno exemplari. Dices Corvino, Valdkirchium hic in ſequentes nundinas adornare editionem methodi Iuris Althuſii, quam ille ſuperioribus nundinis emiſit, quod fiet cum Corvini detrimento. Saluta meo nomine D. Pincierum optimum meum amicum & praeceptorem, cuius literas exſpecto. Maximam ſalutem aſſcribo Illuſtribus Comitibus a Bentheim & Hanau & praeceptoribus ipſorum Domino Sodingo & Dn. Helfeldio, item optimo Viro D. M. Iodoco Naum, & Corvino noſtro. Salutat te Buxdorphius. Vale cum familia feliciſſime. Dominus Ieſus benedicat ſanctis tuis laboribus. Baſileae 17. Novembris 1588.

LXX.

HOVAEVS PISCATORI.

Si Ego occaſionem nullam ſalutandi te per literas praetermitto, ut meum erga te amorem & animum, quo honori & virtuti tuae faveo, declarem, tum vel ob hoc maxime quod videam te pari induſtria cum hocce noſtro ſtudio certare. Pro munuſculis tuis gratiam tibi habeo, pergrata enim mihi fuerunt. Quae in tractatu tuo Germanico & latino, de Domini coena, & de corporis Chriſti praeſentia in eadem coena ſcripſiſti, non reprehendo, neque reprehendi poſſe puto: Nam revera nulla alia praeſentia corporis Chriſti in coena eſt, quicquid homines dicant & verbo praeſentiae quoties velint utantur, quam quae eſt in verbo. Quod autem ſpiritualem praeſentiam affirmaſti, & Sacramenta in coena non Chriſti meritum tantum, ſed & corpus imo & totam perſonam obſignare, in eo recte feciſti, nam hoc apertae ſcripturae teſtimoniis confirmatur; illud negari non poteſt, licet id tibi ἄκυρον videatur, quia modus praeſentiae ſpiritualis dicitur, corpus Chriſti animae fideli, id eſt Spiritui (unde ab hoc modo dicitur praeſens, licet in coelo, idque ſpiritualiter) in coenae celebratione praeſens eſt. Quod ſi quis his tuis ſcriptis offenſus, convitium tibi fecerit, ac ſi Domini coenam evertas, non agit tecum Chriſtiane. Si velis omnibus his malis occurrere, age ſingulari aliquo tractatu Chriſti & fidelium coinoniam (ad quam conſtituendam noſti hanc realem corporis Chriſti praeſentiam confictam) explicato, & oſtende eſſe ſpiritualem, quae cum magnum myſterium ſit, ut humanum captum longiſſime ſuperet, Spiritum ſanctum tamen ad noſtram inſtitutionem in ſcripturis illam metaphoris a rebus terrenis deſumptis, quae arctiſſime inter ſe cohaerent & connectuntur, adumbraſſe; ut cibi & potus cum corpore coniunctione. Ioan. 6. niſi ederitis carnem filii hominis &c. id eſt, niſi tam arcte cum Chriſto & eius corpore coniungamini, quam arcte cibus & potus cum veſtro corpore. Item capitis & membrorum mariti & uxoris, ſponſi & ſponſae, ramorum cum trunco, vitis & palmitum, item metaphora inhabitationis & aedificationis unde dicimur ſuper Chriſto aedificati &c. quod te praeſtare poſſe pro ſingulari

gulari

gulari tua doctrina mihi polliceor. Perplacuit mihi vindicatio theſium tuarum a Paraei ſophiſmatibus. Analyſes tuae Paulinae & Aphoriſmi tui optime hic a bibliopolis noſtris divendita ſunt. Scribonius miſit ad Valdkirchium Talaei Rhetoricam obſervationibus quibusdam a ſe illuſtratam, in quibus nonnunquam vehementer carpit, quae tu huic Rhetoricae ante annum ſcholiorum loco adiecisti. Liber mihi oblatus fuit, ego convitia quaedam, quae forte ebrius in te effudit, in autographo expunxi, quam primum excudetur mittam ad te. Theſes tuas de Iuſtificatione fidei legi, has mihi ipſi reſervo, neque enim illas cum aliis communes facio. Diſſentio a te hac in parte, nam videris mihi non poſſe ulla ratione ſatis firma Chriſti activam iuſtitiam (appelletur ſane ita) a noſtri iuſtificatione excludere, quae enim profers de obedientia mortis Chriſti, ea non nego, verum Synecdochice interpretor, quia voluntaria illa filii Dei obedientia maxime in morte eluxit, quin & activa illa iuſtitia Chriſti ſine hac mutila fuiſſet, quia non tantum Legem implere debuimus, actionum noſtrarum cum ipſa conformitate (ad hoc enim eramus conditi) ſed & poſtquam iam lapſi ſumus, poenas luere, & aeternam mortem, quae inobedientibus fuit denunciata, unde Apoſtolus merito dixit: ſine effuſione ſanguinis non fieri remisſionem peccatorum. Vtrumque hoc a Chriſto praeſtitum eſt & analogia admodum illuſtris eſt. Reliqua tua argumenta non videntur mihi firma, de quibus ad te poſtea, cum dabitur occaſio, ſcribam. Noſti me dum Herbornae eſſem, totam Theologiam certa quadam methodo conatum fuiſſe complecti, cuius Sciagraphiam, tabulam inquam, apud te depoſui. Huius laboris partem aliquam, ſed exiguam, conſtitui in lucem dare. Tractatum nempe de Reconciliatione Hominis cum Deo, quem quia D. Oleviano piae memoriae & ſcholae veſtrae Herbornenſi debeo, in qua Theologiae tyrocinia feci, conſtitui ſequentibus nundinis ad Corvinum veſtrum mittere. Poſſem quidem noſtris Baſilienſibus eum dare, ſed illis rationibus, ut dixi, moveor. Si rem ex Eccleſiae & Corvini uſu putaveris, cupio illam a te Corvino commendari. Quod ſi Corvinus non gravate ſuſceperit, mittam ad eum ſuo tempore alterum tractatum de Regno Chriſti, tum & tertium de Teſtimoniis foederis Dei. Comites

mites Naſſovios, Solmenſes, Vitgenſtenium Geneva Baſileam veniſſe te iam audiviſſe arbitror, Ludovicus a Vitgenſtein febri tertiana laborat, ſunt omnes in Doct. Grynaei convictu. Has theſes Grynaei ipſis dedicatas (quae ſexta eſt diſputatio, in qua nos in hac Academia publice reſpondimus) mitto ad te, ut de eorum in hanc civitatem adventu tibi conſtet. Salutem aſſcribo Generoſis Comitibus a Bentheim & Hanau, & doctiſſimis viris D. Helfeldio & D. Sodingo. A D. Pinciero his nundinis literas expectaram, hunc ex me ſalvere iubebis. Salutat te Buxdorphius. Dominus Ieſus benedicat ſanctis tuis laboribus. Vale. Baſileae 29. Aprilis 1589.

LXXI.

IOANNES IONSTONVS, SCOTVS, PISCATORI.

Salutem in Chriſto Ieſu.

Literae meae, quae reſponſionem ad te perlaturae erant (Clariſſime Piſcator) de tuis argumentis, quae nitide ſcripta huc transmiſiſti, dubito an tibi redditae fuerint, eo quod, nihil ab eo tempore a te auditum eſt. Breviter igitur (ut ſim extra dubium) ſummam eorum, quae tum laxe diſputavi, ſubducam. Syllogiſmus meus hic eſt. Metonymia aut eſt cauſae, aut effecti, aut ſubiecti, aut adiuncti.

Sed (EST) nullum eſt horum. Ergo in verbo (EST) non eſt Metonymia. Hunc Syllogiſmum infringis Interpretatione & Abſurdo. Interpretatio tua, quam in retexenda propoſitione Syllogiſmi adhibes, eſt otioſa: quia ſenſus illius vel tyroni artis Rhetoricae eſt notiſſimus, quem primo loco adducis, nec alius adduci, aut fingi poteſt. Secunda interpretatio tua nullo modo admittenda eſt. Probo:

Interpretatio, quae artis fundamenta convellit, non eſt admittenda.

At ſecunda interpretatio tua eſt talis. Ergo.

Aſſumptio probatur. Ex Artis fundamentis quatuor ſunt Metonymiae modi, nec plures, nec pauciores: qui contradicit, Artem ipſam oppugnat.

At

At Secunda tua interpretatio quintum modum introducit.

Ais enim Metonymiam non tantum eſſe in quatuor illis modis: ſed etiam in quinto, nempe in copula (EST) qua interdum cauſa de Effecto, Subiectum de Adiuncto affirmatur. Hoc vero quid aliud eſt, quam artem confutare? Quid aliud, quam artis Rhetoricae iudicium declinare, quam Arbitram huius litis ante communi conſenſu elegimus? Hoc velim tecum diligenter perpendas, & ita rem eſſe videbis.

Secundo a contrario noſtrum ſenſum refellis, per Abſurdum nugationis, hoc modo: Si Metonymia eſt in Corpus: ita erit interpretatio, & nugatio, Panis Sacrae Coenae eſt Panis Sacrae Coenae. Ergo.

Reſp. 1. nego eſſe meam interpretationem, aut eſſe neceſſariam. Sed eſt Piſcatoris interpretatio. Piſcatoris igitur interpretatio committit nugationem. 2. Interpretatio vera eſt haec, quam ego defendo; Panis eſt ſignum corporis Dominici: In qua, ſi quid nugationis eſt, Dominus ipſe Geneſ. 17. & Paulus Rom. 5. eiusdem reus erit; quod abſit. 3. Piſcator ipſe reus erit, qui interpretationem meam recipit in illo Ambroſ. ad Theodoſium; Quomodo attinges cruentis iſtis manibus ſanctum Domini corpus? id eſt, Sacramentum Corporis. Vides igitur nihil vitioſum aut abſurdum eſſe in interpretatione mea. De his exſpecto iudicium tuum, cuius trutinam cum artis norma ut adhibeas quam diligentiſſime, etiam atque etiam rogo. Ecce porro a nobis aliquid Philoſophicum ſuperioribus nundinis uno veluti ſpiritu fuſum: cuius occaſionem cognoſces ex ipſo Antigrammate. Ovenus iſte Helmſtadienſis, programmate excuſo & publice affixo Ramum crudeliſſime traduxerat, & producta aliqua parte Regii diplomatis Gallici proſcribere voluerat: quod ad me miſſum erat, pro quo hoc remiſſum, ſine nomine meo expreſſo, tamen provinciae & urbis (quae mihi patria) obſcure poſito. Quid magis capitale, quam nomen hic profiteri? Tuo iudicio quicquid eſt ſubiicio. Errantem mone, dirige. Fervorem alicubi invenias, ſed nec iniuſtum nec immodicum, ſi cum immani hominis illius & imperitia & licentia componas. Ille mihi eſt notus, & lacerti illius ante probati. Homo ſcurrilis & ignarus harum controverſiarum: dignus tali Pharmaco,

quod & neceſſarium fuit propter iuventutem, & maxime illius ſcholae, quae veritatem amat & excolit. Nomen meum ignotum eſſe cupio. Synopſin quandam logicae Crellianam hic magna cum admiratione ab ipſo dictatam, a quibusdam rogatus refutavi, cuius pars aliqua D. Sonio piae memoriae lecta fuit & probata. Si quis nomine ſuo velit inter ſtudioſos venditare, ego in lucem provolare paterer. In Aeternitate Mundi refutanda horis ſubceſivis laboro, hactenus quidem non infelici ſucceſſu, quem Deus, ſpero, fecundabit. Dum locos Theologiae privatim diſputando cum doctis quibusdam Adoleſcentibus excolo, coactus ſum diligentius Methodum perſcrutari: perſcrutando & laborando commodiorem viam, aut certe non omnino incommodam invenire ſum viſus, diverſam ab iis quas hactenus vidi. Eius ſummam hac tabula delineavi hoc tempore ruditer & inconcinne diſpoſita propter feſtinationem: Malui enim, utrumque ad te mittere, quam occaſionem praeſentem amittere: ut poſſem tuum iudicium audire, & conſilium cum emendatione accipere. Summa conſilii mei fuit, ut paulo familiarius locos Theologiae inter ſe connexos proponerem ordine naturali, non plane a communi abhorrente. Itaque, quantum potui, fugi ſubtilitatum ſcopulos, in quibus multos obhaereſcere video; & diviſionum quarundam inanes capſulas, quae nihil aliud continent, quam nomina otioſa, an magis dicam officioſa? An effugerim, & ſi quid male effuderim (quod timeo) tui erit iudicii, quod obnixe & amice imploro pro benivolo voluntatis & promptitudinis erga me tuae affectu. Summa tantum capita hic vides, quorum ſingula ſeparatis tabulis latius diffundo, quae ad tuum tribunal aliquando (ſi Dominus volet) transmittentur. Volo, conferas cum Hovaei tabula, ſi modo eius exemplar habes. Is nimis arctam viam Theologiae ingreſſus, & nimis anguſtos eius fines ponere mihi videtur. Theologiam exiſtimat nihil aliud eſſe, quam Doctrinam de foedere: Totque eius partes facit, quot ſunt foederis. At quis non videt Theologiam multo eſſe ampliorem? Quo fit, ut tota deductio ex illo principio videatur vitioſa, & in ea multa abhorrentia a vera & legitima Methodo. Vrſinum hunc noſtrum, rogo, ut tuo conſilio & teſtimonio iuves, ſi forte opus erit, aut ſi rerum ſuarum conditionem apud te exponat.

Ami-

Amicam ſalutem dico Clariſſ. D. Pinciero, a quo iam diu literas exſpecto. Ignoſce libertati meae pro hnmanitate tua. Vale. Heidelbergae 8. Septemb. 1589.

LXXII.

IONSTONVS PISCATORI.

S. D. Reverende & Clariſſime VIR, Superiore anno datae ſunt ad te a nobis literae piorum hic fratrum nomine, quibus cordi eſt publica Eccleſiae Dei concordia, quique te eximie amant & colunt ob inſignia in eam merita tua aeternis monimentis teſtata. Earum literarum ſumma haec erat: Teſtari nos omnes iuſtum dolorem noſtrum ex eo, quod pro certo audiſſemus Synodum Gallicanam deſcendiſſe ad damnationem doctrinae tuae de Obedientia CHRISTI paſſiva tantum imputata nobis ad Iuſtificationem noſtri &c. Rogare atque obſecrari, ut aequo animo eleganterque feras quidquid inde ad animum tuum accidere poſſit: petere abs te ſerio, ne temere quidquam incaeptes, utque conſilia tua regi patiaris ad pacem & concordiam, ſi commode ea obtineri poſſit. Eccleſiam noſtram tanquam ſequeſtram ad hoc operam ſuam pro tenuitate ſua deferre. Haec, quantum memini, earum literarum ſumma: quas nollem intercidiſſe multas ob cauſas, neque tamen quidquam abs te ex eo tempore nobis redditum. Scripſimus quoque, ſicut iis in literis polliciti ſumus, ad Baſilienſes & Genevenſes, ut operam conſiliaque ſua huc mature conferrent, ne res in ſchiſma abeat, & ex ea incendium oriatur intra viſcera Eccleſiarum reformatarum. In eam quoque ſententiam ſcriptum eſt a nobis ad Ampliſſ. D. Mornayum Pleſſaeum, cuius merito magna eſt in Gallicana Eecleſia auctoritas. Is rogatus a nobis, ut cum Synodo Gallicana literas noſtras communicaret, quid factum ſit, reſcripſit humaniſſime. Exemplar literarum illius bona fide transſcriptum ad te hic mitto, ut ex iis ipſe plenius intelligas omnia. Cum his Mornayi literis redditae ſunt mihi amici cuiusdam, concionatoris doctiſſimi in Gallia literae: qui etſi antea minus aequus ſententiae tuae, tamen teſtatur, ipſi atque adeo ceteris fratribus diſplicere conſilium & factum latae adverſus te damnationis. Vides, obſervande frater,

ut DOMINVS cauſam tuam, te inſcio, agendo, te vocet ad patientiam: utque viam pacis hac ratione nobis commonſtret, quam ut teneas cum DEO, te fidenter & amanter rogamus. Quare ut inducias, quas illi per Literas petunt, pro bona tua fide ſerves, obnixe abs te contendimus, & a pietate tua omnino exſpectamus: ne ratio pacis ineundae iam oblata abrumpatur; & Labores & Spes omnes noſtrae intercidant. Pluribus verbis & accuratius hoc ipſum abs te flagitaremus, niſi ſpes ſumma eſſet nobis de ſpectata tua pietate & prudentia. Et nos ſpem fecimus de tua aequitate & moderatione in toto hoc negotio Gallicanis Eccleſiis. Tuum erit perficere, ne ſponſio noſtra fruſtra ſit: donec plenius a Synodo nationali reſponſum nobis reddatur: quod ubi acceperimus, primo quoque tempore ad te perferendum, DEO iuvante, curabitur. De aequitate noſtrarum Eccleſiarum in hac cauſa, & de amore ſtudioque erga te tibi prorſus perſuadere potes. DEVS nos in omni bono opere corroboret: teque, obſervande Frater, Eccleſiis diu incolumem ſervet. Amen. Andreapoli in Scotia VIII. Kalendas Auguſti M DCV.

Piorum hic fratrum nomine qui te in Chriſto Domino amant & colunt

IOHAN. IONSTONVS,
SS. Theol. Profeſſor
publicus.

Has D. Mornayi literas, rogo, ut eas tibi & tuis amicis ita habeas: ne divulgentur apud eos, qui in praeiudicium eas rapere velint. Denique ne nobis aut tibi earum divulgatio fraudi ſit. Feci hoc ut amicus & privatus.

LXXIII.

IONSTONVS TOBIAE ANDREAE,

Eccleſiae Braunfelſenſis Paſtori.

S. Tandem, tandem literas abs te deſideratiſſimas accepi, Amantiſſime frater, XVII. Novembris proxime ſuperioris, a te vero ſcriptas partim menſe Aprili, partim Auguſto Anno 1605. Variis mo-

modis me affecerunt literae tuae, qua de te, qua de viciſſitudine rerum inter vos. Ac delectavit me plurimum Libelli tui lectio, quem adiunxeras de Praedeſtinatione Sanctorum: quae te veluti vivum ore, animo, oculis, mihi cum incredibili iucunditate repraeſentavit. Perge, age, in hoc & conſimili genere te ſuperſtitem relinquere. Intelligo enim te mortalem eſſe, vel ex podagra paulatim ſubrepente tibi. Et me iam diu terit & paulatim trahit morbus Lienis praeter relliquias febrium ſubinde recurrentes. Suſtentat tamen me mirifice Domini bonitas hactenus praeter multorum ſpem. Interea dum metam properamus eandem, conſolemur nos ſpe coeleſtis vitae, & huius brevitate: & quam diu in hoc tabernaculo ſumus, uſura literarum abſentiam corporum redimamus. Ego ſane nullas nundinas, quod ſciam, ſine literis ad te praeterire ſino. Inter multiplices & graves occupationes, quas tibi incumbere animadverto, vel duo verba abs te ſingulis in nundinis non parum voluptatis & ſolatii mihi allatura eſſent, modo ne graveris manum exercere, ne chiragra obrepat quoque. Dedit ad me literas venerandus Socer tuus ipſo ſponſalium die filiae IV. te praeſente, ut ipſe ad me ſcribit ſuperiore autumno. Ex iis intellexi, quod nos maxime optabamus, Illuſtriſſimum Electorem Palatinum authoritatem interpoſuiſſe ſuam de ſopienda controverſia: ne per contentionem res in publicum obiret diſcidium: quod nos maxime habuit anxios & ſolicitos. Itaque me ſvaſore, atque ſcriptore ab Eccleſia noſtra datae ſunt literae ad Gallicanas Eccleſias, ad Genevenſes, & ad Baſileenſes, ut in eam ipſam curam incumberent, quam Illuſtriſſimum Electorem in ſe ſuſcepiſſe, nuper cum voluptate intelleximus. Reſcripſit ad nos ſuperiore aeſtate Nobiliſſimus Pleſſaeus nomine Eccleſiarum Gallicanarum peramanter probans ſtudium, operam, atque conſilium noſtrum. Earum literarum exemplum cum proximis meis literis miſi ad ſocerum tuum nundinis autumnalibus elapſis: quas ſpero ipſum ex nundinis accepiſſe. Nondum enim acceperat, dum illas ſuas ad me daret. Itaque exſpectans illarum reſponſum nihil ſingulare habebam, quod ſcriberem in hoc tempore, modo tibi placeat has cum ipſo communicare. „ Mittit ad me" Socer Exemplar literarum Synodi Vapincanae ad ſe, & ſuum ad eas"
 re-

„reſponſum: de quibus iudicium noſtrum petit. Nos omnino iu-
„dicamus pie, prudenter & nervoſe ſuas ſcriptas, & ne diſſimulem
„apud te, D. Melvinus & ego, & ceteri harum controverſiarum in-
„telligentes apud nos, D. Soceri ſententiae favent plurimum. Tantum reſponſum a Socero exſpectamus; interea tanquam arbitri ſequeſtrariam operam interponere praebemus. Scribit Polanus noſter ad me prolixe IV. Septemb. proximi. Concludit ſe D. Piſcatorem reverenter amare & aeſtimare, neque velle ſe cum eo contendere ſcriptis. Se porro & ſtudioſum pacis eſſe, & ſuaſorem fore. Quo in propoſito ut perſiſtat, datis ad eum hoc tempore literis, obnixe rogamus. Vides, mi frater, quale ſtudium ſit noſtrum in hoc negotio tum publice tum privatim. Iam quod ad res noſtras attinet, nihil ſingulare habeo praeter illud, quod vobis omnibus
„fere iam per Europam inauditum eſt de horrenda & inaudita con-
„iuratione a Pontificiis intentata nuperrime adverſus Sereniſſimum
„noſtrum Regem, Reginam, totam ſtirpem Regiam, adeoque omnes
„ordines regni Anglicanam Religionem probantes. Ea peragi de-
„buit V. Novemb. proxime ſuperioris in curia Parlamenti, ſedenti-
„bus ordinibus cum Rege, Regina, & Principe per actos cuniculos &
„ingentem cumulum pulveris ſulphurei, & lignorum ſtruem ſuper-
„impoſitam. Res tota admiranda Dei providentia pridie illius diei
„detecta eſt: & actores Tragoediae pene omnes intra octiduum
„aut capti, aut caeſi.“ At authores omnes nondum comperti exiſtimantur. Latius radices egiſſe res videtur. Ante paucos dies Ieſuitarum Anglicorum Provincialis cum duobus ſui ordinis praehenſus eſt, qui inter Principes coniurationis & conſiliorum fuiſſe perhibetur. Reliqua diſcutiet Dominus ſuo tempore. Ceterae res apud nos tranquillae ſunt Dei beneficio, niſi quod Sathanas miris modis Epiſcopatum humanum inter nos moliatur, & ſanctiorem diſciplinam paulatim labefactare. De quo, Deo volente, alias plura. Academia noſtra peſtilentiae metu ſuperiore anno diſſipata, nunc paulatim recolligitur Dei beneficio. Salutem tibi & Domino Socero mecum dicit D. Andreas Melvinus. Salutem a me ſuaviſſimae coniugi & dulciſſimis liberis, quorum tam felicem propagem ex animo tibi gratulor. Dominus Ieſus illis, mi frater, tibi tuiſque ſanctis

labo-

laboribus ac familiae tuae cum Eccleſia iſthic benedicat cumulatiſſime. Amen. Andreapoli XX. Febr. 1606. *

LXXIV.

TOBIAS ANDREAE

IO. PISCATORI.

S. Non deſino, Clariſſime Domine Socer, de quaeſtione illa iuſtificationis cum fratribus meis quos aliquo iudicio praeditos animadverto, quoties occaſio ſe offert, diſſerere. Sed neminem adhuc audivi, qui non vehementer hanc theſin: Mortem corporis Chriſti ad λύτρον pro peccatis noſtris haud pertinere: fuerit averſatus. Quamvis ſolidi quippiam contra afferre nec coram poſſint nec per literas velint. Cum autem Dominus Snabelius & Dn. Dickhudius inter reliquos, mihi de hac materia altius cogitandi anſam dederint: nolui te celare, quicquid mihi in mentem venerit, quod contra theſin hanc afferri poſſit. Rogo itaque, ut, quod plane confido, ſtudium meum tibi gratum eſſe patiaris, meque erudire ubi vacaverit non graveris. Venio iam ad obiectiones. Neganda autem inprimis videtur illa aſſertio: Obedientiam in aerumnis tolerandis in lege omnibus hominibus praeceptam eſſe: quod homini per peccatum corrupto demum, non autem integro praecepta illa ſit. Maledictio enim lapſum eſt ſecuta, quae ante lapſum locum non habuit. Ideo lapſis primis parentibus ait Deus: In ſudore vultus comedes panem &c. cum dolore paries &c. Iam cum Chriſtus non ſit ex numero lapſorum, ad obedientiam in aerumnis tolerandis non videtur obſtrictus. Vt ſit magis perſpicuum quod dico, ſententiam meam Syllogiſmo comprehendam. Si homo iure creationis ad obedientiam in aerumnis tolerandis tenetur, aerumnis ante lapſum in genere humano locus fuit. Sed ſacrae literae conſequens negant. Negandum ergo & antecedens.

Propoſitio manifeſta eſt, quod homo iure creationis Deo obſtrictus fuerit antequam laberetur. Aſſumptio non minus clara, quod

* *Huic epiſtolae inſcripſit Piſcator:* Iudicium Melvini, Ionſtoni & aliorum in Scotia fratrum, de epiſtola mea ad Synodum Vappincenſem 1606.

quod homini lapſo dictum legitur: In ſudore vultus comedes panem. Item cum dolore paries &c. Iam pergo: Si homo non creationis ſed defectionis iure maledictioni eſt redditus obnoxius: Chriſtus, qui defectionis particeps factus non eſt, maledictioni obnoxius minime erit. Sed verum primum. Ergo ſecundum etiam. Firmitas propoſitionis ex praecedenti Syllogiſmo pendet. Sed hic obiicis forſan: ut ut Chriſtus ſit defectionis minime factus particeps, Adae tamen filius eſt. Hic puto diſcrimen minime eſſe ſilentio praetereundum, quod Adae filii alii ex ſanguinibus prognati, (ut loquitur Scriptura) * alii ex Spiritu ſancto absque virili ſemine concepti ſint. Vt ergo ortus magna eſt diverſitas, ita iuris diverſitatem magnam illum ſequi dubium non eſt. Haec ſi ita ſunt, obedientia in aerumnis tolerandis & ipſa corporis morte perpetienda a ſacrificio Chriſti excludi minime poterunt, quod ita amplius probo: Si obedientia mortis Chriſti, quae nobis ad iuſtitiam imputatur, in ſenſu irae divinae, quam ratione ſacrificii Chriſtus ſubiit, conſiſtit, & vi ſenſus illius Chriſtus ad mortem corporis eſt deductus, ſequitur mortem corporis, quae a ſenſu irae divinae profecta eſt, martyrii rationem non habere, niſi Deum absque omni exceptione filii (a) perſecutorem facere & ſenſum irae divinae in ſacrificium & martyrium (b) partiri velimus, quod abſurdum. Sed verum illud, Ergo & hoc. Addo alterum: Id quod irae divinae ſenſum patiente Chriſto ita eſt ſecutum, ut immediate cum illo fuerit coniunctum - - - ſcriptum reperitur & plerumque tamen Obadia, Zephania legitur.

Audio Grammaticam Latinam Philippo-Rameam Sigenae excuſam, quae vehementer probatur a viris doctis, peto itaque, ut Dn. Corvinum per puerum moneri facias, ut ad me exemplum mittat & in petitorum ac miſſorum librorum indicem adſcribat. Vale cum noſtris belle. Braunfelſii ſcribebam 21. Maii Anno 1597.

LXXV.

Notae Piſcatoris: * *Solus Chriſtus.* (a) *An igitur martyres Deus perſequitur?* (b) *Non eſt neceſſe ſic partiri. Sed eſt diſtinguendum ſic: quod rationem ſacrificii habuerit mors Chriſti quatenus in ea ſenſit iram Dei ut noſter ſponſor: martyrii vero quatenus affectus eſt ſupplicio capitis propter confeſſionem veritatis coeleſtis.*

LXXV.

TOBIAS ANDREAE
IO. PISCATORI.

S. Occupata eſt arx Hachenbergae 2. Feb. noctu. Milites enim noſtri muros tranſcendere & ſpeculatorem iuxta ac portitorem de lectis excitarunt. Vix enim quinque homines in arce fuere. Ad Cancellariam ita primo concurſum, omnis generis literae Brunfelſium delatae. Poſt occupatam arcem illuceſcente die oppidani animadvertunt oppidum equitibus cinctum, convolant itaque ad arcem, ut inde arma depromant, ubi ad illam pervenere, illam militibus repletam inveniunt. Quapropter animum deſpondent & pacem quaerunt. Petitum deinde ut fidelitatis iuramentum Wilhelmo Witgenſteinenſi praeſtarent, ideo quod Elector Palatinus tanquam Feudatarius Sehnenſem feudo privari iuberet, ideo quod terram tanquam haereditariam divenderet & ſubditis relictis abiret: illi conditionaliter praeſtitere, ſi ſcil. Sehnenſis moreretur, ſe huic fidem praeſtare velle, qua conditione fuit acquietum. Interim nomine Electoris Palatini Comes Wilhelmus noſter, Dux militum Electoris nomine, inſignia Electoris portis affigi curavit cum publico programmate, quo iure iſta omnia ſuſcepta, & quod de iis omnibus Elector Palatinus cuivis poſtulanti quocunque loco ulterius reſpondere velit. Iam quid Colonienſis & Trevirenſis qui aliquid iuris hic habere dicuntur, facturi ſint, tempus dabit. Ad Senatum ſcholae veſtrae Generoſus noſter brevi literas dabit & conſilium petet, quid faciendum ſit in cauſis matrimonialibus ſacris literis non prohibitis, ſed iure Canonico, quod ne recuſet ſchola veſtra quaeſo curato. Poteſt enim illud ad autoritatem ſcholae maiorem conciliandam facere. Ego quid reſponderim Generoſo adiecta pagella demonſtrare volui.

Quicquid autoritate ſacrae Scripturae nititur, iure Romano confirmatur, ſententiis piorum ſtabilitur, praxi Eccleſiarum reformatarum frequentatur, illud in dubium vocari non poteſt. At matrimonia in tertio gradu aequalis vel inaequalis lineae, tam in affinitate, quam conſanguinitate, ſacrae Scripturae autoritate nituntur, iure

Romano tam veteri quam novo confirmantur, ſententiis piorum ſtabiliuntur, praxi eccleſiarum frequentantur. Ergo in dubium vocari non debent. Aſſumptio probatur. 1. Sacrae Scripturae autoritate niti, quia in confeſſo apud omnes eſt, Conſobrinorum matrimonia ſacrae Scripturae legibus non improbari, quae tamen ſecundum iuris Canonici ſupputandi rationem in ſecundo gradu aequalis lineae habentur. Iure Romano autem tam veteri quam novo eadem non prohiberi conſtat, quod eadem quoque Conſobrinorum matrimonia rata habent, ut videre eſt Digeſtorum lib. 23. tit. 2. de ritu nuptiarum lege 3. Item Digeſtorum lib. 3. tit. 1. ad SC. Trebell. l. Lucius 78. §. filiam. Item Digeſtor. lib. 28. tit. 7. lege, uter 23. & l. ſeq. de conditionib. inſtitut. Item Cod. lib. 6. tit. 25. l. 2. de inſtit. & ſubſtit. Item Cod. lib. 5. tit. 4. l. 19. celebrandis. In Inſtitutionib. autem de nuptiis §. Duorum fratrum. Sententiis tandem piorum eadem ſtabiliri ex Theologorum iuxta & ICtorum ſcriptis doceri poſſe. Calvinus enim Epiſt. 253. ait. Conſobrinam in uxorem ducere tam lege Moſis, quam communi gentium iure, ſemper licuit. Idem Epiſtola 385. Frater patruelis & conſobrinus ſororem ſuam in gradum oppoſito, uxorem ducere non vetatur lege Dei. Petrus Martyr in 1. Cap. Iud. ait. Quod Ambroſius affirmat, conſobrinorum coniugium lege divina fuiſſe prohibitum nullis, qui verba legis Dei & facta Patrum attentius conſiderent, probari poterit. Romani etiam antiquioribus temporibus conſobrinas in uxores duxerunt. Szegedinus locorum com. pag. 359. Olim fratrum filiis & filiabus licuit inter ſe contrahere etiam Romanis legibus, ut Iacob iunctus eſt conſobrinae ſuae Rachel ſecundo gradu. Ac ne lex quidem divina prohibet coniugia in ſecundo gradu in linea aequali, id eſt duorum fratrum liberis concedit coniugium. Idem hoc ſentit Dn. Beza in tractatu de divortiis, ubi ſententiam ſuam hac memorabili ſententia claudit: Vtinam unum Dei verbum ſequi nunc quoque malint Chriſtiani omnes magiſtratus quam ſupra Deum ipſum & veteres leges ſapere videri. Theologis ſubſcribunt ICti tam Evangelici, quam Pontificii. Weſenbecius in Commentario in Inſtit. tit. de nupt. §. Duorum ſic ait: Quidam Codices habent lectionem negativam (non poſſunt coniungi Conſobrini.) Ac fuit ſane tempus cum

inter

inter hos iure civili non conſtarent nuptiae, ut oſtendit Caius in Inſtit. Lib. I. quanquam a Gothis depravatus, & extant fragmenta eiuſdem iuris in Cod. Theodoſ. tit. de duorum fratrum liberis & materteris, an duci poſſint, & apud Tacitum lib. 12. Sed lectio affirmativa cum iure recepto, quod ſolum in Inſtitutiones referri voluit Iuſtinianus congruit lex, Celebrandis 19. C. de nupt. lex 3. de ritu nuptiarum, l. Lucius 78. §. filiam. 8. ad SC. Trebell. Sunt enim hae perſonae in pari gradu, quare parentum liberorumque reſpectum invicem non habent, quam ſolam rationem lex civilis in prohibitione collateralium attendit. Ideoque nuptiae horum admittuntur iure civili. Ceterum ius Pontificum gradus ut diximus numerat, prohibetque matrimonium ad quartum usque incluſive d. c. pon. de conſang. Quare & nuptiae inter has perſonas illo iure ſunt interdictae: non etiam vero iure divino & Moſaico Gen. cap. 29. Levit. 17. 18. Quamobrem & ſi rectius eſt his abſtinere, cum alioqui Dominus tam amplam coniugii occaſionem per latum terrarum orbem offerat: tamen ob probabiles circumſtantias ſaltem per diſpoſitionem hae coniunctiones in noſtris Eccleſiis & coetibus piorum admittuntur. Nam & Laban Gen. 29. 19. deſpondens Iacobo ſororis ſuae filio natam. Melius, inquit, eſt, ut dem eam tibi, quam viro alteri. Abraham etiam vult filium non alienigenam, ſed ex cognatione ſua ducere uxorem. Gen. 24. quod & ipſe fecerat Gen. 20. 12. & liberi poſt factitarunt Gen. 28. 9. & cap. 29. ex praecepto parentum Gen. 28. 1. 2. & cap. 24. Haec Weſenbecius. Idem ſtatuit Zaſius in Conſil. de Conſobr. Negatur matrimonio inter conſobrinos laedi publica honeſtas, poſtquam nec lege divina, nec humana ea coniunctio prohibita ſit: ſed tantummodo iure poſitivo, quod per Papam temperari poteſt. Et paulo poſt: Conſtat, quod per huiusmodi diſpenſationem inter conſobrinos nec ſtatus univerſalis Eccleſiae decoloratur, nec aliqua novitas periculoſa introducitur. Imo res redibit ad ſua initia & priſtinam contrahendi & nubendi laxitatem. Haec Zaſius. Subſcribit illis Thomas quoque Freigius in arbore Conſangv. & affinitat. Sciendum (dicit enim) non prohiberi legibus divinis & Romanis veteribus connubia inter fratres & ſorores patrueles ſeu conſobrinos & amitinos & eorum liberos & nepotes. Item. Etſi iure

Canonico usque ad 4. affinitatis gradum incluſive & Politicis quarundam regionum legibus uſque ad tertium gradum in linea inaequali coniugia interdicta ſunt, hoc fine ut divinae prohibitiones maiori reverentia ſerventur: tamen inter affines ſecundo gradu in linea collaterali & aequali non ſunt divino iure coniugia prohibita. Adſtipulantur hiſce ipſi quoque Pontificii. Bodinus enim lib. 6. de Republ. cap. 1. ait: Quid eſt quam ob rem Romanus Pontifex Innocentius Ludovico 7. Francorum regi toto triennio aqua & igni ſacrisque omnibus interdixit? quia ſcilicet conſobrinam procul a ſanguinis propinquitate remotam, quamque divinis & humanis legibus ducere fas eſſet, coniugio ſibi ſociarat. Hoſtienſis in ſua ſumma in tit. Qui filii ſint legitimi. Verſ. qualiter & in tit. de conſanguinitat. & affinitat. §. uſque ad quod: Veteri lege ſeu primaeva naturali divina filios duorum fratrum ſeu ſororum, matrimonium contrahere non fuiſſe prohibitos: Sed quod hac in parte impedimentum ſolae conſtitutiones Eccleſiaſticae introduxerint, quod ipſum Papa rurſum tollere poteſt. Iohan. Andreae iuris Canonici commentator nobilis ait: Neque lex divina nec humana prohibet, filios duorum fratrum licite contrahere & eſſent filii inde nati legitimi & parentum ſuorum ſucceſſores, niſi lex Papae prohibuiſſet.

Quod attinet iam ad exempla eccleſiarum reformatarum, quibus dicta matrimonia probantur, primo loco pono eccleſias Scoticas, quarum nomine ad me ſcripſit Iohan. Ionſtonus, profeſſor Academiae Andreanae, Theologus eximius, cum ad illum ſententiam meam perſcripſiſſem. De conſobrinorum nuptiis tamen omnino ſentis cum Scriptura. Frequentiſſima praxis, ſine quaeſtione ulla in eccleſia noſtra probat. Haec Ionſt. Genevenſis eccleſia, quid obſervet, ignoro, pium autem Dn. Bezae votum, quod ſupra recitatum fuit, hic ſpectandum iudico. Venio ad Eccleſias Palatinas, quarum conſtitutiones matrimoniales in affinitate nil niſi quod iure divino & Romano prohibitum eſt, prohibent, h. e. ſecundum ſolum gradum lineae inaequalis. Cum autem tam iure divino quam Romano, affinitas & conſanguinitas aequali loco ſemper ſint habitae, manifeſtum fit, quid ab iiſdem conſtitutionibus Palatinis in conſanguinitate fieri debuiſſet, ubi tamen illae ad ulteriores gradus prohibi-

hibitiones matrimoniales extendunt. Quid Eccleſiae Naſſovicae & in primis ſchola Herbornenſis hac in parte ſtatuat, non modo exempla multa loquuntur, ſed etiam oratio hac ipſa de re ſuperioribus annis ibidem recitata probat. Solmenſes Eccleſias vero quod attinet, conſtat non modo in Conſiſtorio noſtro frequenter matrimonia in 3. grad. aequalis & inaequalis lineae fuiſſe adprobata: Sed etiam matrimonium conſobrinorum, de quo matrimonium Generoſi Domini noſtri Comitis Wilhelmi cum Amalia Naſſovica teſtimonium perhibere poteſt. Haec cum ita ſint & praepoſterus ille matrimonia eiusmodi concedendi metus non niſi ex diuturna illa Antichriſtiana ſervitute ſit reliquus, Chriſti autem Eccleſiam iugum cum Antichriſto trahere minime conveniat, ac tandem mera hypocriſis ſit (extendendas eſſe prohibitiones matrimoniales, ut tanto ſanctius divinae obſerventur) cum conſtet Papam propter pecuniam in conſtitutionibus divinis diſpenſare, cum item res ipſa loquatur in Eccleſiis Evangelicis conſtitutiones divinas haud tantopere coli, cum fures contra legem Dei ſuſpendantur, homicidae & adulteri contra eandem ſalventur, ut putarim nos ſatis penſi habere, ſi ea ſolicite exequamur, quae Deus aut mandavit aut prohibuit. Et ut ſummatim dicam, quod ſentio: Putarim illud, quod derogat gloriae Dei & pugnat cum dilectione proximi in Eccleſiis noſtris valere minime debere. Prohibitio matrimoniorum ultra gradum ſecundum lineae inaequalis (ut loquar cum iure Canonico) derogat gloriae Dei & pugnat cum dilectione proximi. Ergo in noſtris eccleſiis valere illa non debet. Aſſumtio probatur, quia derogat ſapientiae Dei, teſte Domino Beza, ut ſupra fuit dictum. Pugnare autem hanc prohibitionem etiam cum dilectione proximi liquet, quod laqueum conſcientiis ponit & peccatum dicit, quod Deus peccatum dicere noluit. Quod factum Divus Paulus ſedulo cavere voluit 1. Cor. 7. Haec de illa cauſa.

Celebritati ſcholae veſtrae gratulor & opto, ut indies maiora incrementa ſumat, de quo etiam volente Iehovah non dubito, modo Herborna illa relinquatur.

Miror Landgrafium Mauricium ſe gratum tibi non exhibere. Si quid in cauſa Turlacenſi actum eſt, quaeſo, communica nobis-

cum. Frater Crollii, qui paſtor fuit Schriesheimenſis ad Bergeſtraſſam, turpiter ad Ieſuitas Spirenſes defecit, conſcripto libro contra noſtros de Eccleſiae notis, miſſa Pontificia & tandem, niſi fallor, Primatu Pontificis. Liber iſte in autographo interceptus & ad Senatum Eccleſiaſticum Heidelbergenſem delatus eſt. Itaque bona illius fiſco ſunt aſſignata, cum ille ante ſemeſtre ſpacium loco fuerit motus propter contentiones tam cum auditoribus, quam cum familia. Divortium enim quaerit a coniuge. Quapropter coniugi & liberis bona eius procul dubio cedent. Vides Satanae rabiem in hac poſtrema mundi ſenecta. Liberorum tuorum Paedagogo quaeſo ut mandes, ut bibliopego, pro ut ad eum ſcripſi, ſatisfaciat, & ſchedulam ſubſcribi curet, quam mihi reſtituat.

Scripſi nuper ad Dn. Eberhardum affinem propter cauſam Langsdorfianam, literas Herbornam miſi, rogo, ut ipſi reddi cures. Vale cum noſtris. Braunfelſii anno 602. 9. Febr.

LXXVI.

TOBIAS ANDREAE

IO. PISCATORI.

SI Re vera, Clariſſime Domine Socer, compater honorande, ſummi honoris & maximi beneficii loco, literarum ad te ex variis locis de Eccleſiae negotiis perſcriptarum communicationem puto. Quae enim cura hominem pium, taceo Eccleſiae miniſtrum, poſt ordinarios functionis labores magis angat, quam haec: Quid paſſim in pietatis ſtudio fiat? Quis non proſpero bonorum ſtatu exhilaretur? quis non perverſo improborum conatu triſtetur? atque ita eadem vice ad gratiarum actionem & debitam nominis divini celebrationem excitetur, aut ad preces accendatur? Ego, ut verum fatear, non poſſum non hiſce rebus multum affici, ut ut forſan alii πολυπραγμοσύνην interpretari poſſint. Sed ſatis hac de re. Literas transmiſſas fideliter reddo & pro communicatione, quantas animo concipere poſſum, gratias ago. Literas de conſilio in iuſtificationis negotio componendo, propoſito perſcriptas, recte ſuſpicaris Regis Angliae eſſe. Illud enim Philippus-Ludovicus in literis ad me datis,

tis, quas una miſiſti, non diſſimulat, ut ipſe videre potes. Ad te enim ſimul mittere eas viſum eſt. „Multum autem metuo, ne quid nimium ſibi tribuat ille. Nimis enim arrogans ille titulus videtur, quo ſe fidei defenſorem appellat, ac ſi alii magiſtratus tale quid in mandatis minime haberent.“ Nec ſatis ſcio, an non praeceps nimium ſit illud de Vorſtii cauſa iudicium, quod ipſo non audito nec examinato quid aſſerere conſtanter velit, mortis condemnabit. Et ſi dicere verum licet, temerarium mihi de iuſtificationis controverſia ſepelienda conſilium videtur. Tantum enim abeſt, ut tale quid, quod tu optas, admittendum ille cenſeat, ut contrariam potius partem amplecti videatur. Quid enim aliud innuit illud non dividendum Chriſtum. Quid ſperandum ſit a tali fidei defenſore, qui vi etiam Eccleſiae reformatae nugas Pontificias, Adiaphora ipſi dicta, obtrudit, (Quo nomine certe Andreas Melvinus vix capitis ſupplicium effugit) liquet. Doleo tibi litem moveri a Vorſtio. Metuo enim, ne ille argutiis ſuis te forſan ultra metas rapiat. Oro itaque Deum, ut te in controverſia illa ita regat, ne quod verbum tibi extorqueatur, quod homines pios tui amantes offendere queat. Phariſaicam enim turbam nil moramur.

Feciſti nuper mentionem Eſaiae, quem prae manu habeas. Non poſſum autem non tibi ſignificare, quod ex Eccio noſtro cum hic ageret, cognovi. Referebat ille mihi Dn. Scultetum aegrius aliquanto ferre, te cum Dn. Iunio & aliis, quaedam Prophetarum dicta, quae non niſi typice ad Chriſtum referri queant, ſimpliciter ad eum referre. Agit hac de re copioſe Tileſius in Praefatione Commentarii Dn. Sculteti in Eſaiam. Si librum illum apud vos habere nequis, ut inſpicias, per occaſionem ad te mittam. Scripſi ad Dn. D. Ravenſpergerum propter filium meum. Rogo itaque, ut literas per occaſionem ipſi reddi cures.

Niſi moleſtum erit, obnixe rogo, ut per otium ſententiam tuam ad me perſcribas, de conviviis illis ſacris, quorum paſſim fit mentio in veteri Teſtamento. Vt quod dicitur: Comedes coram Iehova & laetus eris &c. Numquid in omnibus ſacrificiis, inquam, ſacrificantes ad convivium ſacrum fuerint admiſſi, an vero in agno Paſchali ſolum receptum fuerit. Si hoc ſtatuis: quaero, quid

quid ergo Samuel * Saulum ad convivium ſacrificii & invitarit & adhibuerit, & David ** ad ſacrificium familiae ſuae profectus ſit &c. Sin alterum illud amplecteris, quaero, quid ergo ſub poena mortis fuerit interdictum, ne quis praeter unctos Levitas, ſacrum quid contrectet.

Ego iſta ſatis conciliare nequeo. Peto igitur, ut me erudias. Miſiſti concionem Dn. Ravenspergeri & Sectionem primam Myſterii redemptionis. An vero donaris me iis, an reddi tibi illa velis non addidiſti. Si donaſti, gratias ago maximas. Sin tibi reddi vis, per occaſionem proximam mittam, licet copiam illorum mihi expeterem. V. Braunfelſii Anno 1612. 16. Iulii.

LXXVII.

A. POLANVS PISCATORI.

S. Binas a te literas accepi, doctiſſime Piſcator; ex quibus ſingularem tuam in me benevolentiam abunde cognovi. Quod nomen meum in Logica noſtra omitti iam nequeat, id aequo animo ferendum eſſe video: de reliquis, quae mutata ſunt, eſt mihi pergratum. Sententia tua, quomodo Chriſtus pro hominum peccatis ſit mortuus, mihi perplacet: eſt enim vera & analoga fidei. Neque etiam adverſarii poſſunt oſtendere, hanc ſententiam, Chriſtus eſt mortuus pro peccatis omnium hominum, ullibi in ſacra Scriptura extare. Apoſtolus Iohannes affirmat, Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi. At haec verba non eſſe aliter intelligenda, quam Chriſtum etiam pro gentium peccatis eſſe propitiationem, ſatis inde apparet, quod paulo ante dixerat, Non tantum pro noſtris, q. d. non tantum pro peccatis Iudaeorum factus eſt propitiatio, ſed pro gentium, ac per conſequens pro omnium credentium ex toto mundo electorum, peccatis. Monſtratae ſunt mihi nuper in aula theſes tuae de iuſtificatione, quibus plurimum delector: quia clariſſime explicant, quae iuſtitia Chriſti nobis imputetur, & ſententiam tuam, quae eadem Vrſini quoque fuit, irrefutabilibus argumentis niti certum eſt. Movet me vehementer illud:

* 1. Sam. 9. v. 19. ** 1. Sam. 20. v. 29.

illud: Quod Chriſtus pro nobis praeſtitit, ad illud nos non obligamur amplius: At ſi legi perfectam obedientiam pro nobis praeſtitit: Non ergo ad eam nos amplius obligamur. At quis non videt, quam ἀθεόλογος ſit haec concluſio? Vt ut enim in hac vita perfectam obedientiam praeſtare nequeamus: in altera tamen praeſtare neceſſe erit. Manducatio carnis Chriſti ſemper mihi hactenus obſcure definiri viſa eſt. Si ad ſubſtantiam carnis manducationem referas, cuiusmodi ea ſit, nulla ratione aſſequor, tum quia παράδοξος eſt, quomodocunque ſpiritualis ea fingatur, tum inprimis quia cum analogia fidei non conſentit. Sacramentum coenae Dominicae nobis nihil aliud obſignat, quam quod in foedere gratiae promittitur. Quid igitur promittitur? reconciliatio cum Deo, iuſtificatio & ſanctificatio ad vitam aeternam. Hoc igitur erit manducare corpus Chriſti, reconcilari cum Deo per mortem corporis Chriſti, iuſtificari & ſanctificari in Chriſto ad vitam aeternam. At Ioh. 6. promittitur manducatio carnis ipſius: Alibi vero allegoricam phraſin in Iohanne a Chriſto adhiberi plane perſuaſum eſt, ut & Auguſtino: allegorica igitur haec phraſis propriis verbis explicanda fuerit. Alioquin ſequetur, nos non tantum apprehenſione iuſtitiae & obedientiae Chriſti per fidem ſalvari, ſed etiam apprehenſione ipſius ſubſtantiae carnis Chriſti. Quid tibi hac de re videatur, ut ad me perſcribas etiam atque etiam oro. Adiunxi his literis picturam, quam noſtri, alteri cuidam picturae a Tubingenſibus editae, oppoſuerunt. Vale, praeſtantiſſime Piſcator & D. Treutlerum officioſe meis verbis ſaluta quaeſo. Heidelbergae 6. Aprilis 1590.

LXXVIII.

POLANVS PISCATORI.

S. D. Aphoriſmos Theologicos, Clariſſime Vir & amice integerrime, accepi & magna ex parte iam perlegi. Gratias autem ago maximas, quod ad me miſeris: & quaecunque a me praeſtari tibi tuisque poterunt officia, ea promte me exhibiturum promitto. Doctrinam de manducatione carnis Chriſti, quam ad calcem libelli adiunxiſti, perneceſſariam eſſe video. Nam hactenus de ea ita diſputatum eſſe video, ut de modo manducandi omnes prope

contenderint: pauci admodam, quid carnis Chriſti manducatio ſit, cogitaverint. Ac fere accidit, ut dum de modo litigatur, res ipſa ſit amiſſa. Tua explicatio conſentit cum Auguſtini ſententia: Crede & manducaſti: Credere enim in eum, hoc eſt panem vivum manducare. Qui credit in eum, manducat eum: inviſibiliter ſaginatur, quia & inviſibiliter renaſcitur: ut citatur bis in Iure Canonico, de Conſecr. diſt. 2. cap. 47. & 59. Sunt autem qui exiſtiment, manducare corpus Chriſti, eſſe iuſtificari & regenerari in Chriſto, eique ſpiritualiter uniri: idque fieri credendo in eum ſeu fide, tanquam inſtrumento: ita ut inter manducationem & fidem in Chriſtum differentiam ſtatuant, ut inter effectum & inſtrumentum: cum inſtrumentum manducationis non ſit ipſa manducatio; & hactenus unanimi conſenſu ab Orthodoxis dictum ſit, fidem eſſe inſtrumentum manducationis; fide manducari corpus Chriſti. Hanc primam afferunt rationem; alteram autem iſtam habent, quia manducatione panis non ſignificetur & repraeſentetur fides. Cuiusmodi enim (aiunt) eſſet haec analogia: Quam certo manducamus panem: tam certo credimus in Chriſtum Ieſum? Item manducatione panis ſignificari & obſignari potius iuſtificationis, regenerationis & inſitionis in Chriſtum beneficium: quo etiam ipſa analogia ſacramenti nos ducat: Quam certo manducamus panem: tam certo iuſtificamur, regeneramur & unimur Chriſto per fidem. Praeterea aiunt, eadem effecta tribui iuſtificationi, regenerationi & unioni cum Chriſto, quae tribuuntur manducationi carnis Chriſti: Inde concludunt ea pro eodem ſumi. Verum quid de poſteriore ſententia, eiusque rationibus ſit ſentiendum, ex tuis literis cupio cognoſcere. Providentia Dei diverſimode definitur: ab aliis quidem ipſum aeternum decretum Dei (quod etiam in Aphoriſmis extat): ab aliis decreti aeterni executio: at quomodo haec diſcrepantia fuerit corrigenda?

Doctrina de Iuſtitiae Chriſti imputatione mihi in Aphoriſmis perſpicue & recte explicata eſſe videtur: ſed de hac plura, ubi libellum, de quo ſcribis, accepero & perlegero. Claudius Alberius Triuncurianus Lauſannenſis profeſſor periculoſum ſchiſma in Eccleſia Gallica excitaſſet, niſi Filius Dei, qui nunquam non Eccleſiae ſuae

curam

curam gerit, illud avertiſſet. Attamen verendum eſt, ne redeat homo ille ad ingenium & certamen redintegret. Cum ipſe non auderet, propter edictum Bernatum, ſuum dogma ſpargere, Antonium Leſcallium inſtruxit argumentis, mercatorem & liberalium artium ignarum, attamen audacem, garrulum, iactabundum & impudentem. Eiusdem tamen librum, in viſitatione Generali menſe Maio in Bernenſium ditione habita, damnavit & damnationem ſua manu confirmavit: Leſcaillium autem aegre id ferentem epiſtola huc miſſa eſt conſolatus hoc argumento: Se feciſſe malum; quod nolit, dum ſubſcripſit damnationi: animo ſe aliter de ſcripto ipſius ſentire. Conſervet Deus pacem Eccleſiae, & turbatores eiusmodi profanosque homines procul arceat.

Logicam meam nondum mitto, nec miſſurus ſum, donec auxiliante Dei gratia rectius quaedam explicuero: idque ut facerem, privatum collegium Logicum inſtitui & mihi ita neceſſitatem conſtanter in propoſito pergendi impoſui. Diſtributiones quaedam cauſae efficientis videntur addendae, ut proximae & remotae: internae & externae: quia non exiguum earum uſum in docendo & diſputando eſſe video: nec Theologi, Iureconſulti & Medici in graviſſimis controverſiis iis carere poſſunt. Heri de definitionibus cauſae per ſe & per accidens cogitavi: quae neſcio quid homonymi habere videntur, aut certe non eſſe κατὰ παντὸς verae: ut Prophetae & Apoſtoli ediderunt miracula, non ſua facultate, ſed aliena, & tamen non per accidens, ſed per ſe, quia voluntarie & certo fine. Finium etiam diſtributio in principalem & ſubordinatos: in proximos & extremum: non eſt certe omittenda, quia eſt eius maximus uſus. Nec obſtat, quod iſtiusmodi diſtributiones non ſint reciprocae, & quod aliis etiam argumentis competere poſſint: nam ſi tantum reciprocae diſtributiones in arte locum habere deberent, multae ſane ex artibus Rami removendae eſſent. Optandum quidem, ut omnes diſtributiones reciprocae eſſent: ſed quid ſi VSVS etiam eas admittat, quae ſaltem ſunt κατὰ παντὸς & καθ᾽ αὑτὸ? ut mihi iniurii eſſe in iuventutem videantur, qui in Logicis eam docere nolunt id, quod ipſa cum ſuo detrimento ignorare aut ſero diſcere cogatur. Sed nolo iſtis te obtundere. Ex Moravia ſcribitur, Tur-

cam paulatim longius progredi & Vngariam magnis damnis afficere. Deus ille fortiſſimus & potentiſſimus inhibeat truculentiſſimi tyranni crudeles conatus: & uniat corda Principum Germaniae, & faxit, ut ſerio tandem aliquando cogitent, ut Turcae reſiſtatur. Filius Turcici Imp. omnibus modis urget bellum ſuſceptum & patri perſuadet, bellum ex Perſia transferendum eſſe in Europaeas regiones, ex quibus plus opum comparari poſſit, quam ex Perſia longe lateque iampridem vaſtata.

Miſit ad me venerandus Senex & praeceptor meus D. Beza Reſponſionem ſuam ad Hadriani Saraviae tractationem de miniſtrorum Evangelii gradibus: ex qua perſpicio, ſerpentem illum antiquum ubique inſidiari Eccleſiae. Puto te D. Bezae reſponſionem ex nundinis accepturum. Hoſpes meus D. Grynaeus peramanter te ſalutat. Deo te, mi amiciſſime D. Piſcator, commendo, & me precibus apud eum tuis. Vale. Baſileae 2. Sept. Anno D. 1592.

LXXIX.

POLANVS PISCATORI.

S. D. Relicta Baſilea, Reverende & Clariſſime Vir & frater in Chriſto honorande, Heidelbergam cum Generoſo meo me contuli, inde Ratisbonam profecturus, cum Comitia, quae ad Calendas Maii novo ſtilo ſunt indicta, celebranda erunt. Interea a D. Grynaeo ad me ſcribitur, Henricum Wolfium Theologum Tigurinum die 16. Februarii mortuum eſſe, & Beumlerum a plerisque Tigurinis deſiderari. „ Ab eodem ſcribitur, Epiſcopum Sedunenſem Valleſiacis non deſinere moleſtum eſſe, illisque interdixiſſe exportari „infantes in agrum Bernenſem baptismi cauſa, ſub mulcta 60. librarum.“ A Duce Bullionaeo & ab aliis ex Gallia ad nos perſcriptum eſt, Lutetiam die 3. Martii, novo ſtilo, ſe Regi dedidiſſe, & non paucos Hiſpanos captivos ibi detineri: Id factum autore Briſſaco illius urbis Gubernatore. Chriſtianus Princeps Anhaltinus Praga huc rediit, & feſtum Paſchae hic celebrabit. In Moravia amiſit Eccleſia noſtra virum ſincere pium & eximium Theologum, Iohannem Aeneam, Paſtorem Evanericenſem, unum ex ſeptem Ec-

cleſiae

cleſiae Bohemicae & Moravicae ſenioribus. „Lucernae etiam„ Scultetus ſeu Praetor Pfeifferus, qui a Regina matre in Gallia le„ petit Roy des Suiſſes nominari eſt ſolitus, diem ſuum obiit.“ Genevenſes adhuc dubitant de pace cum Sabaudo, qui ſubdole omnia agit.

Adiunxi huic Epiſtolio Articulos inter Huberum & caeteros Wittebergenſes Theologos in controverſiam vocatos, de qua procul dubio alii ad te ſcripſerunt. Vale, vir eximie & ſalve. Deum Opt. Max. precor, ut tuis laboribus benedicere, & mihi concedere velit, quo te quamprimum videam, quod iampridem exopto. Heidelbergae die 25. Martii A. C. 1594.

LXXX.
POLANVS PISCATORI.

S. D. Annus iam integer eſt, Clariſſime Piſcator, ex quo nullas a te literas accepi, quod, ut opinor, in Bibliorum translatione occupatus ſcribere non potuiſti: & ego quoque nullas ad te dedi, quod mole occupationum obrutus, haud potuerim. Nunc paululum otii nactus, ad ſcribendi officium redeo atque a te peto, ut de progreſſu in Bibliis vertendis tuo me certiorem facere ne graveris. Mitto ad te theſes de partibus Iuſtificationis noſtrae coram Deo, in quibus, quod a te modeſte diſſentio, in doctrina de imputatione iuſtitiae Chriſti, ut bonam in partem Chriſtiano animo accipias, oro. Nec eas ſcripſi, ut tecum certarem & in arenam deſcenderem: ſed ut officio meo in profeſſione Theologica ſatisfacerem, cum ordo diſputandi me ad locum illum deduxiſſet, & auditores mei iampridem poſtulaſſent, ut meam de iuſtitia imputata ſententiam ipſis explicarem. Aliquandiu quid eſſet ſentiendum haeſitavi, ſed re diligenter perpenſa, argumentis examinatis, & colloquiis cum viris piis & eruditis inſtitutis; a publica Eccleſiarum Gallicarum, Helveticarum, Bohemicarum ex praeſcripto verbi Dei reformatarum confeſſione, & Catecheſi Heidelbergenſi, cum qua etiam Auguſtana confeſſio hac in parte conſentit, cenſui non eſſe mihi recedendum. Facilius ſchiſma in Eccleſia excitatur, quam ſopitur: ac noſtri officii eſt avertere ſchiſmata, quantum in nobis eſt. Ego

ſententiam illlam, qua, totam Chriſti obedientiam nobis ad iuſtitiam imputari, aſſeritur; veram atque ſacrae Scripturae conſentaneam eſſe plane perſuaſus ſum. Saepius autem iam optavi, ut liceret nobis convenire & de nonnullis conferre: atque Deum oro, ut id nobis aliquando concedat. Vale, Piſcator praeſtantiſſime, & a Socero meo ſalve. Baſileae 7. Septembr. Anno 1598.

LXXXI.
TOSSANVS PISCATORI.

QVod nuper, vir clariſſime, pathetice ad te ſcripſi, mirari deſines, ſi cogitabis me non privato id nomine feciſſe, qui te ſuſpicio, & me omnibus modis inferiorem libenter agnoſco: Verum, mi Domine Compater, ferreus eſſem, ſi me venerandi Senis nec male (ut arbitror) de Eccleſia meriti, D. Bezae gemitus, & pietate, ac doctrina clari Viri D. Grynaei querelae non affeciſſent. Chriſtianus non eſſem, niſi ingemiſcerem, ſi eo ſit deveniendum, ut nos contra nos invicem calamos ſtringamus, & Pontificiis atque Vbiquitariis, aliisque haereticis tripudiandi occaſionem praebeamus: quod infelices homines Naſo, Altenhovius, Leſcallius, & ſimilia inſtrumenta Satanae moliuntur. Interim non ſum tam per Dei gratiam, inconſideratus, ut veritatem ex perſonis aeſtimare velim, cum veritas perſonas commendare debeat. Ego enim miſellus, ac gregarius miles illos anteſignanos, Bezam, cum aliis Genevenſibus Theologis, Grynaeum, Stuckium, Zanchium p. m. D. Franc. Iunium, Balthaſarum Copium, & ſimiles, quibus non placuit, nec placet diſtractio illa obedientiae Chriſti nobis imputatae ad iuſtitiam, hoc nomine tantum magnifeci in cauſa religionis, quod viri eſſent potentes in ſcripturis: & quorum ſententiam de Iuſtificatione nemo ante haec tempora reprehendit: Nec ego, crede mihi, doctrinam de Iuſtificatione ex D. Bezae confeſſione, quam ſemel tantum, idque ante annos 30. legi, primum didici: multo minus ex D. Vorſtii theſibus: apud quem non diſſimulavi, quid ſentirem: ſed ex Scripturis didici, & hactenus ſine ſubtili diſtinctione docui Chriſti obedientiam, quae inobedientiae Adami opponitur: cuius colophon fuit mors & ſine qua obedientia, ne mors quidem eius nobis ſalutaris eſſet, nos iuſtificari:

ficari: Inſtitiam noſtram eſſe remiſſionem peccatorum per eius ſanguinem, & imputationem iuſtitiae eius, ſicut pro nobis factus eſt peccatum. Hanc ipſam doctrinam reperi in Catecheſi Palatinatus, in quaeſtione: quomodo homo iuſtificetur: quae Catecheſis ab omnibus Eccleſiis reformatis adprobata fuit. Et ſancte tibi adfirmare poſſum, me nihil de hac controverſia ſciviſſe, niſi anno 82. cum D. Vrſinus p. m. mihi oſtenderet Theſes Cargii, quas dicebat ſibi placuiſſe, & nimis ſubtilem viſam diſtinctionem, aut diverſam illam applicationem in Confeſſione Bezae: Interim (haec erant ipſiſſima verba) mihi religio eſt, (inquiebat) a conſenſu tot magnorum virorum diſcedere: nam & occurrunt mihi de aliis rebus ſpecioſae cogitationes, quae mihi ſuſpectae ſunt, cum video non congruere cum conſenſu tot piorum & in ſcripturis exercitatorum virorum. Et novi nonnullos diſcipulos eius primae notae: qui hanc Diſputationem pro Logomachia habeant. Iam ut exiſtimo, plenius intelligis me non plane ſine ratione ad te de his ſcripſiſſe. Cum a me diſſenties, imo cum percuties & flagellabis, balſami inſtar erunt ictus: ſed mihi condonabis, ſi ad te tantorum virorum querelas, & meam ſollicitudinem detuli, qui mortem opto potius, quam ut noſtri Doctores inter ſe committantur. Vale & ſalve, vir omni genere doctrinae ornatiſſime, ac filium meum tibi commendatum habe. Raptim admodum feſtinante nuntio, ea die, qua Elector noſter cum tota familia Ambergam proficiſcebatur: quem ego tuis precibus commendo. 9. Ianuar. 1596.

LXXXII.

TOSSANVS PISCATORI.

S. Ornatiſſime, & doctiſſime Vir: nullus eſt Orthodoxus, qui non videat M. Ioſephum Naſonem ἑτεροδιδασκαλεῖν, & excluſa Chriſti communione & omnipraeſentia omnem foederis Divini fructum adimere. Sed nunquam in hoc mundo aberrare, non eſſet hominis: erratorum meminiſſe & ea emendare, id demum eſt ſapientis. Eius igitur miſertus, quem propter certa dona egregia dignum alias honeſta conditione iudicabam, ante triennium hominem monui, rogavi, obteſtatus ſum, ut parem, vellet & ſui & Ec-

cleſiae

cleſiae habere rationem: Eo denique tum privatim, tum in Senatu Eccleſiaſtico ipſum adegi, ut aequipollentes phraſes admitteret, rem ipſam fateretur: & tamen nec redire in gratiam cum Bremenſibus, nec a ſuo dogmate diſcedere vellet: Imo & anno ſuperiore fruſtra reconciliationem tentavimus D. Grienradius, & ego propoſitis aequiſſimis conditionibus. Mavult miſer homo & Eccleſiam turbare, & in felle & aceto, & multis difficultatibus verſari, quam audire recte monentes. Dolebat mihi itaque, cum audirem, illum apud nos ſolos praeſidium & aſtipulationem inveniſſe, & ipſam iuventutem veſtram eius dogmate eſſe imbutam. Nam vix credas, quantopere mihi diſpliceant ingenia ſubinde in Religione νεωτερίζοντα: primum quia Academicis viam aperiunt, & de ſingulis capitibus Religionis dubitandi dant occaſionem: Deinde quia tempus quod in refutandis communibus hoſtibus Pontificiis, Vbiquitariis & aliis collocandum erat, in eorum argutiis examinandis terere oportet. Gaudeo autem me ex te intelligere, te ei non per omnia faviſſe: & pro Aphoriſmis miſſis gratias ago: velim tamen cum de Sacramentis agitur, non ſolum illuſtrationis & repraeſentationis: ſed imprimis (*) obſignationis noſtrae κοινωνίας cum Chriſto fieri mentionem. Dominus Ieſus indies veſtrae Eccleſiae & Scholae, tibi nominatim & toti familiae, quam amanter ſaluto, benedicat. Heidelb. 7. Martii.

LXXXIII.

TOSSANVS PAREO.

S. Clariſſime Vir, & frater in Chriſto obſervande: Etſi hoc tempore occupatiſſimus eram, volui tamen tuae petitioni obſequi, & quemadmodum exemplar unius ſcripti ad D. Vorſtium a vobis miſſi mihi communicaſti: ſic libenter curavi, tibi deſcribi exemplar poſterioris meae ad ipſum epiſtolae, una cum eiusdem reſponſo: ex quo, ni fallor, cognoſcetis, eum non tam veritati cedere, quam tempori, vel monitis forte ſui Comitis: quod miror poſt veſtras D. Iunii & noſtras multiplices admonitiones, imo iuſtas reſponſiones.

(*) At huius obſignationis ſit mentio ſtatim Aphoriſ. 1. in ipſa definitione, deinde in tertio & quarto. *Haec annotavit Piſcator.*

ſiones. Exemplar ſuae epiſtolae prolixae & eruditae ſuo tempore mittere poterit D. Pareus. Nolumus certe (ut ſibi perſuadere videtur) captivare eius mentem, ſed cuperemus tamen eam captivam adducere ad obedientiam Chriſti & ſobrietatem Chriſtianam. Vereor, ne miſera ſit hoc tempore totius illius Comitatus conditio: & conditiones ei honeſtas tum Nemauſi in Gallia, ubi maxime deſideratur Theologus, tum alibi inveniſſemus, niſi obſtaret haec eius ἰδιογνωμοσύνη. Diem ſuum obiit ſuperioribus diebus D. Calaminus, collega noſter. Tu, vir clariſſime, bene ac feliciter vale cum collegis. Ornatiſſimo Viro D. Rabo typographo veſtro ſalutem dico, eique ſignifico non eſſe, quod de Albino typographo laboret, cui abunde ſatisfaciam. Det ſaltem operam, ut libellum meum votivum emendate recudat. Ego erudito correctori honorarium polliceor. Clariſſ. etiam D. Doctori Althuſio, cuius frater mihi eſt cariſſimus, officioſe ſalutem dico. Heidelbergae; Raptim 17. Decembr. 1598.

LXXXIV.
IVNIVS PISCATORI.

Reverende Domine. Etſi ſilentii mei ad poſteriores tuas cauſam ſatis praegnantem adferre poſſem; tamen cum magis habenda mihi ratio tuarum occupationum, quam mearum excuſationum, illam merito hic praetereundam, & gratias pro libello illo tuo, tibi hoc tantum verbulo, agendas cenſui. Caeterum Commentarium tuum in poſteriores Regum libros, cum nuper Illuſtriſſimus & Generoſiſſimus Dominus meus accepiſſet praefationem, cuius in literis ad me datis memineras, ſtatim caepi legere, & pro eo ac meretur, Domino meo commendare, qui & ipſam avide perlegit, probavit & laudavit, quin & multos ſuper eadem praefatione, eiusque debita remuneratione, mecum habuit ſermones, quos & ſubinde in laboris tui gratiam repetivi. Sed data mihi ſuperioribus diebus occaſione, per Libellum a Diſcipulis Vorſtii nuper in lucem editum, cui titulus eſt de Officio hominis Chriſtiani; in quo inter alia affirmare non dubitant, licitum non eſſe, bellum gerere religionis cauſa; tantum effeci, ut Dominus meus ad prin-

cipem Mauritium manu ſua ſcripſerit, falſam illam opinionem abunde refutatam tua praefatione, quam & ut largo dignam praemio de meliori nota commendabat. Porro cum Vorſtiani eo iam impudentiae devenerint, ut etiam audeant in dubium revocare fundamenta tam religionis, quam reipublicae noſtrae; pergratum faceres, ſi paucis ſacrae Scripturae locis demonſtraveris ab Helvetiis iuſte excuſſos eſſe Auſtriacos, & a populo Iudaico iuſte expulſum Antiochum, qui locus a Bucano in Inſtitutionibus tractatus, maiorem a manu tua accipiet lucem pariter & authoritatem. Deus Opt. Max. te ſervet ad nominis numinisque ſui gloriam. Levardia 16. Cal. Auguſti 1611.

LXXXV.

FR. IVNII & collegae eius iudicium de libro quodam Piſcatoris adverſus DANIELEM HOFMANNVM.

S. Reverende frater, collega honorande. Perlegi D. Piſcatoris ſcriptum: utinam tandem ab iſta funeſta controverſia aut movenda aut promovenda ſancto ſilentio abſtineremus: ſed factum quis infectum reddat? Notavi ſtrictim, quae potui in iſta rerum mearum anguſtia. Tria ſunt, a quibus maxime nobis in hoc genere metuo: Nam iſte Hofmannus aſſultim omnes bonos petit obvios, ut ex illorum reluctatione inclareſcat: Ego quidem aeterno ſilentio hominem multaturus eſſem. Sed ad rem, tria ſunt, a quibus metuo: * primum eſt doctrina de iuſtitia paſſiva illa, quae aliquot locis latenter inſinuatur hoc ſcripto, ne apud hoſtes ventiletur: quo nomine ille antagoniſta violentiorem manum in Piſcatorem iniecturus eſſet. Secundum eſt, communionem ſubſtantiae amplius inculcari: nam etiam verba Calvini aliquoties ad ſolam efficacitatem ſemota ſubſtantia carnis quodammodo rapiuntur. Ter-

* Statim procul dubio vociferabuntur Hofmannus & Hunnius D. Piſcatorem in doctrina de Iuſtificatione a plerisque ſociis, tum in Gallia, tum in Germania, diſſentire: & ſi quid aliter ſentit de illo capite D. Piſcator: ſibi illud habere, nec palam a ſociis diſſentire deberet: cum dies diem doceat, & ſuam ſententiam de ſede Tropi retractet.

Tertium eſt pag. 278. & ſeq. (quod malum ex illa doctrina iuſtitiae paſſivae profectum eſt) ut caro Chriſti amplius dicatur agere: nam hic quoque minatur Camarina. Caetera notulae. Vale in Domino. Modo literas accepi a D. Maſſonio, qui te ſalutat. Iterum vale. Die Iovis XV. Iulii 1591.

Tuus

FR. IVNIVS.

His & ego ſubſcribo: & interim ſcriptum D. Piſcatoris, poſtquam recognitum fuerit, non ſupprimendum, ſed edendum exiſtimo, ne Polynices ille, qui ita ferociter D. Bezae & D. Pezelio & D. Piſcatori inſultat, triumphum canere pergat. In fine tamen ſcripti poterit teſtari D. Piſcator ſe in poſterum melius velle tempus collocare, quam in huiusmodi diſceptationibus cum his vitilitigatoribus. Optaſſem autem D. Piſcatorem, antequam de illo argumento aliquid evulgaſſet, de ſede Tropi certam habuiſſe ſententiam: ne nova tripudiandi occaſio ex Retractatione petulanti adverſario daretur: nec videtur gravis cauſa, cur in copula, in qua modus praedicationis latet, tropus poni poſſet.

LXXXVI.

ANTONIVS PERIZONIVS PISCATORI.

Salutem a Chriſto Ieſu, ſalute noſtra.

CVm veſtri Rulmanni cognatus mihi hic offerretur, commodam & diu expectatam ad te, clariſſime Domine Praeceptor, ſcribendi, & quae hic aguntur, quaeque ſcire Dominum Praeceptorem nonnihil intereſſe exiſtimo, ſignificandi occaſionem eſſe duxi. Ac primum, audivi nuper differentes viros doctos (neſcio qua occaſione) de diſtinctione illa, qua noſtri refutantes impium & horrendum illud Huberi dogma, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis, diſtinguunt Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus ſufficienter quidem, ſed non efficienter: audivi & quendam dicentem; Domino Piſcatori haec diſtinctio non probatur: Reſpondebat Pareus: Conſulebat me nuper aliquis ſuper hac re, eique

ſcripto meam ſententiam expoſui, nimirum putare me, poſſe eam tolerari: Rationes ſunt tres: 1. ut melius adverſarios refutare poſſimus. 2. non temere ab uſitatis recedere debemus. 3. quae ſit non memini. Deinde ad coenam afferebat ſuam epiſtolam in menſam, dabat legendam & meditandam alicui I. V. D. Iohanni Schönero. Multum tecte laboravi, ut deſcribendi mihi copia fieret: ſed hactenus frustra. Dicebat in menſa Dominus Pareus, ſe aliquando miſſurum Domino, ut quid Dominus reſponderet, audiret. Video hanc diſtinctionem non ſolum Domino praeceptori meo improbari, verum etiam Ant. Fayo Profeſſori Genevenſi: cuius in diſputatione contra Vbiquiſticum illud dogma Reſpondente Enocho Himmel, Pomerano, noſtri Principis alumno olim, nunc in Palatinatu alicubi miniſtro Anno 1590. Auctario 3. haec ſunt verba: Phraſim illam: Chriſtus mortuus eſt pro omnibus ſufficienter, non efficienter (ut Scholaſtici loquuntur) quocunque tandem modo accipiatur, ἀκυρολογίας accuſamus. „Sive enim conſilium Dei, ſive paſſionis effe„ctum, ſive utrumque ſpectaveris, pro impiis nullo modo eſt mor„tuus. Alias fatemur, tanti eſſe hanc oblationem, ut potuerit pro „infinitis mundis (ſi eſſent) ſatisfacere, nedum pro ſingulis homi„nibus unius, ſi Deus eorum omnium voluiſſet miſereri, & pro „omnibus filium miſiſſet.“ Eaque diſputatio a Reſpondente eſt Senatui Eccleſiaſtico, & Doctoribus Theologis Academiae, & miniſtris Heydelbergenſibus, atque nominatim etiam Pareo dedicata. Si praeceptorem meum huius rei gratia integram diſputationem habere cupere certior fiam, ſi non impreſſam, ſaltem deſcriptam mittam.

„Vorſtii noſtri actus Doctoratus heſterna die eſt celebratus „ſplendidiſſime praeſente Principe noſtro Electore, & Chriſtiano „Anhaltino: qui etiam convivio interfuere. Et mirati ſumus Ele„ctoris noſtri humanitatem, qui Dn. Vorſtium tegere caput iuſſerit, „atque cum eo continenter locutus ſit.“ Vorſtius enim fuit primus, ideoque a principe noſtro ductus. M. Thobias Chriſt. F. Pezelius ſecundus (qui Licentiati gradu contentus fuit) a Chriſtiano Anhaldino. Fuerunt etiam ſeptem Iuris Doctores creati. De comitiis, eorumque actis varia apud nos ab Vbiquitaria factione ſunt

ſparſa:

ſparſa: de noſtri eradicatione, de excommunicatione noſtri Principis ob abſentiam &c. Nugae ſunt. Amicisſime accepit Caeſar noſtri Principis excuſationem. In Vngaria proxime Mars dubius fuit. Ex Galliis nihil. De Gröninga Phryſiae metropoli, varia item apud nos vulgata ſunt. Habui nudius tertius tabellarium Weſtvalum, qui ante 12. dies ſe in caſtris fuiſſe affirmabat, noſtrum militem urbem vehementisſime tormentis ac globis candentibus ex recenti officina, ut eo vehementius urant & demoliantur, impetere, & iam vallem ſuperiorem, nos Bruſt-Wehr appellamus, atque turrim ad D. Martinum demolitam eſſe funditus, neminemque tuto in platea apparere, partim ob locum eminentem, e quo tormenta emittunt, partim etiam in ipſis domibus non eſſe tutos. Globi enim in urbem immisſi muros domorum ac trabes deiiciunt, ut ita multi enecentur. Quin & multi in ſeditione intra moenia ceciderunt, parte civium pro nobis, parte adverſum nos certante. Theſes Domini Vorſtii transmitterem, niſi ipſum per Goddanum nuper miſiſſe ſcirem. Sine dubio narravit, quî Dn. Toſſanus rotunde confeſſus ſit, ſe Domini Bezae ſententiam in hoc articulo de obedientia pasſiva & activa non probare, qui variis peccatis varia remedia velit adhibere, unum, dixerat referente mihi Vorſtio, ſcio Chriſti ſanguinem ſufficere. Propter hanc ſententiam, quod eam Heydelbergenſes non probarent, ex Herbornenſis olim diſcipulis, nunc miniſtris Eccleſiae in Weſtvalia, quidam perſecutionem aliquam & invidiam ſuſtinuerunt. Nunc vero quid dicent?

Rogo D. Praeceptorem, ut celerrimo calamo ignoſcat. Malui haec quocunque tandem modo & raptisſime Domino ſignificare, quam plane ſilere, praeſertim cum haec ad Dominum praeceptorem meum ſpectent. Vale. Heydelbergae 5. Iulii. Anno 1594.

LXXXVII.

GEORGIVS REMVS PISCATORI.

Χαίρειν ἐν Κυρίῳ. Cl. & Reverende Vir, colende mihi Domine Piſcator, cum te de Eccleſia, de ſcholis, optume meritum norint

rint boni omnes, & gaudeant plurimi tua inſtitutione, tuorum lectionem Commentariorum ἀναλυτικῶν meliores & doctiores evadant, volui, quaſi publico nomine, cum & privato tibi debeam honorem, quem Tua inſignis Pietas & Eruditio meretur, te compellare hac ipſa occaſione, τῷ γραμματοφόρῳ, γεωργίῳ πάσορι, παμφιλτάτῳ μου, ad hanc rem commodum ſe offerente, quicum hic pauculis diebus convixi. Atque utinam & tibi liceret, tuumque affatum afflatumque haurire, cuius tamen labores Biblicos habemus, & apud nos publice venundantur, (civilius agimus Dynaſta Martispurgenſi, qui γείτων veſter) unde nomen tuum vigere hac florentisſima Rep. colliges. Equidem disſimiles habemus πολίτας, ut in liberis ſolet rebus publ. Qui enim hoc ſublatum velit, is & ſolem, & pacem publicam: cum unumquemque τὸ ἑαυτοῦ φορτίον ferre, neminem alieno praegravari odio, iuris ſit. Et, tritico paleas permixtas eſſe, donec vannabuntur paleae, & cenſoria dies venerit, tolerandum ſit. Vivo, ut ſpero & opto, DEO meo ſincera conſcientia eo loco, ubi olim, Orthodoxi conſenſus auctor, D. Chriſtoph. Herdesſianus, ubi Marqu. Freherus parens, οἱ μακαρῖται, ubi hodie vivit Philipp. Camerarius I. C. & vixit frater eiusdem Ioach. Camer. Archiater, viri pol maxumi, quibus ego, ceu canibus catuli, comparer. Omnibus votis exoptem, aliis eam lucere lampada, tam puram, quae vobis. Quidquid vero deeſt, ſupplet vicinus Electoralis Palatinatus, quem in flore conſervari comprecamur. Sed tua morari negotia nolo, Vir laborioſisſime; cum quis rerum noſtrarum ſtatus ſit, prolixe referentem, ſi vacat, audire posſis, Ornatiſſ. virum Paſorem, qui ſui apud me deſiderium ingens relinquit. Quod ſupereſt, Clarisſimis Viris Dominis Collegis, acutisſimo D. Martinio, Conſultisſimo D. Althuſio, expertisſimo D. Pinciero, ex me ſalutem impertire officioſisſime. Et te ſoſpitet Optumus Maxumus IEHOVA, noſter DEVS, ὁ πατὴρ ἐν οὐρανοῖς. Quidquid vero tuis rebus commodare hic locorum potero, id me facturum ubi innueris, ſcias volentem lubentem laetum. Tuis ad DEVM precibus me commendans, finem facio. Vale & ſalve, Clarisſime Piſcator. Norimbergae IX. Calend. Aprileis, cIↃ IↃ c III.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

BALTHASAR MENTZERVS PISCATORI.

SAbfui peregre per aliquod tempus, Clariſſime & doctiſſime Piſcator, & reverſus domum inveni quod agerem: tandem nactus otium fidem meam liberare caepi, inſtituta reſponſione ad tuam conſiderationem meorum dictatorum. Quae cum prolixitate tua me terrere ipſum velle videretur, aliam ingreſſus ſum viam, quam tibi ſpero non improbatum iri. Theſibus igitur complexus ſum totum argumentum: quas ad te mitto: in quibus, ſi quid deſideraveris, offero me ad pleniorem declarationem. Vidi in prima editione explicationis Catecheticae Zachariae Vrſini quaedam veſtigia tuae opinionis (in multis tamen partibus a te diſſentientis) ſed illa ſublata ſunt in editione ultima a D. Paraeo adornata. Excuſſi etiam Patres Iuſtinum, Theodoretum, Cyrillum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, & alios, in quibus invenio luculenta admodum teſtimonia, quibus noſtra ſententia confirmatur. In B. Lutheri ſcriptis tam illa perſpicue & nervoſe proponitur, ut exiſtimem, ſi perlegeris, facile te conceſſurum, & ipſum & Auguſtanam Confeſſionem tibi non patrocinari. Adiunxi etiam brevem conſiderationem tuarum notarum ad analyſin meam cap. XI. ad Rom. in quibus me vehementer offendit aſſertio tua de Deo Opt. Max. auctore incredulitatis: quae, ſi duriorem reprehenſionem mihi expreſſit, aequiore animo feres, quod divinae gloriae adſcribendae, quam intempeſtivae moderationis ſectandae ſtudioſior eſſe debuerim. Vale, & moram, quae interiecta fuit, in bonam partem interpretare. Marpurgi XVI. d. Maii Anno ſoLI Deo sIt oMnIpotentI gLorIa.

LXXXIX.

SIMON GOVLARTIVS POLANO.

S. P. Literas tuas, Nobiliſſime Vir, ad Ferrerium Nemauſenſem Ecleſiaſten diligenter & tuto curavi. Si quid reſcribet, mature acci-

accipies. Eadem via ad Dn. Sonnium Montalbanenſis Academiae Theologum ſcripſi, ut & ad Ferrerium; quibus mitto tuarum ad me literarum exemplar, tecum idem ſentiens. Hi duo delecti ſunt, a Synodo, qui Piſcatoris dogma oppugnent. Tertius in Delphinatu apparuit, qui tractatum D. Gabrieli Cuſino huius Eccleſiae miniſtro commiſit evulgandum, de eadem controverſia. Cuſinus autem a coetu noſtro monitus eſt, ne quid eiusmodi mitteret adhuc in lucem, & ſpero eum obtemperaturum. Nuper ex Hollandia paradoxa & heterodoxa non pauca ad me miſſa ſunt, Domino Arminio attributa, quae te iam vidiſſe puto. Quod autem Arminium virum (ni fallor) acutiſſimo ingenio praeditum, & in rebus theologicis exercitatum iudico, facit, ut non exiſtimem eum tam graviter hallucinari in praecipuis aliquot ſanae doctrinae articulis. Quod ſi ita eſt, heu, quas turbas ille dabit? is ſane eſt, qui, ſi delirare occeperit, ludum iocumque dices fuiſſe Piſcatorem, pro ut huius rabies dabit. At Chriſtus meliora, quem tibi, Reverendo Seni D. Grynaeo ſocero tuo, D. Conico &c. peropto propitium. Ex muſaeo Sangervaſiano XI. Auguſti anno 1606. *

XC.

ANTONIVS FAIIVS

AMANDO POLANO.

S. Reverende Vir, & Domine & frater in Chriſto obſervande, idem nobis de Dn. Renaldo renuntiatum eſt, ac vobis: illum privatorum negotiorum cauſa, ſuſcepta in Germaniam profectione, a fratribus Vapinci in Synodo congregatis literas accepiſſe ad quasdam Eccleſias: an etiam ad D. Piſcatorem, haeſito. Memini tamen a nobis ſerio monitum, ne quid in cauſa D. Piſcatoris moveret, Helveticis & Palatinis Theologis inconſultis: ne forte excitaretur, quod ſepultum eſſe praeſtaret, diſſidium. Bene meritum de Eccleſia virum non agitandum: qui hactenus taceret, optimorum & illuſtrisſimorum principum autoritate motus: Eccleſiaeque vetera obducenda vulnera, non inducenda nova. De Antichriſtianico

* *Ex apographo ad Piſcatorem miſſo.*

nico capite etiam audivit a nobis, primos Eccleſiarum reformatores, Chriſto adverſum, Eccleſiae adulterinae caput, Pontificem Romanum re & verbis demonſtraſſe, nunquam tamen eo veniſſe, ut fidei articulum huiusmodi diſerte inſeruerint ſuae confesſioni: importune videri hoc tempore id fieri, ne cauſa praebeatur ingeniis nonnullorum quieſcere neſcientium: nos ea moderatione contentos: ut Antichriſtum Romanum agnoſcentes & ſuis coloribus depingentes, nihil tamen in ipſa confesſione mutandum, addendum, detrahendum putemus. Quod ſi quid emendationis indigeat, id ſeorſim extra ipſius confesſionis corpus eſſe apponendum. Quomodo ille ab eo tempore ſe geſſerit, nihil certi audivi. Fama eſt D. Piſcatorem literis ad fratres Gallicanos ſcriptis, rationes a Renaldo propoſitas refutaſſe, intelligo duobus provinciam demandatam, ut ἀντιαπολογίαν adornent, proximae Synodo exhibendam, illi ſunt D. Ferrerius Nemauſenſis Paſtor, & D. Saulnius ſcholae Montalbanae Theologus, verendum eſt, ne turbas dent ſcriptiones eiusmodi. Fratres, quantum potero, monebo, ut exitum rei potius quam principium ſpectent. Si veſtris & Palatinorum fratrum literis pariter admoneantur, illos quieturos ſpero. Id commode fiet, quum Rupellam menſe Maio ad Synodum convenerint. Interea non caelabo, ſcriptum a D. Foelice Vgneto, Ligure, vel Inſubre, qui antehac ſacro miniſterio defunctus, nunc privatus degit Gratianopoli, ad amicum ipſius quendam huc perlatum, nobis inſciis fuiſſe typis mandatum. Licet autem nihil acerbe, contra D. Piſcatorem dicatur, deque re ipſa tantum agatur: ut tamen appareat nos paci Eccleſiarum ſtudere, & a turbis penitus abhorrere, exempla omnia, ſub arctisſima cuſtodia aſſervanda curavimus & curabimus, obiurgatione ſeverisſima adhibita, editionis illius infauſtae authori. Genevae XI. Septembris, anno 1606. *

* *Huius epiſtolae autographum abeſt: nos vero deſcribendam curavimus ex exemplo Piſcatori transmiſſo.*

XCI.

IOH. BVXTORFFIVS PISCATORI.

S. P. Vir Reverende, D. Piſcator, non ſinebant occupationes meae, ut ante nundinas praemeditate ad te ſcribere potuiſſem. Nunc praeter opinionem & occaſio & res ſerius ad manum nata. Mihi aliis occupato non conſtabat de D. Oleviani diſceſſu. Ille apud nos, optime meritus, creatus Doctor Medicus, ſerius adhuc Francofurtum diſcesſit. Interea D. Waldkirchius volebat incipere impresſionem tuorum Rudimentorum linguae Hebraicae. Literarum poſitor mecum de formae conſtitutione confert. Ego librum perluſtrans video deeſſe Participium Praeteritum Pahul, eius tabulam & notas in tabulam. Vnde putavi opus imperfectum futurum, ſi id Tempus deſideretur. Vnde conſultum fuit, ut ad te remitteretur. Vtut perfectum fuiſſet, tamen hac aeſtate excudi non potuiſſet. Waldkirchius antehac quatuor hebraicae literaturae peritos Poſitores habuit; duo in meo Lexico fuerunt occupati: tertius Genevam diſcesſit, ubi excuduntur Biblia Hebraea cum interlineari verſione, ad formam Antvverpianae editionis: quartus, Iacobus, quem noſti, qui & Corvino inter operas non poſtremus fuit, cum D. Waldkirchio lites habuit, & ab eo diſcesſit. Hinc teſtari poſſum, excudi non potuiſſe. Quod reliquum, ſi remittatur, ego correctoris operam libenter praeſtabo. De his ſatis. Complementum Bibliorum avide in his locis, non dubium, quin & alibi, expectatur. Ego non admodum magnae notae nunc obſervavi. Audivi tamen a viro bono, diſplicere quod poſueris Kertze pro Liecht in metaphorica ſignificatione. Kertze eſt candela, quae menſae imponitur, materiale ſcil. Lumen, Liecht eſt generale. Kertze Iſrael; Der HERR iſt meine Kertze ꝛc. in libro Samuelis ſecundo, non placet. Audivi plura, ſed nunc non ſuccurrunt. In ſcheda & ego notata quaedam habeo, ſed neque nunc invenire poſſum. Scribam prima occaſione. Sed a quodam Studioſo audivi, te eruditum aut monitum a quodam an Lutherano an Romano? neſcio, ad quem tuum reſponſum prodibit his nundinis. Bene ſic fit. Non dubito, quin Lux & Robur tuae verſioni acceſſerit. Sic Deus

Deus mala in bonum diſponit. Meam Epitomen Lexici videbis a quodam Studioſo. Adieci inter excudendum quaedam ex arcanis Hebraeorum ſcriptis, quae in vulgus non fuerunt nota. Alia cogito & ſub manibus habeo: Opto Maecenates, qui concilient otium. Münſterum ſuperare conabor. Vale, vir Reverende, amice & Praeceptor perpetuum honorande, ſcribit 10. Sept. An. 1607.

XCII.

IOHANNES ALTHVSIVS IOHANNI PISCATORI,

Scholae Herbornenſis Rectori.

D. Conradus Vorſtius Leidam ſive Lugdunum Batavorum ad profeſſionem Theologiae vocatus tandem eo venit ibique nunc degit. Rex Britanniae Iacobus de peſtiferis & horrendis erroribus huius viri per ſuum legatum Dn. Ordines Hollandiae monuit, atque ut hominem miſſum facerent, & a profeſſione Theologica ob commune iuventutis periculum, arcerent petiit, atque nominatim errores illius de DEO in libro eiusdem de DEO & attributis DEI oſtendit, addita comminatione, niſi hoc facerent, ſe facile videre, vinculo religionis ſoluto & concordia ſublata, hoſti ipſorum aditum patefieri, & confederationem ſecum religionis cauſa initam, diſſolvi. Poſtea Londini in foro mandato regis liber iſte, quem dixi, per carnificem igne publice combuſtus fuit. Hollandi contra regis voluntatem, invitis quoque & diſſentientibus quibusdam Hollandiae civitatibus, Vorſtium fovent & retinent. Friſiae occidentalis Theologi imprimis Leovardienſes & Franequerani publice editis ſcriptis polemicis ſe Vorſtio opponunt. Vorſtium defendunt & protegunt omnes Arminii defuncti aſſeclae, imprimis vero Ioh. Vdenbogart, homo diſertus & doctus, qui fuit aulicus concionator illuſtriſſ. Principis Mauritii & Pet. Bertius Profeſſor in eadem Academia. Pii cum dolore & gemitu haec certamina & incendia diſſenſionum & diſcordiae videntes lugent. Ieſuitae & Iberi contra in ſinum ridentes, in occaſiones perdendi ſunt intenti. Sic itaque pax & tranquillitas nuper in his locis nata, eccleſiam nunc incipit tur-

bare & novi belli materiam ſubminiſtrare. A te vero Dn. Menſo & ego rogamus, ut ſi quas habes literas, a D. Vorſtio olim ad te ſcriptas, eas ad nos mittas, ut ſi quid in hiſce de his, vel ſimilibus aliis Vorſtii erroribus deprehendatur, id pro apologia Friſiorum iisdem poſſimus communicare. Bene vale & collegas tuos meis verbis ſaluta peramanter. Dabam Embdae 21. Octob. Anno 1611. Dominus Menſo te ſalutat, ſimiliter te & uxorem tuam mea uxor officioſe ſalutat.

XCIII.
GEORGIVS PASOR
PISCATORI.

IN *tartarum detruſos.* (*ταρταρώσας*) Haec diaboli & angelorum malorum detruſio ac commoratio ordinaria in tartaro opponitur ipſorum ordinariae & glorioſae habitationi in coelo, quod coelum, *ὡς τὸ ἴδιον ἑαυτῶν οἰκητήριον* Iudae v. 6. dereliquerunt, ac culpa propria amiſerunt. Sicut vero beati & electi angeli, qui in coelis vident faciem PATRIS coeleſtis Matth. 18. 10. ſaepe tamen in terram *ὡς πνεύματα λειτουργικὰ* emittuntur, miniſterii cauſa, propter haeredes ſalutis futuros ſeu propter electos homines, Heb. 1. 14. ita Spiritus illi tartarei ſeu angeli reprobi, Deo permittente, durante hoc ſeculo, ad electos homines tentationibus vexandum exercendumque Iob. 1. & ad impios ſeducendum 1. Reg. 22. & excaecandum 2. Cor. 4. 4. circumvagantur in aëre. Hinc diabolus princeps aëris Eph. 2. 2. & *κοσμοκράτωρ* Eph. 6. 12. a SPIRITV Sancto appellatur.

Catenis caliginis tradidit & quidem aeternis Iud. v. 6. Nam ad *οἰκητήριον* illud coeleſte omnis iis praecluſus eſt aditus, & ſpes unquam eo redeundi prorſus adempta eſt. Vagantur in hoc mundo inferiori circa terram (ubi lux noſtra corporea collata cum luce aeterna inſtar caliginis eſt) ad exſequenda iudicia DEI, ſed *conſtricti tamen catenis caliginis.* Scil. 1.) quatenus amiſerunt dona per lapſum ſuum, quibus antea coruſcarunt. 2.) quatenus iuſtiſſimi Iudicis iram, & horrendum ſupplicium in conſcientia ſua praeſentiſcunt Iacob. 2. 19. 3.) quatenus DEVS omnipotente ſua manu eos tenet conſtrictos,

ctos, veluti canes rabioſos, adeo ut vel in porcos Matth. 8. vel in pediculos &c. Exod. 8. iis nulla fuerit poteſtas. 4.) quatenus DEVS in aeterno ſuo decreto conſtituit eos nunquam recipere in gratiam. Hinc dicuntur vincula, qua voce indicatur, eos tanquam captivos non ſui eſſe iuris, eos non poſſe, quae facere cupiant. Dicuntur vincula aeterna, quod iam ab ineunte mundo caeperint, & duratura ſint in aeternum. Sic rei capite plectendi ex carcere duriori per aliquot horas emiſſi in aggere laborare permittuntur, vincti tamen compedibus, nec tamen propterea captivitate, capitis ſupplicio, eiusque horrore cenſentur liberati. Sic ſe habent damnati ad triremes, qui quandoque cum catenis ex ergaſtulo egrediuntur, ſed eo reverti, ibidemque vitam conſumere coguntur. *Ad iudicium reſervatos* magni illius diei Iudae v. 6. ubi vincula erunt arctiora, & cruciatus tum continuatione, tum intenſione acutiores. Horum dilationem daemonia expetunt Luc. 8. 31. & expreſſe mentionem faciunt τοῦ βασανισμοῦ, v. 28. Confer Matth. 8. 29. ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς. Addo, nos fere ignorare, ubi tartarus ſit, ac multas alias circumſtantias, de quibus ſcriptura loquitur parciſſime.

Clarius:

In hac vita Satanas eſt in tartaro, & poſt extremum iudicium etiam erit. Sed cum hoc diſcrimine. In hac vita permittit ei DEVS, ut egrediatur & aggrediatur Eccleſiae militantis cives &c. In altera vita ei id non permittet. Quidnam per catenas *caliginis* intelligam, ſupra dixi, ſcil. iacturam lucis in mente, voluntatis propenſionem tantum ad mala, horrorem ſupplicii tandem in extremo iudicio ſubeundi, vermem conſcientiae, privationem viſionis DEI, eius conſtrictionem ne quid audeat, nedum poſſit &c. Haec ſunt, quae ad ſcrupulum tuum eximendum, forte verboſius dixi, quam ipſe volui. Vale.

XCIV.

LVDOVICO, comiti VVitgenſteinio, magno Palatinatus praefecto, DANIEL TOSSANVS.

ILluſtris & generoſe Domine, iamiam ex Cancellaria domum repetii. Abſit autem tantum ut mihi tribuam, ut Epiſtolam tanti Viri recognoſcam. Hoc ſolum ſummonere viſum eſt, cum tantam acerbitatem animo illi homines conceperint, & D. Eraſtum * extra omnem culpam poſitum inclementer tractari iudicent, non abs re fore, ſi Principis decretum aliquantulo latius eis explicaretur, iſtud nimirum quod cum magnae eſſent graviſſimarum ſuſpicionum occaſiones, & nonnullis maxime in Academiae leges ſe peccaſſe non negarit Eraſtus, omnium votis etiam Miniſtrorum, quos tunc Princeps adhibuit, leviorem viam eſſe comprobatam & ſuaſam, ut ſcilicet agnoſceret ſe Eccleſiam offendiſſe & Miniſtros commiſiſſe inter ſe, inpoſterum autem operae precium eſſe, ut ſeſe cum Theologis & Miniſtris reconciliaret, atque cum iis placide & coram de ſuis ſcrupulis, quos ipſe parvos & fere nullos eſſe aſſeverabat, conferret. Iſta valde cuperem, ſi fieri poſſet, inſeri, & illum ſaepe a Miniſtris humaniſſime ad colloquium invitatum, recuſaſſe. Dabis veniam Illuſtris Domine, quod iſta liberius. Bene valeat D. T.

XCV.

TOSSANVS eidem.

LEgi diligenter Illuſtris & Generoſe Comes utramque Epiſtolam. De Ambergenſi ** negotio igitur, quod nobis propinquius eſt, pri-

* Eraſti vitam ſcripſerunt Adamus & Freherus, ſed ita, ut viri docti de gubernatione eccleſiae & excommunicatione ſentenria ipſis vix minima ex parte videatur innotuiſſe. Hiſtoriam controverſiae Altingius hiſt. eccl. Palatina p. m. 205. ſqq. Hornius hiſt. eccleſ. p. m. 652. ſqq. & Voetius politicae Eccleſiaſticae Part. III. lib. IV. tr. IV. p. 936. pertexunt.

** Hoc negotium, & quemadmodum eccleſiae evangelicae miniſtros Amberga eiecerint Reformati, copioſe narrat Henricus Alting hiſt. eccleſ. Palatina p. m. 217. 245. & ſeqq. Ac fuit hic Ludovicus Witgenſteinius pars magna illorum motuum ſub Friderico III. loco motus a Ludovico ſucceſſore, ut docet Altingius p. 229.

primum dicam, nihil hominis alioqui eruditi epiſtolam complecti, nihilque ab eo obiici, quod ſcriptum ** nuper editum non diluat.

Primum Magiſtratus officium eſt facere, quod Lex praeſcribit, & officii atque vocationis potius quam eventuum rationem habere.

Deinde non recte ſuadendo aut ſyncere agendo ſed nimis potius diſſimulando & tergiverſando ſeſe Witebergenſes quos perſtringere videtur in has difficultates coniecerunt.

Argumentum ab aetate Electoris invertitur, quod ingraveſcente aetate maxime eum conveniat rebus Eccleſiae conſulere, & omnia recte conſtituere.

De vi conſcientiis allata, nemo qui Apologiam noſtram expendet, quidquam, ut ſpero, nobis obiiciet. Scopus enim Legationis non fuit, Lutheranos miniſtros ob Lutheraniſmum removere, quod non eſt tentatum: ſed Ambergenſibus perſuadere ne nos inauditos damnent, item providere, ne praetextu Auguſtanae confeſſionis vel ſeditioſis concionibus, vel falſa doctrina imbuantur: denique ut Thomas ille, quem & ſenio & vino confectum omnes norunt, removeretur.

Altera Epiſtola, Deus bone, quantum fermenti habet? quam tota in perſonas potius invidioſe fertur, quam in argumenti propoſiti tractationem? Quam confidenter praecipui Galliae Miniſtri imo univerſae illae Eccleſiae, Theologi noſtri Illuſtriſſimi Electoris actio poſtrema cum D. Eraſto taxantur. Venit in mentem Dictum illud Iuſtini Martyris Libr. 2. Apologiae: Cum de aliis iudicamus, rationem, non affectus in iudicium & conſilium adhiberi debere: Et aequiſſimam eſſe conſenſu omnium poſtulationem, cum quis accuſatus ſeſe offert ad exhibendam rationem. Id ſemper Gallicae Eccleſiae fecerunt & ſcriptis quoque publicis, imo Francofurti in Imperii celeberrimo conſeſſu Imperatori oſtenderunt, ſe initio Reginae Regisque iuſſu ad arma capienda pertractos, quae pro patriis Legibus, pro Regis authoritate in Guyſianos & Italos capta ſunt,

* Liber inſcribitur: *Erinnerung an einen Erſamen Rath und Gemeinde der Churfürſtl. Stadt Amberg &c. 1575. durch Dan. Toſſanum.* Huic libello oppoſuerunt Ambergenſes alium anno 1576. hoc titulo: *Wahrhafter Bericht eines Erb-Raths der Stadt Amberg wider die Beſchuldigung Dan. Toſſani.*

ſunt, qui regnum praedae habent. Mirum igitur illum egregium alias virum, dum cum talibus hoſtibus bellum gerere non vult a Galliae primariis Principibus, cum natura ipſa bellum gerere velle videtur: quaſi non ſatis ſit effuſum noſtri ſanguinis, quaſi non ſatis miſeris Evangelicis impoſitum: quaſi denique illi nimis Regii nominis larvam ſuo magno damno reveriti ſint. Praeterea ita impotenter in Bezam (quem perſtringit nomine magni praeconis verbi) eius oratio fertur, ut non meminerit non eſſe infinitam, ſed circumſcriptam principum potentiam, quos certis legibus mutuaque obligatione conſtringi certum eſt.

Alterum autem caput a Dominatione veſtra praetereundum non videtur, cum illa toti actioni cum D. Eraſto interfuerit, quam ſuggillat. Itaque operae precium exiſtimarem, ut pro veſtra prudentia ei eriperentur illae ſuſpiciones & rem a Magiſtratu non a privatis hominibus tractatam intelligeret, denique aurem alteram nobis ſervet, antequam ſic ſententiam ferat. Hiſce diebus nomine Theologorum & Miniſtrorum cum Domino Reckio Dominum Eraſtum adivi, variis rationibus propoſitis ipſum cohortans, ut nobiſcum ſemel placide conferre vellet, nos omnem illi benevolentiam oſtenſuros, & nihil tam cupere, quam ut nobiſcum reconciliatus nobiſcum amicitiam colat. Acturos cum eo ex Theologis & Miniſtris quod delegerit: Integrum ei fore ex amicis ſuis teſtes adhibere quos volet. Ille plane reluctatus eſt, & ſimpliciter reſpondit ſe cum nemine niſi ſcripto acturum. Reſpondi nolle nos contendere, ſed nos mutuo reconciliari & admonere: ut & ex nobis audiat, & nos ex illo viciſſim quid ad veram concordiam neceſſarium & operae pretium ſit: Quare rem talem non ſcriptis praeſertim inter praeſentes, ſed coram expediri debere: Verum in propoſito manſit.

Quae vero mihi communicavit Excellentia tua, ea mihi ſoli habebo: Iſta tantum obiter attingere volui & raptim exarare, quae, ut boni conſulas, oro: matutinae horae me in Conſiſtorio habuerunt. Pomeridianas liberorum valetudini magna ex parte attribui, qui omnes mihi in variolis decumbunt. Pudet me igitur, quod iſta vel nitidius ſcribere vel ſaltem exſcribere non licuit.

Do-

Dominus Deus tuam Excellentiam diutiſſime tueatur incolumem. 6. Septembr.

XCVI.

Idem eidem.

ILlud ego magna cum voluptate accepi, Illuſtris & Generoſe Comes, quod mihi literae tuae nunciarunt, non deeſſe ſcilicet, vel in iſtis Comitiis viros, qui tacitis ſaltem iudiciis, Electoris noſtri pietatem, & ſtudium erga Rempublicam, importunorum autem Theologorum petulantiam & faſtum agnoſcant. Ita enim fiet, ut Schmidlinus, qui hodie Germaniae Primas videri vult, fidem apud homines non facile inveniat, ſi eius artes recte intelligantur, cum, Cicerone teſte, iuſtis & probis fides haberi ſoleat, in quibus nulla eſt fraudis iniuriaeque ſuſpicio. Nos certe avidiſſime conventus illius, ſive Synodi in Haſſia, exitum expectamus, ubi de articulis Torgenſibus, aut de novo corpore & portento, quod ex Vbiquitiſmo & Flacianiſmo conflatum eſt, iudicari & pronunciari debet. Vide quantum iam Primas ille poſſit, qui quatuor fratres Lantgravios ſtatim vel nutu ſuo coëgit, Synodum imperavit, alios multos principes una ſaltem literarum ſignificatione ad ſubſcriptionem impulit, & denique quid non? Memini ſaepe, cum iſtum hominem intueor, illius Euripidei, qui impudentiam omnium morborum, qui in hominis animum cadunt, peſtilentiſſimam eſſe ſcribit. Nos vero quid? patientia ſcilicet noſtra inanes iſtos impetus frangemus, ardentibus precibus eorum odiis obſiſtemus, qui nos perditos volunt, & tum bona conſcientia, tum ea neceſſitudine, quae nobis eſt cum tot piis & orthodoxis Eccleſiis, nos conſolabimur, donec Dominus adventu ſuo, qui prae foribus eſt, litem dirimat. Sed me equidem, Generoſe Comes, populi Germanici, me tot gregariorum Miniſtrorum per Germaniam miſeret, quorum animi errore vagantur, & propter iſtas corporum novorum creationes, miſere fluctuant, ut nihil habeant, quod ſequantur, cum plerique hactenus Philippum praeceptoris loco, corpus doctrinae Witebergicum, inſtar fili Ariadnes habuerint. Ego ad te mitto Tractatum novum de Antichriſto, a Genevenſi quodam Theologo doctiſſimo editum. Nondum licuit

legere, nam nudius tertius primum eum accepi, quem ſtatim ad te mittendum putavi, ut inter tot curas & occupationes habeas, unde te ſuccisſivis horis oblectes. Hoc me exanimat, quod tot Eccleſiae lumina, & recens Simlerus, item alii alibi cadunt. Dominus his graviſſimis temporibus pios Prophetas, & fidos operarios excitare velit. De reditu Caſimiri noſtri, & quam cupide, quam religioſe a parente ſit exceptus, & etiam ocreatus in ſacellum deductus, ubi Euchariſtica ſacra peracta ſunt, illa omnia, non dubito, quin ad vos perſcripta ſint. Vale faeliciter in Chriſto Illuſtris & Generoſe Domine Comes cum Clarisſimo Barone Altiſaxio, & caeteris Dominis Conſiliariis. Heidelbergae, die 12. Septembr. 1570.

XCVII.
BEZA LVDOVICO VVitgenſteinenſi.

SEtſi nobis haec miſerrima tempora, Illuſtris & Generoſiſſime mi Domine, nullum niſi triſtiſſimum argumentum ſuppeditant: tamen quum meas tibi non ingratas eſſe animadvertam, & mutua communium miſeriarum commentatio ſit quaedam ſolatii ſpecies, ſaepius te profecto appellarem, ſi plures poſſem commodos tabellarios nanciſci. Gallicarum cis Ligerim Eccleſiarum nuper florentiſſimarum, & quarum faciem abolere nulla belli diuturnitas, nec ſaevitia potuerat, vix ulla nunc ſpecies apparet, immo nulla niſi apud ipſius Dei oculos, haud multo ſecus, quam apud Iſraëlitas olim, Elia prophetas omnes occiſos, & altaria diruta conquerente. Et hic certe apparet nunquam ſibi magis cavendum eſſe piis a Satana, quam quum aperte non furit. Iuſſi tantum ſunt Paſtores intra diem ab edicti promulgatione in ſingulis praefecturis decimum quintum, ſub capitis poena regni finibus excedere: ovibus ſex ad deliberandum menſes conceſſi, intra quos & ipſi, vel religionem eiurare, vel exulare, ſalvis tamen bonis ſuis omnibus, tenerentur, quacunque ratione rebus ſuis conſulere placeret, libera ipſis facta poteſtate, indictaque capitis poena iis omnibus, qui vel minima iniuria diſcedentes violarent. Summiſſi per idem tempus huc & illuc, qui praecipuos monerent ſimulate haec praecipi, ut coniuratorum conatus infringerentur, ſublato praecipuo ipſorum praetextu.

Regem

Regem enim vel illis intra illud ſpatium fractis noſtros omnes in integrum reſtituturum, vel, niſi perficere iſtud tam cito poſſet, tempus illud ampliaturum. Tantum coire ſimul ut antea piorum caetus deſinerent, nulla vi conſcientiis ipſorum illata: & ad breve ſpatium paſtores ſecedere potius quam excedere iuberent. Hoc eo facilius eſt plerisque locupletioribus perſuaſum, quibus grata erat haec oratio, quod Regem vix erat credibile coniuratis ſerio reconciliatum iri, a quibus eſſet tot iniuriis palam affectus, & ex eo ipſo voces quaedam audirentur, & non pauca ab ipſo geri animadverteretur, quae aliter illum, quam prae ſe ferret, in coniuratos affectum, teſtarentur. Sic in omnibus cis Ligerim provinciis, quibus ad ſeſe, ſi qua vis maior ingrueret, tutandos nullum erat perfugium, facile, quamvis alicubi ſerius, impetratur, ut paſtores, alibi ovium ipſarum rogatu, velut ad tempus ſecederent, alibi a ſuis caetibus deſtituti huic tempeſtati cedere cogerentur. Eos ſequuti cordatiores alii trans Ligerim ad tutiora loca refugerunt; alii in Angliam traiecerunt, alii in Germaniae fines tranſierunt, alii denique ad nos ſeſe receperunt. Hoc ita facile confecto, ecce novum Regis edictum, quo, exceptis uxoribus, & parvulis (nulla certe clementia, ſed mero aſtu, nimirum ut illarum fracta paulatim conſtantia, abſentes viri partim uxorum blanditiis, ad reditum, & defectionem ſollicitentur, partim captivae familiae recordatione ab armis tentandis abſterreantur:) quo, inquam novo edicto, qui domi ſubſtiterant, non expectato, quod ex edicto priore ſupererat, ſpatio, intra decimum quintum diem vel demigrare, vel religionem eiurare, imo etiam execrari iubentur, iniecta in omnium abſentium facultates manu regia, nimirum ut tum eorum, qui cum aliis trans Ligerim militant, niſi intra tempus praeſcriptum armis depoſitis, domum & ipſi eiurata religione redierint: tum eorum qui alio migrarunt, niſi ſolenni iureiurando ſeſe non arma capturos obligarint, bona omnia fiſco ſemel addicantur: Hinc altera orta tempeſtas multo damnoſior, ut quae multo plures abſorpſerit, alios nihil minus expectantes, ac proinde facilius perculſos, alios amicorum & cognatorum blanditiis pellectos, alios metu malorum ultimorum deterritos, omnes paſtorum a quibus confirmarentur prae-

ſidio deſtitutos. Multos etiam aetas, morbus, egeſtas, iter ingredi, & tandem in ſpeciem ſaltem cedere tempeſtati coëgit, qui fortaſſe praeſentem intentatam mortem fortiter contempſiſſent, & quorum nunc conſcientiam miſerabiliter angi certiſſimum eſt, & certe miſerrimum. Caeterae trans Ligerim Eccleſiae fortiter perſtant in Aquitania, Occitania utraque, & cis Rhodanum Provincia, quam vocant, & Delphinatu, faventibus etiam Navarreno ex papiſtica nobilitate quam plurimis, ut qui Religionis obtentu Gallicum ipſum regnum, averſa Borboniorum domo, peti animadvertunt. Regem autem totum in eo eſſe res ipſa oſtendit, ut quoad eius fieri poterit, ſine vi & ſtrage, noſtros in primis infinitis moleſtiis partim atterat, partim ad defectionem adigat, ſic tamen, ut ipſis coniuratis, quos cum noſtris ultro committit, minime tot iniurias condonaturus, ſed illos tandem etiam, niſi ſibi quam callidiſſime caverint, oppreſſurus videatur. Et haec quidem nunc eſt Galliae conditio, ne nunc quidem reſipiſcentis, quamvis triplici nunc ſaeviſſimo flagello, fame, peſte, bello, divinitus caedatur. Ad nos autem quod attinet, adhuc valemus, adhuc pace fruimur, adhuc commune illud caritatis annonae malum ſic experimur, quamvis vicini principis interdictis auctum, ut noſtra tolerabilis ſit conditio. Sed aut coniecturae nos omnes fallunt, aut neque Hiſpani ambitione ceſſante, qua Europae Monarchiam non obſcure affectat, neque vicinum principem deſinente Pontifice furioſo, quamvis ultro huc ruentem incitare, & Helveticis civitatibus papiſticis iam pridem ſeſe, ſuamque libertatem, veluti venalem, exponentibus, fatale quiddam omnibus his regionibus, & quidem huic in primis civitati Antichriſto prae caeteris exoſae imminet: cuius maximae profecto futurae tempeſtatis impetum, utinam ea, qua par eſt, animi fortitudine perferamus, eius praeſidio freti, a quo pendere nos ipſa tenuitas noſtra docet. Ego quidem totus in eo ſum, ut & ipſe me, & alios pro muneris mei ratione, noſtris illis certiſſimis remediis, fide videlicet & ſpe communiam, & ad ſeriam *μετάνοιαν* & preces cunctos pro viribus accendam, ut, ſive nos ſuperſtites ſervarit Dominus, ſive martyrii quoque nobis coronam iam texit, ſancte in ipſo vivamus, & moriamur. Te vero, Illuſtris & Generoſiſſime mi Domine, quod ad-

adhuc pro tua in nos benevolentia feciſti, deinceps quoque factu-rum, id eſt tuas cum noſtris preces aſſidue coniuncturum confido: viciſſim precatus ut te, tuamque ſibi conſecratam familiam, tum novis quotidie beneficiis augeat, tum illa ſua potente manu quam feliciſſime conſervet. Genevae 19. Decembris 1585.

Illuſtri tuae Generoſitati
addictiſſimns
TH. BEZA.

Illuſtri & generoſiſſimo Domino, Domino Ludovico a Sayn, comiti a Witgenſtein &c. Domino mihi ſumme obſervando.

XCVIII.

TOSSANVS eidem.

INclyte & generoſe D. Comes: accedo ad T.G. cum Paſtore Evangelico: cuius patrocinium te non gravate ſuſcepturum confido. Qui Magnatibus libros ſuos inſcribunt, alii aliud captant. Ego (ut Deus novit) hoc unum in hac inſcriptione ſpectavi, ut cauſae Miniſtrorum Evangelicorum fidum & ſpectatum invenirem patronum: & publice teſtificarer, quanti eximias T. G. dotes faciam, & quam ſancte tui, & graviſſimorum tuorum colloquiorum recordationem colam. Non ita pridem publico ſcripto Evangelicam coenam & Evangelicorum doctrinam de veneratione Sanctorum contra calumnias & ſophiſmata Laurentii Arturi Ieſuitae Poſnanienſis defendi. Nam id arbitror Eccleſiae utilius & Deo gratius, quam ſi perpetuo cum domeſticis hoſtibus Vbiquitariis & Flacianis, quorum dogmata ſponte indies flacceſcunt, depugnemus. Et hoc nomine gratulari ſoleo Galliae, ubi Oſiandriſtarum, Maioriſtarum, Schvvenckfeldianorum, Flacianorum, Synergiſtarum nomina & dogmata ignota ſunt: ut adhuc fere hodie verum ſit, quod Hieronymus adverſus Vigilantium olim ſcriptum reliquit, ſolam Galliam monſtra non habuiſſe: ſed viros dediſſe fortiſſimos & eloquentisſimos: ſi excipias monſtroſam crudelitatem & rebellionem Italogallorum & Lotharingogallorum Guyſianoram. Arbitrantur autem multi Lutetiam nunc eſſe in Regis poteſtate. Genevenſes reſpirant, Sabaudo

baudo alibi occupato: Is enim Delphinatum & Lugdunenſem tractum ſibi deſpondet. De rebus noſtris nihil ſcribo: quae procul dubio T. G. ſatis ſunt notae. Varia ſunt ſtratagemata Diaboli; ideo undique ab eo cavendum & ſemper vigilandum. Commendo magis ac magis ſanctis tuis precibus generoſisſimum noſtrum Principem Fridericum, & inprimis Illuſtrisſimum Dominum Adminiſtratorem nunc viduum. Vale, inclyte Heros & meam compellationem aequi bonique conſule. Die Viti. An. 1590.

XCIX.
Idem eidem.

S. Illuſtris, & generoſisſime Domine: cum partim ex hiſtoriis, partim ex ipſa experientia didicerim, vel minima diſſenſionum ſemina inter fratres in ſummam perniciem Eccleſiae aſſurgere, & fratrum odia, ſi invaleſcant, eſſe pertinacisſima, iuxta illud Salomonis Proverb. 18. contentiones inter fratres ſunt quaſi vectes palatii: libenter certe in eo pro virili elaboro, ut vel non emergant, vel mature extingvantur: Et in hoc propoſito me valde confirmat, & conſolatur Generoſitatis veſtrae autoritas, ac iudicium: hortantur etiam & extimulant non ſolum tot molitiones, & conſpirationes Hiſpanicae factionis, & Vbiquitariorum diabolica odia contra nos, ut inter alia apparet ex phreneticis ſcriptis cuiusdam Doctoris Nicolai in Comitatu Waldeccenſi: "verum inprimis me „ſollicitant & diſcruciant ſimultates domeſticae inter nonnullos „proceres & conſiliarios noſtram religionem profitentes: ad quas „ſi accedent Theologorum diſceptationes, actum eſt de Eccleſiis, „quia tot contentionum pertaeſi multi, qui alias tepidi ſunt, plane „frigidi fient, & incipient dubitare de veritate religionis: aperie„turque ianua vel atheiſmo, vel Ieſuitis undique nobis inſidianti„bus." Quam impotenter Hammonae furat Naſo, exagitans noſtram Catecheſin, excluſo etiam conſule, non ignorat veſtra Dominatio. Peſtis ſic in Palatinatu remiſit, ut nondum plane nos dimittat: Ideo differunt princeps & conſiliarii auguſti concilii ſuum ad nos reditum cum magno Palatinatus incommodo, in quo praevideo anarchiam, niſi Dominus nos clementer reſpexerit. Examen

men inſtitutum fuit civium Ambergenſium, ſed valde generale," non tactis controverſiis ullis." Dum totus fere in illis occupatur Princeps, multa alia praeclare inſtituta collabuntur, & pullulant variae ἀταξίαι. Laudo pietatem eorum, qui ruſticos tam craſſa ignorantia liberatos cupiunt: Sed non erant alia ſummi momenti negligenda: & ante omnia eſt opera danda, ne praetextu religionis hypocriſis, tyrannis, diſſimulationes, diſſenſiones fundamenta Reipublicae & Eccleſiae labefactent, noſque peſſundent. Famulus ſciens voluntatem heri, & contra delinquens longe gravius ignorante, punietur. In Gallia ingentes rurſus proditiones detectae fuerunt. Palatinatus his diebus in armis fuit, quod finibus imminerent multae copiae militum, quae nos potius oppetiturae dicebantur, quam Turcam. Sed quia noſtri, & Marchio inprimis Durlacenſis ad defenſionem ſe compararunt: milites illi Briſſaco Rhenum traiecerunt, & iter Hungaricum (ut dicitur) perſequuntur. Genevenſes anxii fuerunt propter ceſſationem induciarum cum Sabaudo, quas nunc audio renovatas ad Septembrem uſque. Haec raptim occupatisſimus propter feſtum Pentecoſtes, & filiam Ameliam non ita pridem nuptam ex uteri doloribus & intemperie lethaliter decumbentem. Deus Opt. Max. noſtri miſereatur, & gemitus noſtros tum pro Eccleſia, tum pro familiis clementer exaudiat. Amen. Vale & ſalve illuſtris & generoſe Domine. Heidelberga. Raptim admodum. 14. Maii.

C.

TOSSANVS eidem.

ILluſtris & generoſe Domine Comes: cum valde ſollicitus eſſem, quomodo hic annus tibi iniret, & quam feliciter Generoſitati veſtrae & eius familiae ſuperior annus exiviſſet, ecce redduntur mihi Generoſitatis veſtrae benignisſimae literae ab integerrimo viro Bernardo Textore: cui prolixe & in vero Dei timore meam ſententiam pro mea tenuitate de iis omnibus expoſui, de quibus per eum conſulere me voluit illuſtris heros, Dominus Comes Naſſovius: cuius generoſitati adminicula ſaltem neceſſaria, & viros idoneos opto, ad perficiendos multos praeclaros & laudabiles conatus:

natus: Quod ad me attinet, quemadmodum nihil prius habui ab eo tempore, quo primum in Palatinatum veni (cuius rei veſtra Generoſitas mihi teſtis eſſe poteſt) quam ut ſubmotis domeſticis disſidiis pacem cum omnibus Eccleſiis noſtrae confesſionis coleremus: ſic nihil eſt, in quo adhuc plus hodie laborem, quam ut praecludatur aditus domeſticis contentionibus, & diaboli inſidiis occurratur, qui omnibus temporibus per domeſticas diſcordias pervicacium hominum, & ſua placita anteponentium ſimplicitati doctrinae Evangelicae, plus damni dedit Eccleſiis, quam per perſecutiones tyrannorum: Et, cum multis gemitibus ad me ſcripſit venerandus ſenex D. Beza, ſibi mortem eo magis optatam eſſe, quod videat exſurgere paſſim gentem profanam, ſecuram, & homines ſui amantes, nullamque rationem nec ſenum, nec ſenilium conſiliorum habentes: & inprimis in Gallia omnia ruere in deterius, ubi Rex nunc ita ſe gerit, ut non ſolum cum Pontifice, ſed & cum Hiſpano colludere videatur: ac illuſtrem illam plantulam, Condei filium, in pontificia Idolomania inſtitui curet, ipſique praefecerit marchionem de Fiſani, hominem aſtutum, ſuperſtitioſum, & Pontificis Romani mancipium. Regina Angliae cum videret regem neſcio quid minari de rege Hiſpaniae, quem ſi velit, facile posſit ſibi reconciliare, maſcule reſpondiſſe dicitur, ſe utrumque Regem non admodum reformidare, cum non ſemel Dei praeſidium ſuperioribus annis contra Reges Galliae & Hiſpaniae ſit experta. „Valde fallor, aut regis Galliae „talis erit exitus, qualis Iechoniae, quem Deus per contemtum Co„niam, ſimulachrum contemtum, & hominem nunquam proſpera„turum vocat.“ D. Stuckius ſcribit Helvetios, qui Hiſpano militarunt, onuſtos pecunia domum rediiſſe, & mire praedicare liberalitatem regis Hiſpaniae. Illuſtrisſimus noſter Elector, cum multa nobilitate, & equis quingentis Ambergam contendit. Dominus Ieſus optimum principem regat, dirigat, & re bene geſta ſalvum, & incolumem, auctumque maſcula prole domum reverti velit. Sed cum de rebus Eccleſiaſticis ibi conſtituendis, nulla inſtituta hic fuerit deliberatio, ut mihi D. Grunradius diſcedens affirmavit, & totus pendeat a ſua nobilitate: dubito an multa ſit effecturus: niſi quod Principem Chriſtianum in ſuo vicariatu confirmabit. Vere

pia

pia (crede mihi) eſt noſtri Electoris coniunx, & quae ſua modeſtia, prudentia, patientia, reverentia erga maritum, indies mariti animum ſibi conciliat: Haec raptim. 16. Ianuar. 1596.

CI.

Idem eidem.

ILluſtris & generoſe D. Comes: multum T. Generoſ. debemus omnes pro tam pia ſollicitudine de nobis, qui lue illa contagioſa infeſtamur, ita ut nunc propter Academiae diſſipationem & conſiliariorum primariorum emigrationem tantum non deſerta ſit Heidelberga. Debemus id divinae clementiae, & piorum precibus, quod hactenus incolumes manſerunt, tum qui hic ſuperſunt profeſſores, & conſiliarii, tum miniſtri. Sed fiat voluntas Domini, quem ſcimus in vita, & morte noſtrum eſſe Deum, & ſoſpitatorem: Beati a modo (inquit Iohannes) qui in Domino moriuntur. Inter haec funera & funeſta tempora gaviſus ſum, Deum Opt. Maximum, adiunxiſſe inclyto Comiti Hanovio vitae ſociam, & nuptias feliciter Dillenbergae celebratas. Faxit idem clementiſſimus pater, ut illa coniunctio & laetitia ſit eis diuturna, & ad publicum bonum, privatamque utriusque ſalutem cedat. De Gallia nihil poſſum reſpondere: ita ſunt omnia ibi dubia: licet hoc tempore raro admodum literas ab amicis accipiamus. Clariſſimus vir D. Beza is eſt, qui certa & bona conſilia generoſo Comiti Alberto ſuppeditare poteſt. Quid ſi, donec maior tranquillitas in Gallia appareat, Holandiam & Angliam inviſat. Caeterum, illuſtris D. Comes, non ſine moerore his diebus ex D. Pareo intellexi, virum pium, & doctum D. Piſcatorem, ſed nimis certe ſuo ingenio confidentem cenſuras quasdam ſpargere in ſcripta Buceri, Sadeelis, Bezae, & aliorum: quaſi in ipſius ſcripta non poſſint cenſurae inſtitui, niſi viri ſapientes, & pacis Eccleſiae amantes mallent multa tolerare, aut in meliorem partem accipere, quam ut nos ipſos mordeamus cum maximo Eccleſiae detrimento: Illas cenſuras miſit Piſcator cuidam Rhedano miniſtro in Palatinatu. Vtinam cenſuras inſtitueremus in αὐθάδειαν, φιλονικείαν, & ſimiles beſtias: Et verentur multi, ne talia in eius biblia Germanica irrepant, quae novos excitent motus. Fruſtra hactenus eum

monui, rogavi: monuerunt & alii. Dominus Ieſus ſpiritu ſuo, qui eſt Spiritus pacis & humilitatis, theologos noſtros regat, & T. Generoſ. ac inclytae coniugi & familiae laeta omnia largiatur. 24. Novemb. 1596.

CII.

Idem eidem.

ILluſtris & generoſe D. Comes: ſi peculiariter beati pronunciantur PACIFICI: illam beatitudinem ſibi Generoſitas Veſtra vendicare poteſt, quae veritatis & pacis Eccleſiae eſt ſtudioſiſſima. Et video neceſſarium eſſe Eccleſiis, ut viri conſpicui & illuſtres, beneque erga Eccleſiam affecti, autoritatem ſuam nonnunquam interponant, ne etiam inter nos, luxuriantia ingenia, aut nimis ſibi confidentia, inauſpicatas turbas dent Eccleſiae, quod etiam tempore Niceni concilii accidiſſet, niſi magnus ille Imperator Conſtantinus illi malo prudentia, ac pietate ſua occurriſſet. Ego certe, qui inter minimos Chriſti ſervos me libenter numero, nihil unquam carius habebo pace Eccleſiae: & concordia fratrum, quam omnibus viribus urgeo, commendo, procuro: hoſtis alias perpetuus Antichriſtorum, Epicureorum, & omnium eorum, qui blasphemant nomen Chriſti. Quod ad dogma de iuſtitia Chriſti, & obedientia nobis imputata attinet; cur a recepta plerarumque Eccleſiarum Europae, & ſummorum aevi noſtri Theologorum ſententia diſcedere non poſſim: totam videlicet obedientiam Chriſti nobis donari, & imputari, modeſte, adductis autoritatibus Scripturae & propoſito Eccleſiarum conſenſu, perſcripſi anno ſuperiore ad Theologos Naſſovios. Quod vero ad Generoſitatem Veſtram pro ſua excuſatione ſcribit clariſſimus Vir, & honorandus frater D. Piſcator, non ſolum non poteſt eum liberare ſuſpicione ſummae confidentiae, (ut molliter loquar) verum etiam admodum mihi alienum videtur, atque intempeſtivum. Quantae enim quaeſo confidentiae eſt, quae nec in confidentiſſimo Luthero, nec in ullo alio noſtri ſeculi Theologo cernitur, ſibi hoc ſumere, ut in omnium pene Eccleſiarum ſummorum Theologorum ſcripta cenſuras, & notas ſcribat? Buceri, Bezae, Sadeelis, Grynaei, Zanchii: in quos ne ſummi quidem adverſarii

ſarii ita ſtricte inquiſiverunt? Nonne ſatius eſt, quando de conſenſu in ſumma pietatis conſtat magnorum virorum ſcripta candide interpretari? Nonne quisque ſuum peculiarem habet ſtylum: alius obſcuriorem, alius magis perſpicuum? Nonne debet quisque eſſe verborum ſuorum interpres? An deeſt nobis in adverſariorum ſcriptis, Ieſuitarum, Arrianorum, Anabaptiſtarum, Schvvenckfeldianorum ſcriptis, quod carpamus, refutemus: ut tantum operae ponere oporteat in examinandis, & vellicandis maximorum Theologorum ſcriptis. Non pauca certe obſervarunt viri aliquot boni, & docti in Piſcatoris aphoriſmis, quae & melius dici poterant, & ad nonnullorum inimicorum Eccleſiae, ut Saleburgii, & Naſonis, qui diverſis temporibus Eccleſiam Bremenſem lacerarunt, dogmata nimis prope accedunt. Et ipſe Piſcator de nonnullis, etiam de ſede Tropi in verbis coenae ſententiam aliquoties retractavit: Non eſt ergo talis viri, imo nullius Theologi, de omnibus aliis velle iudicare: & longe ſatius eſſet, eum ſapere ad mediocritatem & imitari noſtros, qui propter pacem Eccleſiae, & quod exiſtiment, illum melius ſentire, quam aliquando in ſuis aphoriſmis ſe exprimat, illi pepercerunt, nec virgulam illam cenſoriam in eam ſibi ſumere voluerunt.

Quod autem ait ſe ſoli Rhedano ſuas cenſuras communicare: quod per alium quis facit, per ſe facit: & certum eſt, varia illarum cenſurarum exemplaria ſparſa fuiſſe, & eum diſſentientibus a ſe benevolentiam & amicitiam ſolitam non praeſtare: multas quoque theſes edidiſſe, quibus receptam de iuſtificatione ſententiam perſtringit.

Biblia Germanica recognoſci ad veritatem Hebraicam eſſet operae precium: eſſet & laudabilis labor: Sed nec unius eſt ho-“ minis, cum omnium exterarum linguarum verſiones, Gallica in-“ primis poſtrema conferri debeant: nec eſt conſultum, multis &“ longis annotationibus, quae novas tragoedias Eccleſiae conflent,“ implere, margines, ſicut propoſuerat D. Piſcator. Imo dubitavit“ Vrſinus p. m. dubitarunt alii pii theologi, an ſit conſultum edere“ novam verſionem Germanicam Bibliorum: ne Biblia excutiantur“ populo de manibus, & craſſiori vulgo ſuſpecta reddatur Scriptura,“

„cum Lutheri verſio ſit tolerabilis, fatentibus id D. Tremellio, piae
„memoriae, & Iunio: & poſſint miniſtri, & alii Theologi, habere
„alias verſiones, & conferre, ac ſi quid in Lutheri verſione aliqua
„obſervatione indiget inter concionandum, aut docendum in ſcho-
„la, auditoribus indicare, quemadmodum hactenus eſt factum.
„Quos conſulat in illa verſione D. Piſcator, neſcio. Sed hoc ſcio,
„nec D. Iunium, nec Heidelbergenſes, nec Baſilienſes, nec Bremen-
„ſes ab ipſo adhiberi, ad diiudicandam illam verſionem: imo eos
„non putare, D. Piſcatorem tale opus, & tanti momenti in ſe ſuſci-
„pere debere: ut maxime nova verſio adornanda eſſet: & exiſti-
„mant plerique in textu Lutheri nihil mutandum: ſed ſatis fore,
„ubi aliquando nimis evidenter diſcedit a veritate Hebraica, id in
„margine annotare. Saepe cogito de illo dicto D. Petri Epiſt. 2. cap. 1.
„Scriptura non eſt privatae interpretationis.

Haec ego illuſtris & generoſe D. Comes, aperte, candide, ſine ullo (ut Deus novit) ſiniſtro erga quenquam affectu, pro meo erga Eccleſiam & ordinem, qui in Eccleſia ſervari debet, ſtudio Veſtrae Generoſitatis effundo, ſaltem ut intelligat, quid timeam, quid mihi diſpliceat, & quid ſemper ſim meditaturus, & acturus, dum me Deus ſuperſtitem eſſe volet, ut ſcilicet apertis hoſtibus Chriſti, dum tales erunt, bellum apertum indicam: cum fratribus & domeſticis fidei, etiamſi non omnes ita commode loquantur, pacem colam: „illos autem valde improbem, qui privatas cogitationes „publico conſenſui anteponunt, & domi lites ſerere malunt, quam „communibus hoſtibus obviam ire.“ Caeterum, per Dei gratiam admodum, imo plane apud nos hoc tempore remiſit contagium: Faxit Deus, ut a vitiorum priſtinorum contagio liberati, ita verſemur in domo Dei, ut in illa die, quae appropinquat, fidi ſervi reperiamur. Amen. Vale & ſalve illuſtris D. Comes cum tota inclyta familia. Heidelbergae. 17. Martii 1597.

CIII.

Idem eidem.

S. Illuſtris, & generoſe D. Comes: rumor, qui de contagio apud nos recrudeſcente ſpargitur, plane falſus eſt. Nam ex miniſtris

Ec-

Eccleſiae, quibus haec comperta ſunt, intelligo, nullum iam plane ex illo morbo decumbere: & unius menſis ſpatio duos fortaſſis, aut tres obiiſſe, qui aliunde illam luem advexerant. Dicaſterium etiam eſt reſtitutum, reſtituta camera: reſtituta utcunque Academia: nec dubito, quin brevi auguſti concilii conſiliarii Mosbaco ad nos ſint redituri. Vtinam & Sereniſſimus Elector * brevi ſubſequatur: ne dum in Ambergenſibus nonnihil mitigandis laboratur: totus hic inferior Palatinatus in horrendam incidat anarchiam. Sunt haec tempora periculoſa: ſunt molitionibus Hiſpanicis plena: dum hic infelicibus diſcordiis, & aſperioribus actionibus incredibiliter exaſperantur. „In ea ſum & fui ſemper ſententia, fruſtra ſuſcipi refor-" mationes, ſi tantum vexet cenſura columbas: & non incipiat re-" formatio ab iis, qui praeſunt Reipublicae, Eccleſiae, & ſcholae: vel" ſi reformatio tantum in eo collocabitur, ut aliquot quaeſtiunculae" a ruſticis, aut mechanicis exigantur: Interim nihil verae pietatis," ſinceritatis, moderationis, caritatis, concordiae deprehendatur in" iis, qui aliis praeire exemplo debent." Sed moleſtus ſum V. Generoſitati meis querelis: quas non effunderem in veſtrum ſinum, niſi iuſtiſſimae eſſent, & ſcirem me tutis auribus iſta committere. Vale & ſalve illuſtris & generoſe D. Comes 8. Iunii 1597.

CIV.

Idem eidem.

ILluſtris & generoſe D. Comes: etſi hoc ipſo tempore adornanda mihi eſt epiſtola conſolatoria ad illuſtriſſimum & optimum Principem Iohannem Georgium Anhaldinum, qui propter repurgata templa ab Idolis a variis canibus oppetitur, & ſeditioſiſſimis ſcriptis diſcerpendus fere obiicitur ſuis ſubditis a Witebergenſibus, Magdeburgenſibus, & Hallenſibus mataeologis: non potui tamen, quin T. Generoſ. ut deſiderio ipſius ſatisfaciam, de rebus noſtris per tam fidum nuntium certiorem facerem. Sic autem Deo viſum ut morbus ille contagioſus remiſerit quidem admodum, ſed tamen ſubinde aliquem auferat: unde fit, ut Sereniſſimus Elector ante hyemem expectari non poſſit: cum tamen maxime referret

 eum

* Fridericus IV.

eum nobis eſſe viciniorem, & propter ἀταξίαν, quae in hoc Palatinatu creſcit, & propter graves diſcordias, quae ſubinde pullulant, ut inter Principes duos Palatinos Iohannem Ducem Biponti, & Guſtavum Lizelſtenium: nec non inter Adminiſtratorem Argentinenſem, & Capitulares. Eo excrevit noſtra infirmitas, ut nos ipſi vix nos ferre poſſimus, & ſponte Pontificiae factioni opprimendos offeramus. A noſtris certe theologis nolim ſcriptum aliquod edi, quod non prius a certis delegatis, viris gravibus & prudentibus, inſpectum fuiſſet. Rurſus graviter queruntur D. Beza & Grynaeus, in aphoriſmis & theſibus D. Piſcatoris non pauca inveniri praeter illum articulum de iuſtificatione, quae a conſenſu Eccleſiae, & ſenſu Scripturae abhorreant. „His malis nullum video remedium, niſi ut, „ſi Elector reverteretur, ſolennis conventus aliquis eorum, qui re„ligionem noſtram profitentur, indiceretur: in quo de ratione tuen„dae inter noſtros concordiae, & communicationis aliquid ſtatue„retur: quod memini illuſtrem Comitem Iohannem ſaepe optaſſe: „ſed nolim talem conventum fieri cum pompa, aut admiſceri poli„tica: vel ſaltem ſeparatas eſſe deliberationes, & diverſas perſonas. Venerandus Beza his diebus ſcribit, ſe quotidie expectare migrationem ex his terris, & eo cupidius, quod in Gallia omnia ſint deplorata, & Evangelicis videat imponi neceſſitatem arma capiendi. Ego Deo vovi hac exacta hyeme brevem tractatum de uſu & praxi divinae providentiae & doctrinae ſacramentorum, quem ſpero his nundinis proditurum, ut homines a ſpeculationibus & rixis ad verum uſum illorum myſteriorum revocem. Cum videam omnia ſurſum deorſum volvi, & ſanis conſiliis nihil loci relinqui: piis me ſaltem meditationibus, & meis ſoliloquiis ad Deum oblecto: quod & tuam Generoſitatem in hac praeſertim aetate facere non dubito: quam tamen ſcio conſilio & autoritate apud multos, praeſertim apud illuſtrem ordinem Comitum & Baronum poſſe. Dominus Ieſus Veſtrae Generoſitati & toti illuſtri familiae omnem largiatur proſperitatem. Amen 14. Iulii 1597.

CV.

Idem eidem.

S. Illuſtris & generoſe D. Comes, accepi, & qua decuit obſervantia legi Generoſitatis Veſtrae epiſtolam, cui adiuncti erant duo libelli, quos Veſtrae Generoſitati remitto. Non dubito, quin autor ſit alacris & excitati ingenii, virque literatus, & procul dubio iuvenis, ac denique cordatus: Et licet fractum illud, & nimis affectatum ſcribendi genus non admodum probem, praeſertim quando theologica tractantur: poteſt id tamen ferri in iuvene: & exſurgunt hodie tam petulantia, & iuveniliter exultantia ingenia inter adverſarios, quibus non ſemper neceſſe eſt opponi Calvinos, Martyres, Bezas: verum etiam tales, qui recens ex ſcholis emerſi, adverſarios in ſcholam ducant, & ſcholaſtice cum ipſis diſputent. Neque tamen is ſum, qui de ſcriptis hominis ignoti, praeſertim cum nec Mentzeri, nec Philippi Nicolai ſcripta legerim, (talia enim in hac aetate averſor, & aliis meditationibus utilioribus ſum deditus) iudicare velim: nec libenter aliquid pronuncio de iis, quae iam edita ſunt, & publici iudicii aleam ſubiverunt. Paucula deprehendi, de quibus videtur paulo aliter ſcribere, quam ſoleamus, & quae forte melius intelligit autor, quam ſe exprimat: Velut de dicto Irenaei, Sacramenta duabus rebus conſtare: quod dictum improbare videtur: cum tamen recte explicatum optime ſit dictum: nempe ſi accipias de Sacramento in recto uſu, & de unione Sacramentali. Alicubi talem praeſentiam Chriſti definire videtur, qua tantum mors eius in memoriam nobis revocetur: ſed tamen alibi communionem corporis agnoſcit. Dictum Apoſtoli de forma ſervi non videtur de conditione abiecta duntaxat, ſed ſimul de natura humana, ſicut forma Dei divinam naturam ſignificat, accipiendum: nec ſimpliciter eſt negandum aſſumtionem naturae noſtrae eſſe partem τῆς ταπεινώσεως τοῦ λόγου: cum omnino pertineat illud ad eius exinanitionem, quod aeternus Dei filius maſſam noſtram, creator creaturam aſſumſit. De adoratione Chriſti, ſimpliciter videtur ſentiendum, frivolam illam, & periculoſam, Neſtorianiſmumque ſapientem quaeſtionem eſſe, annon ſit adoranda humanitas: cum

ſatis

ſatis ſit credere totum Chriſtum id eſt indiviſum una adoratione adorari, ut Epheſina Synodus pronunciavit: adorationis cauſam eſſe naturam divinam τȣ̃ λόγȣ, quae ſola eſt adorabilis: nam & filius, qua homo, Deum adoravit, & invocavit. Verum, ut dixi, haec tantum Veſtrae Generoſitati ſcribo: non homini mihi ignoto, nec, ut ſententiam feram, praeſertim cum & propter occupationes, & viſus hebetudinem libellos illos vix percurrere licuerit. Nolo mihi illam moroſitatem obiici, quam Hieronymus taxat ſcribens ad Domnionem: qui iudicare tantum de aliis, ipſi nihil melius praeſtare poſſunt. Non abs re forte fuiſſet, ſi illi libelli Genevam miſſi fuiſſent, ubi D. Sadeelis libri excuſi ſunt, & liberi eius ac amici ex parte vivunt, intér alios Caſparus Laurentius, organi & linguae Graecae profeſſor, qui multis annis D. Sadeelis amanuenſis fuit. Ego conſtitutum habeo in hac aetate lectionibus & concionibus meis tantum vacare, aut ſi quid erit edendum, talia in lucem dare, quae ad inſtitutionem & conſolationem faciant, illis valere iuſſis, qui antiquas ſuas calumnias tanquam crimina nobis obiiciunt. Philippo Nicolai quem audio * peſte extinctum, reſponderunt Tigurini diluentes atroces eius & cyclopicas inſectationes. Caeterum nihil eſt, quod tantopere deplorem, quam quod in noſtris Eccleſiis pleniorem reformationem, & communicationem, quae eſſe deberet, non video, ſicut ex meis theſibus de integra Eccleſiarum reformatione, quas ſimul mitto, Generoſitas veſtra cognoſcet. Illuſtris Domini Comitis Naſſovii pium zelum laudo. Sed graſſante paſſim peſte, & abſente adhuc Illuſtriſſimo Electore, & rebus nondum diſpoſitis, conventum aliquem haberi Theologorum, vel huc mitti nonnullos, haud quaquam eſt tempeſtivum. Oporteret haec prius D. Bezae & D. Grynaeo communicari, qui variis literis de novorum dogmatum ſeminibus inter noſtros conqueſti ſunt. Facultas noſtra theologica eſt adhuc manca poſt obitum D. Kimedoncii, ut & multa alia pendent, usque ad reditum Sereniſſimi D. Electoris. Interim Generoſitatem Veſtram cum tota generoſa familia

* Philippus Nicolai anno 1608. die XXVI. Octobr. vitam cum morte commutavit Hamburgi. Concio, quam Dedekennus in eius funere habuit, operumque Germanicorum tomo II. ſubiecit, non ſinet quenquam de hac re dubitare.

lia Dei Optimi Maximi tutelae commendo. Vale & ſalve illuſtris D. Comes. 25. Sept. 1597.

CVI.

Idem eidem.

QVae hoc tempore nobis nunciantur, haec ſunt: Felix partus illuſtriſſimae dominae Electricis, quae rurſus filiolam peperit 7. huius: ita faecundum eſt illud coniugium, cui Dominus Deus indies benedicat: mors regis Hiſpaniarum, qui Calend. Octobr. diem ſuum obiiſſe perhibetur: Comitia iam fere ineuntia Ratisbonae: ad quae ablegantur hinc nobilis vir D. Theodorus a Mörle, dictus Bohemus: Licentiatus Fraiſs & Doctor Leonardus Schuch. De rebus Gallicis ſatis magnum eſt ſilentium. Evangelicis fit ſpes edicti mitioris, maiorisque tum ſecuritatis, tum libertatis. Sed haec lente procedunt. D. Beza, venerandus omnino ſenex adhuc vivit & valet, animo inprimis per Dei gratiam vegetus: quem peſſime habuit, quod Ieſuitae ſuperioribus nundinis neſcio quid de eius defectione ante mortem invulgarunt: ut ſolent illi homines mendacia facile proponere, ut imponant credulis, & ſimplicibus. Nulla porro dies abit, generoſe D. Comes, qua non cogitem ſerio de eo ipſo, de quo multis iam annis pias & neceſſarias cogitationes ſuſcipit illuſtris Dominus, Comes IOHANNES Senior a Naſſau: nempe de arctiore coniunctione, & communicatione inter noſtras Eccleſias: Sed vides aetatem noſtri Principis: Vides, quam variis negotiis implicetur: quam arduam rem Ambergae & molitus ſit, & tantum non perfecerit: remoto priore Senatu: maiora proculdubio effecturus, ſi inſtrumenta haberet idonea. Verum, ut audio, vix inveniuntur Ambergae duo cives ea integritate, & dexteritate praediti, ut in locum aliorum ſuffici poſſint: " Deinde neſcio quo malo fit, ut totis his annis 26. maiorem animorum diſtractionem & abalienationem inter omnium ordinum homines, praeſertim inter eos, qui ſunt in dignitate, & publicis functionibus; quam hoc tempore. Queruntur plerique violentos, inauditosque proceſſus a nonnullis exteris, qui omnem autoritatem ad ſe rapiant, introduci, & querun-

tur nunc ipſi nobiles, qui Palatinatus ſunt indigenae. Reliqui vero, qui pro peregrinis habentur, Electori perſuaſerunt, male hactenus res adminiſtratas: Principem in hac aetate debere metui, & rigidiorem ſe praebere, ne ob iuventutem vileſcat eius autoritas. Interim de his malis ſanandis, aut componendis non video cogitari: nec video, qui aliquid tentare audeat: ita perſuaſus eſt Princeps, eos ipſi bene cupere, quos habet a latere, & quos ſolos audit. Imo nefas eſt Amberga aut ex illis partibus de his rebus vel apicem ſcribere: & vere tuae Generoſitati, ſed in aurem dico, toto eo tempore, quo Elector eſt in ſuperiore Palatinatu de rebus Eccleſiae, & ſcholae ne apicem quidem ad me ſcriptum fuiſſe: ut maxime ſcripſerim & nonnulla monuerim. Quonam ſit evaſura haec diſtractio & *ἀπιστία* atque *ἀπροσηγορία* neſcio. Quod ſupereſt Deum oro, in eius ſinum meos gemitus effundo, ut ſaltem publicis his calamitatibus, & funeſtis morbis, qui adhuc paſſim ſcintillant, afficiamur, & reddamur meliores: redeatque cum religionis orthodoxae, quam profitemur ſtudio, candor, ſinceritas, & quaeramus omnes non quae noſtra ſunt: ſed quae ſunt Chriſti: cui in mediis his perturbationibus gratias ago, quod Electori noſtro pium & religioſum pectus, piamque & religioſam coniugem largitus eſt: " & quod ea praeſtat hic Princeps, „ ſi Ambergenſes ſpectes, quae ipſius maiores vix cogitare fuiſſent „ auſi quae res facit, ut non ita male ſentire poſſim de iis, qui latus „ eius claudunt. „ Vale, & ſalve, illuſtris & generoſe Domine, cum tota illuſtri familia, cui felicem exitum huius anni, & feliciſſima currentis anni exordia, feliciſſimosque progreſſus a Deo precor. Scripſi paulo liberius & copioſius, nactus tam fidum, & certum nuntium, qui in parvo corpore ſpiritus non parvos, nec contemnenda Dei dona gerere mihi videtur, alacritatem inprimis, & civilitatem. Perſcripſi 15. Novembr. 1597.

CVII.

TOSSANVS eidem.

S Illuſtris, & generoſe D. Comes: Reverſus eſt tandem ad nos Sereniſſimus Elector, cum illuſtriſſima coniuge, inclyto filiolo, & tribus filiabus, quibus liberis ſe mire oblectat: Nam eſt incredibile

bile dictu, quam pro aetate & feſtivi ſint, & adoleverint. Adduxit ſecum magnum nobilium Comitatum ex illis partibus: & aulam habet frequentem. Saepe veritus ſum, ne ex converſatione cum aliquot Principibus mores referret aſperiores, & de priſtina pietate, & temperantia aliquid decederet. "Deploro ſaepe educationem" aliorum Principum, qui nihil aliud diſcunt, quam potare, venari," equitare, & ſubditos premere & exhaurire. Et hoc nomine mi-" ſeri ſunt plerique, quod raro veritatem audiunt, dum adulatoribus" tantum, & cyclopibus aures patefaciunt:,, Multa video novari, mutari, moveri in noſtra gubernatione: Sed pauca in melius: nihil coniuncto, & communicato conſilio: Et valde pauci hodie repeٍriuntur, qui non ſua potius quaerunt, quam quae ſunt Chriſti. Triumphamus nos tamen de Iaurino, ſive Rab in Hungaria miro ſtratagemate recuperato. Faxit Deus, ut durabilis ſit ille triumphus. Interim ringuntur & lugent paſſim miſeri ſubditi, quos peſtis, annonae caritas mediocris, exactiones novae, ac inauditae ſucceſſive conficiunt. "Piſtorius turpiſſimus ille apoſtata, & ſophiſta, colloqui-" um de religione mire urget apud Tigurinos fretus ſua audacia, &" autoritate ſui Cardinalis: & forte non paucorum, qui ſe Evange-" licos dicunt, oſcitantia & inconſtantia, qui ſibi facile a Sophiſtis im-" poni patiuntur:,, conſuluit me non ita pridem Generoſitatis Ve-" ſtrae gener, generoſus Dominus Comes Albertus, de ratione componendae controverſiae de iuſtificatione, quae in ipſius Generoſitatis ditione a neſcio quo movetur. Reſpondi, quod res eſt, donec in aliqua Synodo noſtrarum Eccleſiarum illa controverſia examinata fuerit: tutiſſimum eſſe receptam in noſtris catecheſibus ſententiam retinere, aut conſulere Eccleſias alias orthodoxas, quas certe per Germaniam, Galliam & Belgium conſtat (exceptis perpaucis) omnino ſentire totam Chriſti obedientiam nobis imputari. Quorſum" enim res evadet, ſi cuiusque privati ſententia norma debet eſſe ve-" ritatis? ſic hodie in comitatu Benthemenſi, niſi Deus avertat, no-" vas turbas dabit Doctor Vorſtius, quem hactenus fratris & filii in-" ſtar dileximus, qui Samoſateniani cuiusdam in Polonia erroribus" faſcinatus, ſaltem de merito Chriſti & eius pro nobis ſatisfactione" ſuum iudicium anteponit iudicio D. Bezae, D. Iunii, D. Parei,"

„ D. Piſcatoris, & meo; qui omnes & eum monuimus, & eius hypo-
„ theſes refutavimus. In Gallia Calendis Maii conveniet Mompes-
„ ſuli nationalis Synodus. Non deſunt & ibi turbatores, qui Papatum putant aliquomodo conciliari poſſe cum religione ſincera. Dedigerii gener ſua temeritate factus eſt captivus Ducis Sabaudiae: ſed Dedigerius fortiter agere pergit. Britannia Regi ſe dedidit, reconciliato cum Rege Mercurino duce: cuius filia deſpondetur ſpurio Regis Galliae, Caeſar Monſieur. Haec raptim exarata ut boni conſulat Veſtra Generoſitas, precor. Ipſi ego & toti inclytae familiae omnia laeta, & proſpera precor. 15. April. 1598.

CIIX.

TOSSANVS eidem.

ILluſtris, & generoſe Domine Comes, non melius de Eccleſia mereri, nec certiorem notam filiorum Dei obtinere Generoſitas Veſtra poteſt, quam ſi in illo ſtudio pacis inter fratres, & ſocios eiusdem confeſſionis conciliandae perſeveret. Et iis profitebatur Conſtantinus Magnus ſe victoriam eſſe adiudicaturum, in quibus ſummum pacis ſtudium, animumque ſedatum, & Chriſtianum deprehendiſſet: Quam firmo conſenſu Eccleſiarum & Theologorum Evangelicorum, quam expreſſis Scripturae teſtimoniis ſententia de iuſtificatione, quam tradit noſtra Catecheſis, nitatur, brevi ſcripto, ac moderatiſſimo complexus ſum, cuius participem feci Generoſum dominum Comitem Albertum Solmenſem, Generoſitatis Veſtrae generum, cum ante aliquot menſes de illa controverſia me conſuleret. Aſpernentur, qui volent conſenſum Eccleſiarum, ſicut furit Vorſtius Steinfurti: Ego eum ſemper magni faciam. Acuminis, ſubtilitatis, eruditionis laudem aliis facile cedam, non autem ſtudium pacis, veritatis & φιλαδελφίας. Quod ſi vir literatiſſimus D. Piſcator ſaluberrimis veſtrae Generoſitatis conſiliis obtemperabit, erit eius nomen in benedictione apud omnes bonos, & faciet quod Eccleſiae ſauciae, cui ungues non inferendi ſunt, ſtatus requirit. Ego artem orandi, & gemendi, in hac aetate diſco, in hac me exerceo: cum Deo mihi multus ſermo. Apud homines vix amplius adhortationes, obteſta-

teſtationes, admonitiones valent: Ruere volunt cum ſua ambitione, vanitate, & perire malunt, quam honorem habere miniſterio: & ut ſuo tempore querebatur Micheas propheta: Optimus iſtorum ſimilis eſt ſpinae, & quae capite ſeptimo ſequuntur, periit, ac reſtinctus eſt zelus in multis, qui cordatiſſimi videbantur: Perduelles habentur, qui libere monent, aut conqueruntur. Interim fluctuat totum imperium: regnant Ieſuitae: peſtis multis adhuc in locis ſaevit: & Genevenſes, Veſalienſes, Bohemos, infeſtat. Quid moliatur Cardinalis Albertus, qui per Palatinatum Pragam contendit, & ſponſae obviam procedit, dies docebit. Regi Galliae tot munitas civitates ab Hiſpano redditas miror: nec factum puto, quin ſe viciſſim ei obſtrinxerit: Nam & plurimi Galli in Belgium ſe infudiſſe, & Hiſpano militare dicuntur. Brunſuicenſis, qui ſolus fere in Comitiis liberas edebat voces, iam quid agat, & ubi fuerit, non ignoras. Nos hic vagamur, delitiamur, profundimus omnem pecu-" niam, exiſtimationem, & excuſſis habenis neſcio quo ruimus." Haec mihi multos gemitus exprimunt, & nihil niſi magnam ali-" quam cladem imminentem praeſagiunt. Commendo igitur magis ac magis Sereniſſimum Electorem & Palatinatum ſanctiſſimis tuis precibus. Vale & ſalve illuſtris & generoſe D. Comes cum tota inclyta familia. Heidelbergae 16. Septembr. 1598.

CIX.

Idem eidem.

ILluſtris & Generoſe D. Comes, Domine omni obſervantia honorande: quod Veſtra Generoſitas interrogat de Synodo Eccleſiarum Gallicarum, audivi quidem indictam eſſe in quodam oppido prope Aureliam: Audivi etiam Theologum quendam Matthaeum Sutlivium ex Anglia, Epiſcoporum nomine eo venturum. Sed nec Lutetia, ubi ii degunt, qui his rebus praeſunt, & unde ſaepe literas accipio, nec Geneva aliquid ad nos ea de re perſcriptum: Nullis literis, nulla verborum ſignificatione eo vocamur, aut invitamur: De propoſitione, de ſcopo & fine nihil nobis conſtat: Quorſum igitur nos obtruderemus ipſis, aut imparati accederemus. Cur nos

non potius in Germania eorum exemplo Synodos noſtrorum nimis diu omiſſas & neglectas habemus: Toto triennio in eo laboravi, ut id fieret: A pleriſque Theologis noſtrae confeſſionis, etiam ab Helvetiis, conſenſum & adprobationem impetraveram: De modo etiam agendi nonnihil contuleram: Verum ita res noſtrae, qui directorium aliorum eſſe debebamus, tractantur: ita apud nos iacet Theologorum autoritas: & penes unum aut alterum ex politicis eſt omne Imperium, ut iam nihil mediter, quam meas conciones, & lectiones: & quomodo calamitates, quae impendent, laturi ſimus. Aula iam eſt Alceam translata. In Synodis vel panegyribus, nuptialibus, nundinalibus, luſtricis totum anni tempus fere conſumimus. Magnae ſunt Deo agendae gratiae, quod tam diu ſubſiſtit noſter ſtatus: quem intuentur, deplorant, & carpunt multi: pauci opis aliquid, & conſilii ſtrenue & ſincere conferunt. Haec libere & ingenue ad Tuam Generoſitatem, quae diſſimulationem odit, ut ex eius Symbolo, & omnibus actionibus apparet. His tamen aliquando medebitur ille, qui lucem ex tenebris educit. Dominus & pater omnis conſolationis veſtrae laudabili ſenectuti laeta omnia & proſpera largiatur. Heidelbergae, Calend. Maii 1601.

CX.

Strenui, Magnifici & Ampliſſimi Domini.

Acceptis nuper literis honeſtae miſſionis ab aula Coburgenſi, putavi eſſe officii mei & iſtud Amplitudini veſtrae ſignificare, & ſimul ab eadem petere, ut quoniam intra ſex dies proximos diſceſſurus ſum, Amplitudo veſtra dignetur ſolutionem huius trimeſtris, in quod a tertia die Martii ſum ingreſſus, & cuius finis futurus erat ad Pentecoſten, benigne mihi largiri. Quod & cum conſuetudine in aliis hactenus obſervata convenire audio, & congruit certe cum liberalitate naturae veſtrae: cum praeſertim operas meas ante tempus diſceſſus intermiſſurus non ſim. Equidem confido, Amplitudinem veſtram rationem habituram & itineris mei, & praeteritae diligentiae, quam in ſuſcepto munere pro virili mea praeſtiti, paratusque eram praeſtare diutius, niſi invitum me ex medio curſu neceſſariae

ceſſariae cauſae revocaſſent. Miſi famulum cum Apocha: cui ſi Amplitudo veſtra permittet, ut ex aerario pecuniam meo nomine petat, praeter alia merita veſtra novo beneficio devinctum me putabo. Ienae 12. Martii 1574.

Amplit. Veſtrae

addictiſſimus cliens

IVSTVS LIPSIVS.

Ad ſtrenuum & Nobilisſimum Dom. Locum tenentem, ad Magnificos & Amplisſimos Dominos virtute, nobilitate, prudentia praeſtantisſimos Conſiliarios Ducum Saxoniae.

Vinariae.

CXI.

LIPSIVS ELLINGERO.

EXcellentisſime D. Doctor. Flagitium facerem, ſi ad quenquam litteras, non ad te darem; etſi ſcripſi nuper copioſe. Decanatus negotium in ſenatu agitatum eſt. Excepi illos Ariſtarchos, ut merebantur, & ut cognoſcerent, quem hominem lacesſiviſſent. Quid quaeris? oratores viſi ſumus. Senatus univerſus prolixe & abunde a me iudicavit. Illi principem appellarunt, ad quem nunc ſcripſi. Tu ſi quid potes iuvare, ſi rogari te pateris, ut id facias rogo. etſi id verbum ex conſuetudine noſtra ſublatum iam eſſe debebat. Cauſſam totam ad Principem ſcripſi accurate & *τοποδῶς*. Vale V. C. & tibi perſuade, has tam breves litteras a Lipſio dormitante non alium, quam Ellingerum potuiſſe exprimere.

Excellentiae T.

ſtudioſiſſ.

IVSTVS LIPSIVS.

Excellentisſimo ac C. V. D. Doctori Ellingero, virtute & doctrina praeſtantisſimo Profeſſori in Academia Ienenſi, amico optimo.

CXII.

CONRADVS HORNEIVS PLATHNERO.

CVM pridem de inſigni Tua doctrina pariter & erga nos benevolentia cognoviſſem, ſcribere aliquid ad Te aliquoties conantem negotia alia ex aliis impedierunt. Nunc autem tandem, proficiſcente in Academiam Ienenſem egregio Iuvene Dn. M. Luc. Frider. Reinharto, familiari meo, quod ſaepe propoſueram, exequor. Nec tamen aliud epiſtolae argumentum eſt, quam ut notitiam & amicitiam porro, ſi pateris, inter nos conciliem, & lucubrationes noſtras mittam. Scis enim quantas turbas mihi, & Clmo Collegae meo illi dent, qui rectius quieſcerent, ſi ſaperent. Mihi quidem dicam ſcribitur, quod pietatem defendam: Calixto propterea, quod pacem & concordiam eccleſiae amet, utrique, quod veram eruditionem & antiquitatem Eccleſiaſticam magnifaciamus. Et vis omnis partim in multitudine errantium, partim in teterrimis calumniis ponitur. Sed haec ſummo illi Numini committenda ſunt, quod ſuper nos curat, & veritatem ac pietatem tuetur: cui nos confidimus & inhaeremus, quidquid malevoli clamitent. Verum huc nunc non ibam. Et pluribus ea ex iis, quae mitto, intelliges. Tantum id ſignificare Tibi volui, ſicut Te nos amare audio & ſtudia noſtra, ita nos contra Te obſervare, & aeſtimare omnibus modis. Quodſi etiam Reinharto, quem dixi, ubi aliquando per otium ad Te excurrerit, oſtenderis, Te nobis amicum eſſe, gratisſimum & acceptisſimum illud fuerit. Vale. Dab. XXVII. Iunii CIƆ IƆC XLVIII.

CXIII.

PLATHNERVS HORNEIO.

LItteras tuas, nectar & ambroſiam merae benevolentiae ſpirantes, una cum illis, quae partim D. Rothmalero, partim neſcio cui Pasquilli filio repoſuiſti, a Reinharto tuo, imo iam noſtro; quem & ipſum ſcito in album amicorum meorum receptum, hilari accepi manu & mente. Gratias imprimis Tibi ago maximas, mihique ſerio gratulor, me tantae exiſtimationis apud Te eſſe, ut de foedere amici-

amicitiae inter nos ineundo, etiam ſolicitum Te eſſe debere cenſueris. Dubitas, paſſurusne ſim illius conciliationem? Ego vero ultro ad Fidei Te traho aram, & in verae ſinceraeque amicitiae pignus abſens abſenti dextram fidemque porrigo. Age igitur tenerum puri inaffectatique adfectus ἐμφύτευμα hoc noſtrum crebriori litterarum interpellatione mutuisque foveamus officiis, ad quae promptiſſimum me ſemper inuenies:

Dum ſors & fata manebunt.

Controverſiam illam de bonis operibus quod attinet, malo Te meam ſententiam ex litteris meis, quae ante hos VII menſes ad D. Maiorem dedi, percipere: quarum partem inſerui, ut ex illis ſimul, quo numero apud me iam antea fueris, intelligas. Mihi, praeſertim poſtquam non tantum à D. Doct. Muſaeo uberiorem informationem accepi, ſed & cum D. Maiore coram de hac controverſia ſermonem contuli, adhuc eadem mens; & cum inter vos in re ipſa nullam diſſentionem deprehendam, omnino Medicos imitandos cenſeo, quorum ἀφορισμὸς eſt; multos & magnos morbos curari quiete & abſtinentia. Hoc ſi obſervaſſent Patres, qui tertio vixerunt Seculo, horribiles & peſtilentes illi Arianiſmi proventus, qui & ipſi, ut ex hiſtoria ſcimus eccleſiaſtica, ex logomachia, & nimia contentione propullularunt, in ipſa facile peſſundari potuiſſent herha. In qualibet re, res contumax praeconcepta opinio eſt cum impugnatur, & ab ipſa impugnatione alimenta ſumit: diſſimulando felicius vincitur, & ſubtracto adverſario ſeipſam conſumit. Hoc certiſſime experieris, ſi cum magno Philippo cordatos illos fugere potius, quam configere operam dederis. Iena quieſcet. Ne Lipſia aut Witeberga turbet, providebunt, ut ſpero, penes quos auctoritas. Reliqua:

— θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει
ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλει· δύναται γὰρ ἅπαντα.

Cuius protectioni nos omnes committo, Teque ſalvere, & optime valere iubeo. Vnicum addo & ſummopere rogo, ut Cellario noſtro,

& imprimis Clariſſimo Calixto meo nomine ſalutem dicere velis. Iterum Vale. Vinar. II. Non Sextil. Ao. cIↃ IↃC XLIIX.

CXIV.

HORNEIUS PLATHNERO.

Quas pridie Non. Sextil. dederas, recte accepi. Statim autem oblata hac mittendi commoditate reſpondeo, tum, ut gratiſſimas mihi litteras Tuas fuiſſe intelligas, tum, ut huic iuveni gratificer. Et quidem, non tantum Tibi non diſplicuiſſe meum erga Te affectum, ſed ipſum ultro mecum amicitiam inire voluiſſe, eſt, quod maximopere gaudeam. Diligenter etiam legi, quae & in litteris ad me tuis de controverſia noſtra ſcripſiſti, & quae anno hoc ineunte ad Dn. D. Maiorem exararas. Facile quoque Tibi aſſentior, ſicut magnos ſaepe morbos ſola abſtinentia curatos eſſe *οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες* tradunt, ita etiam contentionem noſtram ſopiri poſſe, *ἐὰν φιλοτιμῶνται ἡσυχάζειν, καὶ τὰ ἴδια πράττειν*, qui a nobis nunquam provocati, ſponte ſua in arenam convolarunt. Sed quid ſpei hac de re ſit, vix video: nam etſi ante unum alterumque menſem optima quaeque mihi D. Maior nunciari iuſſerat: paulo poſt tamen non novo tantum carmine nos ipſe perſtrinxit, ſed etiam D. Cundiſius in ſocietatem venit. Et quid de cenſuris dicemus & excerptis litterarum, quae D. Mislenta edidit? Haec certe talia ſunt, ut ferri a nobis nulla ratione poſſint. Et ſupra modum miror, quid tandem ſibi illi velint. Nam ut de Latermanni diſputatione nihil dicam, in qua equidem non reperi, quod veriſſimum non ſit, nec de aliis, quae Clariſſimo Collegae meo per ſummam iniuriam tam abunde impinguntur, ecquid in meo hoc negotio manifeſtius eſt, quam bona opera illa, quae Deus in verbo ſuo praecepit, non arbitraria nobis, ſed neceſſaria eſſe, ſi ſervari aliquando per Chriſtum volumus. Et profecto, ſi quis ideo Chriſtum Salvatorem noſtrum nos redemiſſe, per fidem iuſtificaſſe, & Spiritu ſuo ſancto nos inſtruxiſſe putet, ut perinde nobis ſit, ſive in praeceptis eius ad vitam aeternam incedamus, ſive minus, hunc non *λογομαχεῖν*, ſed totam religionem everte-

evertere non dubito. Vnde nec Formula Concordiae eo ſenſu propoſitionem vel reiicere poteſtne, dum ego, ut Tibi viſum eſt, cum hoc defendo, contra eam quicquam καινοτομῶ: idque etiam Te certo certius exiſtimaturum eſſe non ambigo, ſi rem paullo accuratius expenderis. Caeterum, ſi quis vel de aliis operibus, quam quae deſignavi, loquitur, vel his ipſis efficientiam aut meritum adſcribit, ſi proprie tamen loquitur, ille cum larvis luctatur, nec me ferit. Qui vero tales τῶν λόγων σχινδαλμὺς excogitant, vt aliud eſſe arbitrentur, Bona Opera neceſſaria eſſe iis, qui ſalvi eſſe cupiunt, & aliud Bona Opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, hi ita ſe proſtituunt, ut ne poſſint magis. Nam ἰσοδυναμεῖν iſta, etiam iis notum eſt, qui nondum aere lavantur. De Arianiſmo, ignoſce mihi, prorſus aliter ſentio. Nam etſi ipſe Conſtantinus M. initio ita cenſuit, ſi Euſebio credimus, λογομαχίαν eſſe: tamen eventus paulo poſt docuit, de re ipſa & vera divinitate Filii Dei quaeſtionem fuiſſe. Sed haec paucis nunc reſcribere volui, qui litteras Adamo Queratio do, Academiae noſtrae miniſtro. Is antehac domi meae vixit, & modeſtus paritor eſt, & litterarum valde cupidus. Progreſſus etiam pro aetate non poenitendos fecit, ut optime de eo ſperem &c. Helmaeſt. IV. Eid. Septemb. cIↃ IↃc XLIIX.

CXV.

PLATHNERUS HORNEIO.

AVt Amyclas Vinaria migraſſe, aut me Epoptis Harpocraticis nomen dediſſe, ex diuturno ſilentio ſuſpicari poteras. Sed cave illud vel meae negligentiae, vel incuriae tribuas:

Difficiles curae, catenatique labores,

qui me qua publice, qua privatim obruunt, ſunt, quibus, quicquid hic peccatum videri poterit, imputandum eſt. Adde quod integrum ferme menſem, partim in aula Gothana, partim Iſenbergae peregre egerim. Congreſſus hic habitus Conſiliariorum Saxoni-

corum eſt, Eccleſiaſticorum & Politicorum. Vocata quoque in partes de bonis operibus, omnibus iam nota controverſia. Et ne quid Te lateat, communi calculo priſtina recepta ſententia: contentionum nempe ſemina ſilentii obruenda eſſe cineribus. D. Maiori, & reliquis in Salana noſtra Profeſſoribus ſilentium iterum impoſitum. Vt deinde VViteberga, Lipſia, Helmſtadia ſuum quoque digito compeſceret labellum, Sereniſſimum Elector. Saxon. nec non Duces Luneburgenſes per litteras eſſe monendas. Sed bonum factum! Vix ego Vinariam regreſſus, & ecce advolant Illuſtriſſ. Ducum litterae. Laudatur Saxonum conſilium: indicatur, ſolenni habita deliberatione idem omnino placuiſſe: affirmatur, Helmſtadienſes lubentiſſime placitis obtemperaturos: promittitur denique communicatio conſilii, quo tanquam potente panacea omnibus huiusmodi mederi poſſit affectibus. Lectae hic Illuſtriſſimarum animarum praeclarae litterae magna omnium delectatione, ſtatimque illarum exemplum ad Electorem Saxoniae miſſum, cum iterata ſuaſione, ſuis ut Sigaea quoque imperitare velit, nec dubito, quin perſvadeamus. Gratulor potius Eccleſiae, quod decumano hoc fluctu ſedato, habeat, unde pios gaudere & plaudere, τὸν πονηρὸν vero dolere & frendere iubere poſſit. Communicationem interim illius ſaluberrimi conſilii quotidie expectamus, ut iam ante cogitabamus de tali aliquo remedio. Venit aliquando mihi in mentem, an ex re poſſit eſſe Eccleſiae, ſi communi omnium ſtatuum Evangelicorum conſenſu & ſumtu doctiſſimorum virorum conſtitueretur collegium, quod in taliſmodi controverſiis inteſtinis iudicaret, de dubiis reſponderet, quae ad conſervandam pacem ſpectant, mature proſpiceret, curasque ſuas & cogitationes eo converteret ſedulo, nequid detrimenti caperet Eccleſia. Sed quoquo cogites, aquam haerere video, adeo multimodae ſunt, quibus res haec involvitur, difficultates. Sed de his Dominus providebit. Caeterum ante hos duos annos exercitationem de ablatione ſceptri Iudaici a D. Iſraele praedicta, ficto licet ſub nomine miſi in publicum. Illam pſe nunc quoque ad Te mitto, ſi forte de ſucciſivis huic noſtro foetui unam atque alteram impendere velis horulam. Quodſi, quid de hoc genere ſcriptionis

ſentias,

ſentias, me certiorem facere volueris, rem feceris gratiſſimam. Scio enim, quod φιλαληθῶς iudicare ſoleas. Fecerunt hoc Glasſius, Barthius, Buchnerus, alii. Eandem amicam igitur operam a Te quoque expecto. Sed ohe! iam ſatis eſt, ohe libelle. Finio igitur, & Te, ſimulque Venerandum illud caput Calixtum plurimum ſalvere iubeo. Vinar. X. Kal. Decembr. An. cIↃ IↃC XLIIX.

CXVI.

IOBVS LVDOLFVS,

IO. ERNESTO GERHARDO.

Litterae tuae 3. d. Octobris datae maxima me voluptate affecerunt, quod conſilia & animum tuum mihi tam liberaliter exponeres, ac ita verum amicum me tibi probares. Perfecta omnino foret laetitia mea, ſi novisſimas meas, cum epiſtola Aba Gregorii Abysſinenſis ad me miſſa accepiſſes ; Multum poterat illa conferre ad conſilium, quod poſtea tibi commemorabo: primo enim de conſilio tuo, in has oras proficiſcendi, mihi dicendum. Ego certe nihil aeque optarem, quam ut id felicitatis mihi contingeret, ut aſpectu & converſatione tua frui in Suecia mihi liceret. Caeterum doleo, quod nondum eo experientiae venerim, ut Academiae Vpſalienſis ſtatum & Profeſſorum conditionem accurate perſcribere posſim. Licet enim Patronus noſter iampridem Reginam ſalutatum profectus fuerit, ac aliquamdiu Holmiae ob negotia egerit, totam tamen familiam ſuam in praediis ruri reliquit. Cauſae eius rei aliae partim fuere, aliae ſupervenere. Primum expectabamus ſupellectilem noſtram, quae maritimo itinere Gotenburgo ſequebatur, dein Domina edito partu profectionem impediebat, nunc inſtantia feſta pergendi conſilia in menſem Ianuarium diſtulerunt. Mihi tamen omnino decretum eſt, quodcunque etiam conſilium Patronus capturus ſit, veniam petere in Academiam Vpſalienſem proficiſcendi, eamque per duos vel tres menſes luſtrandi: dum enim Patronus nullo publico officio occu-

patus eſt, pauca agenda occurrunt. Tum demum comperta & ſpectata Tibi perſcribere potero, pauca enim ſunt, quae hactenus audivi. Caeterum ſummatim rem conſideranti primo loco ſeſe offert Reginae benignus erga litteratos animus, dum eos honoribus & beneficiis auget, quos inſigni eruditione reliquos anteire animadvertit: adhaec vita ſatis tranquilla & compoſita contingere poteſt erudito in natione parum turbida, nec invida externae virtutis. Et quanto remotior a caetero orbe Suecia, tanto maior claritudo eximiis ingeniis, & modicis minus dedecus eſt. Mores ſtudioſorum Vpſaliae non ad diſciplinam Hollandorum, aut modeſtiam Anglorum, ſed ad noſtram diſſolutionem propius accedere accepi. Externus urbium cultus in Suecia quaerendus non eſt, humilesque plerunque caſae, vel quatuor parietes tecto operti, quales vetuſtas invenit, verum talia eruditi non aeſtimant. Id vero maxime incommodum, quod longinquitate itinerum tardiora cum litteratis commercia ſunt, atque libri rariores non niſi maximis ſumtibus parantur. Converſationem & familiaritatem cum doctis viris hucusque deſideraſſes, nunc vero cura Reginae celeberrimi alibi viri partim huc trahuntur, partim retinentur, ut quos alias vix litteris adire, nunc verbis coram alloqui poſſis. Salmaſio amplisſimas litteras Regina ſua manu ſcripſit, quibus ille permotus filiam ad venerationem eius miſit, pollicitus ſe brevi ſecuturum. Non quod ſedem ſuam mutare poſſit, ſed quo officio ſuo erga tantam reginam ſatisfaciat. Voſſio Gerhardi F. bis mille imperiales in annos ſingulos penduntur. Carteſius quoque Holmiae agit. Nicolaus Heinſius ad ſpectandas ſaltem Reginae virtutes venerat, mox ut praedicat diſceſſurus. Boeclerus Hiſtoriam & Eloquentiam Vpſaliae docet; Freinshemius Reginae Bibliothecarius eſt: meruerat ipſum Regia Bibliotheca, quae mox inter inſignes Europae Bibliothecas numerabitur, quippe Grotii & Voſſii Bibliothecas ingenti pecunia coemit: praeterea frater meus multa praeclara ſcriptorum monumenta, iuſſu Reginae, Lutetiae Pariſiorum conquiſivit, ac regie compingi curavit, quia tantum Reginae oculis ac manibus deſtinabantur. Profeſſorem Orientalium Linguarum Vpſaliae nullum eſſe, nec tamen Ravium vocatum fore, facile crediderim

rim. Nuper Freinshemius fratrem meum interrogaverat, num mihi animus eſſet, Profeſſorium munus ſuſcipere: verum ille reſponderat, mihi alios fines propoſitos eſſe, nec, dum aetas dicendo ac laboribus par eſſet, alios me docere, aut ad quietem animum applicare velle. Quod te vero ſpectat, ſiquidem experimentum doctrinae tuae facere, & documenta eruditionis dare velis, non abs re fore crediderim, ſi ad tempus in Suecia id praeſtares. Verum alia animo meo nunc inhaerent. Ais, poteſtatem tibi a Patronis factam, extera regna adeundi, ubi ſaltem comitem idoneum nactus fueris: quid ſi ego me tibi comitem praeberem. Credo tibi me olim ſcripſiſſe, quam invitus & coactus Roma avulſus fuerim, cum praeclaram ibi occaſionem habuerim, multas eruditionis partes, ac praecipue Aethiopica mea ſtudia ſolide excolere. Quippe familiaritas mihi fida & intima fuit cum quatuor Abyſſinis viris bonis, qui, inter alios libros minoris momenti, habebant Pentateuchum, Eſaiam, Ioſuam & librum Ruth, ad haec Concilia Oecumenica cum aliis Synodis nationalibus, in folio eleganter ſcriptis, privatim poſſidebant, iamque in eorum amicitia tantum poteram, ut mihi liceret intra eorum parietes totos dies ſedere, ac excerpere, quae luberet, cum revocante Patrono meo cum ſummo dolore & triſtitia inde abſtraherer. Perſuaſum vero mihi fuerat, aucta amicitia datam mihi fore poteſtatem, domi meae exſcribendi, quantum poſſem, unde ſemper poſtea mecum agitavi Romam redire, & ſi per otium & ſumtus liceret, etiam unum vel alterum annum impendere, quo patriae noſtrae tantum Theſaurum acquirerem, praeterea non ſaltem eruditum orbem, ſed eccleſiam quoque collatione talium exemplarium iuvare. Tum facile quieſcerem, imo qualemcunque quietem libenter ferrem, dum non taedioſo & vulgari Grammatices aut Dictionarii colligendi labore, ſed perpetuis cum eruditis commerciis, ac ſummorum Religionis articulorum collatione & examine vitam agerem. Nunc vero poſtquam conſilium tuum intellexi, incredibile dictu eſt, quantum cupiditas animo meo creverit, cum ſperem, te ſocio ac comite non ſaltem itineris ſed & ſcriptionis laborem omnem facilem fore; ac

non

non tantum praecipuos, ſed & omnes illos libros trium menſium diligenti ſtudio deſcribi poſſe. Iam de tempore ac ſumtibus quaedam dicenda. Quando quidem iam in Suecia verſor, maximopere deſiderarim, tum regni comitia, tum Reginae coronationem & inaugurationem ſpectare: illa XVI. Iunii, haec in XVI. Iulii indicta; eam enim ob cauſam fere iter in has terras ſuſcepi, hoc conſilio, ut, niſi interea publici cuiusdam officii adminiſtratio in aulis exterorum Principum, ubi civilem prudentiam, quae prima ſtudiorum meorum pars eſt, augere poſſem, contingeret, patriam repeterem, atque ex ſtatu rerum rationem vitae formarem. Itaque, ſi conditio placeret, placere autem, quantum in te eſt, non dubito, peractis inaugurationis ſolennibus, menſe Auguſto Erfurtum, menſe Septembri Venetias, ac circa finem eius Romam perveniri poſſe ſperarem, mox ſex menſes usque in Aprilem operi incumberemus, quo perfecto tu Galliam, Angliam ac Belgium adires, ego patriam repeterem. Trecenti imperiales huic itineri ſufficient. Iam dicenda ſunt, quae me impediant, quo minus ſocietatem hanc profectionis certo tibi promittere poſſim. Primo de ſumtibus incertus ſum unde petam, quippe mihi vivo patre res familiaris adhuc nulla, patrem vero mihi tantum erogaturum dubito, cum tempora adhuc aſpera ſint, & tantum fere, quantum fratres mei natu maiores, in profectionis ſumtus iam acceperim. 2. Ne forte melior conditio aliunde offeratur, quam non negligere totius vitae meae interſit. Tertio ne forſan ſucceſſu temporis ſtatus Romae mutetur, ac libri vel ipſi amici mei alio transferantur. Hanc equidem rem praevenire ſtudeo certas litteras ad amicos mittendo, quo & de ſtatu eorum certior fiam, ac amicitiam conſervem. Secundum non curarem, modo de primo certus eſſem. Sententiam tuam iam expecto, qua intellecta certiora conſilia capere potero. Res vero caute tractanda eſt, nec ulli mortalium niſi fideliſſimis, ubi extrema neceſſitas poſtulaverit, verus itineris finis indicandus, ne forſan eo patefacto ab adverſariis impediamur. Tu id facilius ſub profectionis praetextu occultare poteris, ego vero neceſſe habeo amicis id aperire, quorum opem implorare debeo ac

Dno

Domino Elsnero praecipue. Plura addere anguſtia chartae prohibet. Nycopiae 10. (20) Decembr. 1649.

CXVII.

Idem eidem.

EN litteras quaſdam ad amicos meos, quas petiiſti, cum propter virtutes tuas, quae nulla commendatione egent, iis facile carere potuiſſes. Potuiſſem plures dare, verum illae ſufficere mihi viſae ſunt: hi enim ſunt potiſſimi mei amici, quorum conſilio multis in rebus uti, & quorum auxilio alios plures amicos parare poteris. Qualis Erpenius ſit, cum tempore cognoſces, commendationem eius nec tempus nec charta patitur: quanto maiorem modeſtiam prae ſe fert, tanto ſolidior eius eruditio. Patrem ſuum admodum adoleſcentulus amiſit, ita ut animum non ad linguas orientales, ſed ad Iurispr. Politicam & Hiſtorica applicuerit, & ut nunc audio, nuper etiam doctoris titulo decoratus eſt, quamvis vulgo in familiaribus ſermonibus eo non utantur Hollandi. Veruntamen viros claros, libros rariores, ſtudioſos eruditos novit, & de quacunque re interrogaveris conſilium vel rationem reddere poterit. Studeas modo in eius familiaritatem pervenire, nunquam te eius poenitebit. Quod D. Thyſium attinet, non quidem ſtudiis & eruditione, ſed diuitiis & rerum neceſſariarum uſu pollet: ex genere Thyſiorum eſt, qui genus ſuum nobile, & ex Brabantia oriundum praedicant. Iter cum ipſo feci per Galliam & Angliam, multisque ab eo beneficiis affectus ſum. Amicitia eius eatenus tibi utilis eſſe poteſt, ut Hollandorum mores noſſe diſcas, aut de vulgaribus rebus conſilium roges, vel interdum librum ab ipſo petas commodato, quamvis delicatiores Hollandi libros ſuos aegre ab aliis contrectari patiantur. Quales reliqui ſint ipſe titulus indicat. De D. Golio notum tibi eſto, illum manuſcriptos ſuos nemini fere commodare

 ſolere.

ſolere. Ego, quamvis ipſi diu notus, vix Pſalterium Arab. Mſs. impetravi: domi tamen ſuae libros ſuos aliis inſpicere permittit. Vnde tibi longo tempore & labore, multo etiam cultu & obſequio opus erit, donec librum quendam ab ipſo petere audeas. Caeterum deſiderarem ſcire, quamdiu in Hollandia commorari velis; an Angliam petiturus ſis, quamdiu in Gallia, & quando patriam Germaniam reviſere velis? Si litterae hae Amſtelodami te offendant, rogo adeas mercatorem meum, debet enim nobis exiguum. Plura nunc non ſuccurrunt. Vale. Holmiae d. 8. (18.) Martii 1650.

INDEX

INDEX RERVM.

A.

ALberii *Claud.* turbae. 138 139
Altenhovius quiſnam? 74. 75
Amberga eiiciuntur Lutherani. 158. 159. 167. 177. 178
Andreae *Iac.* de eo iudicium. 41
Andreae *Tob.* liber de praedeſtinatione ſanctorum. 125
Arminius *Iac.* de eo iudicium. 152
Altingii *Henr.* iter in Angliam. 94

B.

Baptiſmus obſtetricum. 19
Beerenſprung *Laur.* 4
Beza *Theod.* in eius N. T. Piſcatoris animadverſiones. 43. 50. 51
—— reſponſio ad Iac. Andreae. 49
—— paraphraſis in Eccleſiaſten. 50. 52
—— paraphr. in Iobum. 50. 58
—— in priora capita Geneſeos. 58
—— reſponſio ad Theſes Eraſti. 62
—— reſponſio ad Acta Colloquii Mompelgardenſis. 53
—— reſponſio ad Saraviam de gradibus Miniſtrorum Eccleſiae. 140
—— mendacium de eius morte. 177
Bibliorum verſio vernacula quomodo conficienda. 171. 172
Bibliotheca Holmienſis. 190
Bona opera, de illis controverſia. 186. 187. 188

C.

Calaminus *Petr.* 110
Calvinus Iudaizans. 100
Camerarius *Ioach.* edidit librum Nazianzeni. 3
—— ed. Agapitum. ibid.
—— eius colloquium de Luthero cum Archi-ep. Trevirenſi. ibid.
—— iudicium de eius comment. in primam Tuſculanam. 5
Campegius *Laur.* Cardinalis. 1
Carnem Chriſti manducare quid ſit. 137. 138
Chriſtus, de eius ſatisfactione iudicium Conr. Vorſtii. 81. 82
Vide tit. *Iuſtitia* & *Coena.*
Cicero ſummus orator. 6
—— imitandus. 7. 8
Coena Domini, Alb. Hardenbergii de illa controverſia. 21. 24
—— disquiſitio Bezae & Piſcatoris de ea. 52. 54. 71. 72. 118
—— an quaeſtio de praeſentia corporis Chriſti neceſſaria ſit. 54. 56. 60

 Con-

Conſobrini poſſunt matrimonium inire. 129. ſ.
Crollius fit Ieſuita. 134
Cygneenſis ſchola laudatur. 4

E.

Eraſti *Thom.* fata. 158. 160
Erperius, de eo quaedam. 193
Eſt notat ſignificat. 71. 72. 120

F.

Fides an requiratur ad integritatem Sacramentorum. 70
Flacius *Matth.* adverſarius eius Strigelius. 28
—— Schroeterus. 29

G.

Gallicarum Eccleſiarum ſtatus. 162. 163
Genevae annonae caritas. 44. 47. 48
—— Academia diſſolvitur. 47
—— a Sabaudo premitur. 57. 58. 61
Golius, de eo quaedam. 193. 194
Grynaei diſp. de iuſtificatione. 19
—— ſcriptum contra Piſcatorem. 67

H.

Hachenberga occupata. 129
Hardenbergii *Alb.* diſp. de ſacra coena. 20. 23
Hebraeae litterae quomodo pronunciandae. 45. 46
Heidelbergae graſſatur peſtis. 169
—— deſinit. 172
Heilbrunnerus contra Beumlerum. 100
Henricus IV. Gall. Rex religionem mutat. 65
Henrici VIII. Angl. Regis contra Lutherum epiſtola. 8
Heshuſii *Tilem.* diſp. de ſacra coena. 20. 21. 23. 26. 84
—— refutatio Iac. Andreae. 41
Holmienſis bibliotheca. 190
Hovaei ſcripta. 119
Huberi dogma de morte Chriſti. 147
Hungaria, controverſia ibi de coena. 27

I.

Imitatio ſtili neceſſaria. 6
—— Cicero praecipue imitandus. 7. 8
Ioannes Georgius Anhaltinus a Lutheranis premitur. 173
Ionſtonus refutat Logicam Crellii. 122
—— aeternitatem mundi. ibid.
Iuſtitia Chriſti & iuſtificatio. Diſputatio de ea inter Reformatos. 53. 54. 59. 74. 75. 85. 88. 90. 97. 107. 108. 113. ſ. 116. 119. 127. 135. 136. 141. 142. 146. 147. 148. 170. 174. 179. 180.

K.

Koeteritius *Wolfg.* incuſatur variorum criminum. 30. ſeqq.

defen-

—— defendit ſe. 40. 41

L.

Laurentii *Caſp.* ſententia de iuſtificatione. 100

Lubberti *Sibr.* ſententia de iuſtitia Chriſti. 114

Lutherus Henrici VIII. contra eum epiſtola. 9

—— Calvinianorum contra ipſum Satyra. 87

M.

Maioris *Io.* epigrammata. 111

—— parentatio Auguſti. 112

Manducare corpus Chriſti quidnam ſit. 137. 138

Matrimonia in tertio gradu aequalis vel inaequalis lineae probantur. 129. ſeqq.

Molinaeus, eius lites cum Piſcatore de iuſtificatione. 90

Mompelgardenſe colloquium. 46

—— Piſcatoris ad illud obſervationes. 66. 67

Montalbanenſis Synodus. 66

Mylii ſententia de coena. 111

N.

Naſonis turbae in Eccleſia excitatae. 55. 59. 63. 143. 144. 166

—— ſedantur. 86

Nazianzeni libellus a Camerario editus. 3

Nicolai *Phil.* eius mors. 178

—— Tigurinorum contra eum ſcriptum. ibid.

P.

Pacei *Io.* laus. 17

Panis quomodo ſit corpus Chriſti. 71

Parei *Dav.* ſententia de iuſtificatione. 98

—— iudicium de Irenico. 105

—— proteſtatio. ibid.

—— comm. in Apocalypſin. 106

Pauli *Sim.* contra Calvinianos oratio. 111

2. Petr. II, 4. explicatur. 156

Pflug *Iul.* ſtudiis elegantioribus addictus. 5. ſeqq.

Pierius *Vrb.* 110

—— eius lectiones. 110. 111

Piſcator, eius animadv. in N. T. Bezae. 43. 44

—— aphoriſmos Bezae dedicat. 58. 67

—— in iis omittit doctrinam de communicatione carnis & ſanguinis Chriſti. 83. 84

—— diſp. eius de iuſtificatione. 59. 85. 88. 90

—— obſervationes ad Colloquium Mompelgardenſe 66. 67

—— ſcripta contra Gephyrandrum & Hofmannum. 67

—— facit indicem biblicum. 89
—— ab Eccleſiis Gallicis damnatur. 96. 113. 123. 125. 153
—— aphoriſmi de Sacramentis. 116
—— liber de lectione linguae hebraeae 117
—— comm. in Ieſaiam. 135
—— verſio Bibliorum. 141
—— comm. in libros Regum. 145
—— rudimenta linguae hebraicae. 154
—— cenſura in Buceri, Sadeelis & Bezae ſcripta. 169. 170
—— eius confidentia. 169. 170. 171. 174
Piſtorius Apoſtata. 179
Polanus ſcripſit Logicam. 139
Pragenſes articuli. 16
Prehmius *Petr.* de eius captivitate. 32. 37
Pulveraria conſpiratio. 126

Q.

Quadiaphoriſtae. 21

S.

Sabaudiae Dux Genevae imminet. 57. 58. 61
—— abigitur. 62
Sadeel de re Sacramentaria. 58
Santonenſis ſynodus. 66
Schroeteri calumniae de Flacio. 29. 30
Segelbaldi *Ebarti* theſes de ubiquitate. 21
Siguartus contra Piſcatorem. 105
Stella *Tilem.* edidit tabulas Geographicas. 18
Strigelii *Vict.* contra Flacium ira. 28
Stromerus Medicus. 2
Sturmii liber de coena Domini. 24
Sutlivius *Matth.* ad Synodum Reformatorum in Galliam proficiſcitur. 181
Synodus Reformatorum in Gallia. 181

T.

Thyſius *Ant.* qualis. 193
Toſſanus *Paul.* ſcripſit contra Arturum. 165
—— tract. de uſu & praxi divinae providentiae & doctrinae ſacramentorum. 174
—— theſes de integra Eccleſiarum reformatione. 176
—— de unione Proteſtantium cogitat. 177
—— ſcriptum de iuſtificatione. 180

U. V.

Ugneti ſcriptum contra Piſcatorem. 153
Vorſtius *Conr.* incidit in ſuſpicionem. 76. 77
—— theſes de iuſtitia & veritate Dei, it. de amore & odio Dei. 78
—— Arianiſmi & Socinianiſmi incuſatur. 79. 101. 179
—— admonetur ut errores retractet. 80

excuſat

—— excuſat ſe. 81
—— purgat ſe apud Heidelbergenſes. 101
—— Hagam fugit. 92. 93
—— abit ex Belgio. 102
—— eſt Socinianus quamvis non profiteatur. 103
—— Parei ad ipſum epiſtola. 103. 104
—— fit Doctor. 148
—— Lugduni fit Profeſſor. 155
—— Rex Britanniae Belgas de ipſo monet. ibid.
Upſalienſis Academiae deſcriptio. 190. ſeqq.
Urſini ſententia de iuſtificatione. 98

W.

Wernerus *Ioach.* commendatur. 16
Wittebergenſis Academiae ſtatus. 110

F I N I S.

93-B15903

